




CAESARIS MAGATI
SCANDIANENSIS.
IN ALMO FERRARIENSI GYMNASIO
Medic. Doctoris & Professoris Celeberrimi
DE
RARA MEDICATIONE VULNERUM
Seu de Vulneribus rarò tractandis
LIBRI DUO
IN QUIBUS NOVA TRADITUR METHODUS
qua felicissime ac citius quam alio quovis modo sanantur vulnera: quæcunque præterea ad veram & perfectam eorum curationem attinent diligenter excutiuntur.

HÆC AUTEM DUPLICI QUÆSTIONE

I. Utrum melius sit vulnera quotidie solvere ac procurare, an pluribus interjectis diebus.
II. Utrum Turundarum, & Penicillorum usus in Curatione vulnerum sit necessarius.

Accessit
JOANNIS BAPTISTÆ MAGATI
Tractatus, quo rara Vulnerum curatio contra Sennertum defenditur.
Cum triplici Indice Capitum, Quæstionum & Rerum omnium memorabilium.

ET CUM PRÆFATIONE
FRIDERICI CHRISTIANI CREGUT
MED. DOCT. ILLUSTRISS. ac CELSISS. HANOVIAE COMITIS CONSILIARII, ARCHIATRI, AULAEQUE MEDICI
Philos. Natural. ac Medic. Profess. utriusque Urbis & Celeb. Abbatiæ Seligenst. Physici ac S. R. I. Acad. Nat. Cur. Cæsareo-Leopoldino Carolinæ Collegæ, Marcelli,
DE ITALORUM IN REMPUBLICAM LITERARIAM PRAECIPUE VERO MEDICAM MERITIS MAXIMIS.


Veneunt in Nund. Franc. Lips. & Amst. apud JOH. P. SCHMIDT,
MDCCXXXIII.



* *   * *   * *
*   *   *

CARMINE CUR TENUI LIBRUM LAUDARE LABOREM
VENDIBILI VINO NIL OPUS EST HEDERA:
PERLEGE MI LECTOR: QUANDO PERLEGERIS AUTEM
HIC NULLA, DICES, LAUDE LIBELLUS EGET.

* *   * *   * *
*   *   *





FRIDERICUS CHRISTIANUS CREGUT Med. Doct.

Lectori Benevolo salutem plurimam dicit.



Oeli ac Terræ in Italia tantam harmoniam ad fertilitatem summam, & hinc omnium rerum abundantiam atque bonitatem esse, ut quicquid est, quo carere vita non debeat, nusquam in Europa præstantius sit, jam olim notavit Plinius Hist. Nat. lib. 37. cap. 13. & Virgilius Poëtarum Princeps lib. 2. Georg. de Mantuæ suæ pascuis ita cecinit:

Et quantum longis carpent armenta diebus
Exigua tantum gelidus ros nocte reponet.

Hoc etiam hodierna experientia multijuga confirmari, non nisi illos latere poteſt, qui vel ex autopſiæ defectu hanc veritatem ignorant, aut in Hiſtoria Paradiſi totius Europæ plane ſunt hoſpites. Aurei Virgilii verſus Georg. lib. 2. in Italiæ laudem ſcripti, in compendio, quæ fuſius deducere nec ratio inſtituti nec pagellarum anguſtia permittit, exprimunt.

Sed neque (ait Maro) Medorum ſylvæ, ditiſſima terra,
Nec pulcer Ganges, atque auro turbidus Hermus,
Laudibus Italiæ certent: non Bactra, neque Indi,
Totaque thuriferis Panchaia pinguis arenis
Hæc loca non tauri ſpirantes naribus ignem
Invertere, ſatis immanes dentibus hydri
Nec galeis, denſisque Virum ſeges horruit haſtis:
Sed gravidæ fruges, & Bacchi Maſſicus humor
Implevere. Tenent oleæque, armentaque læta,
Hinc bellator equus campo ſeſe arduus infert:
Hinc albi, clitumne, greges, & maxima taurus
Victima. Sæpe tuo perfuſi flumine ſacro,
Romanos ad templa Deum duxere triumphos,
Hic ver aſſiduum, atque alienis menſibus æſtas;
Bis gravidæ pecudes, bis pomis utilis arbos.
At rabidæ tigres abſunt, & ſæva leonum
Semina: nec miſeros fallunt aconita legentes,
Nec rapit immenſos orbes per humum, neque tanto
Squammeus in ſpiram tractu ſe colligit anguis.
Adde tot egregias urbes, operumque laborem.
Tot congeſta manu præruptis oppida Saxis,
Fluminaque antiquos ſubterlabentia muros
An mare, quod ſupra, memorem? quodque alluit infra!
Anne lacus tantos? te Lari maxime, teque
Fluctibus & fremitu aſſurgens, Benace, marino?
An memorem portus! Lucrinoque addita claustra?
Atque indignatum magnis ſtridoribus æquor?
Julia qua ponto longe ſonat unda refuſo,
Tyrrhenusque fretis immittitur æſtus Avernis:

Hæc

Hæc eadem argenti rivos, ærisque Metalla
Oſtendit venis, atque auro plurima fluxit.
Hæc genus acre virum, Marſos, pubemque Sabellam,
Aſſuetumque malo Ligurem, Volſcosque verutos
Extulit: hæc Decios, Marios, magnosque Camillos,
Scipiadas duros bello: & Te, Maxime Cæſar.

Sicut autem Italia nobiliorum bonorum terreſtrium eſt feraciſſima, ita quoque hæc Europæ pars, locus ſapientiæ ac doctrinæ humanæ ſemper fuit & adhuc eſt fertiliſſimus. Tanta enim in Italia ingeniorum bonitas ac felicitas eſt, ut Ingenii ac Studii vi, nationibus cæteris in ſcientiis & artibus tam veteres quam recentiores multi facem ſæpiſſime prætulerint. Quod veterum pariter ac recentiorum hiſtoriæ literariæ multorum ſeculorum locupletiſſima monumenta abunde teſtantur. Poſtquam enim Roma, paulo poſt Punicum primum bellum teſte T. Lanſio in conſultat. de principatu inter Provincias Europæ, literas accepit, ſtatim una cum imperio eas diffudit & ſparſit in omnes terras. Verbis exprimi nequit, quæ poſtea ingeniorum felicitas extiterit, & quæ ſcientiarum opes ac gazæ incredibiles hinc in Italiam ac univerſum orbem redundaverint. Quanta induſtria, fide ac ſtudio, in hac ſumma Republica in ipſa ſapientiæ literarumque tutela verſati ſint illorum temporum Homines, novi humanitatis atque ſolidioris doctrinæ Inſtauratores teſtari poſſunt inter Alios ſequentes Q. Ennius Rudinus; M. Accius Plautus; T. Lucretius Carus; Q. Catullus; Q. Horatius Flaccus; Sex. Aurelius Propertius; P. Ovidius Naſo; Phædrus; A. Perſius Flaccus; P. Papinius Statius, C. Valerius Flaccus; D. Junius Juvenalis; P. Virgilius Maro, M. Porcius Cato Cenſorinus; Q. Claudius Quadrigarius; Marcus Varro; C. Salluſtius Criſpus; M. A. & L. A. Seneca. Cornelius Nepos; Pompejus Trogus; T. Livius; C. Julius Cæſar; C. Vellejus Paterculus; C. Cornelius Tacitus; Valerius Maximus; C. Suetonius Tranquillus; Plinius Comenſis, M. Vitruvius Veronenſis; & inſtar omnium M. TULLIUS CICERO.

Et cui quæſo, qui in Hiſtoria literaria tantiſper verſatus, ignotum eſſe poteſt, ſcientias & artes ex Oriente ad Græcos ac Romanos perveniſſe! Poſtquam autem Romanorum Imperium diverſæ Gentes barbaræ quaſi inundarunt, exſtincta fuere ſtudia pedetentim, & per aliquot ſeculorum decurſum craſſiſſima ignorantia in Europa regnavit. Hinc ingraveſcente ubique barbarie per omnes fere libros veluti Lolium Tritico adnaſcebatur, imò in tota Europa plerique homines Literarum ac ſolidioris doctrinæ erant Inimici quaſi jurati. Qua ſeculorum ſterilitate magnis paſſibus ad tenebras craſſiſſimas Mortales contendere videbantur. Mirum itaque non eſt ſi omnia ſtudia quemadmodum in aliis Europæ partibus ita etiam in Italia optimorum ingeniorum alias fertiliſſima ſepulta prorſus ac neglecta jacuerint. Si ſcientiarum omnium magna eſt affinitas ac encyclopedia, nemini paradoxum videri debet, ſi Philologis, Philoſophis, Hiſtoricis aliisque Studiorum Cultoribus in magno & fere incurabili ſopore viventibus, hoc etiam morbo Theologi, Jurisconſulti atque Medici laboraverint. Quemadmodum autem Deus T. O. M. in horum temporum Homines maximum ſeveritatis exemplum edidit, ita etiam illi hanc caſtigationem proprio merito, nimirum ignaviâ, pigritiâ, atque malitiâ meruerunt, hinc ſtupor Animos, ac velut torpor quidam inſolitus membra plerorumque tenebat. Talis ubique deplorabilis erat ſtatus. Et cum ita in barbariem ac vaſtitatem ſtudia omnia abierant, Grammatici, Poëtæ & Hiſtoriarum perſcrutatores, cæteris Doctoribus quieſcentibus imo dormientibus, intermortuas ac fere ſepultas ſcientias ac Artes excitarunt. Hos Homines, Celeberr. Petrus Burmannus in Orat. anno præterito Leidæ habita pro Literatoribus & Grammaticis, ſolidiori doctrinæ proluſiſſe inquit, liberrimis & ridiculis, ſed ſententioſis & argutis, dictis, Jocis, Communibus & plebeis proverbiis, fabulis & narrationibus, quas avidiſſime vulgi aures imbibunt, Satyris, Mordacibus Carminibus, ludis etiam theatralibus, Neque vero, notante ingenue, Paleario, Italo Doctiſſimo, quicquam erat miſeris perditisque temporibus magna facta jactura, quod magis fortiſſimo Patrocinio indigere videretur, quam Philoſophia, cui

cui ornamenta omnia misere essent detracta : quæque olim in illustri Doctorum Hominum conspectu posita, jam locum in quo consisteret, non haberet.

Primam autem seriam artium ac scientiarum restaurationem Italis debemus, Francisco Petrarchæ, qui linguæ latinæ & græcæ studium incepit diligentissime excolere, quem secuti sunt, Æneas Sylvius ; Laurentius Valla ; Johannes Franciscus Poggius ; Leonardus Aretinus ; Gaspar Contarenus ; Paulus Manutius, aliique seculis innumerabilibus adhuc celeberrimi. Circa eadem tempora Docti Manuscripta Græca ac Latina è squalidis & pulverulentis altâque sordium multorum seculorum congerie repletis Bibliothecis extrahere, legere ac explicare ceperunt. Et cum in Germania Ars Typographica tunc fuerit inventa, & dein in Italia exculta, ad tantum perfectionis gradum, Romæ, Florentiæ, Venetiis, pervenit, ut illæ antiquæ editiones Librorum Theologicorum, Juridicorum, Medicorum, Philosophorum, Historicorum, Poëtarum, Grammaticorum aliorumque modernarum Bibliothecarum maximo nunc sint ornamento : Imo, Judæis Italis debemus impressionem Pentateuchi, Bibliorum Sacrorum, in Hebraica Lingua in Italia Typis ante annum 1478. impressorum. Ita etiam in Italia primò Libri in Lingua Græca, Chaldaica, Arabica, & Æthyopica fuere typis evulgati.

Circa finem Seculi XV. & initium XVI. Viri docti Barbariem adhuc regnantem funditus destruere ac expellere seriò conati sunt. Inter quos merito laudandus Jacobus Faber Stapulensis, qui ingenio felicissimo, hinc magna eruditione gaudens totius Europæ Scholam antiquissimam & celeberrimam Parisiensem a Barbarie totaliter liberare omni studio laboravit. Hinc a Viris istius temporis doctis faberrimus Faber vocari solebat. Ab hoc Homunculo genere staturaque perhumili, sed ab ardenti ingenio cum optimatibus haud dubiè conferendo totius Galliæ Juventus ad Literarum ac Studiorum culturam alacriter excitata est. Faber enim Ingeniorum appellari volebat, quum in omni fere doctrinæ genere aptissimus ad docendum haberetur. Inde Magnus Historicus Thuanus Fabrum Literis renascentibus facem prætulisse scripsit. Mirum itaque non est si ex ejus schola

innu-

innumeri ferè Eruditi Viri prodierint. Ipſe Galliæ Rex Franciſcus primus, in Hiſpania captivus, in literis ad Supremum Senatum in Gallia magnam Fabri eſſe apud Italos & Hiſpanos opinionem ejus doctrinæ ac virtutis teſtatur. Quia autem Viris doctis omnem deinceps benevolentiam præſtare cogitet, ideo mandare, ſi quæ ſit contra Fabrum poſt abitionem ſuam inſtituta lis & actio, ut ad Matrem ſuam, quæ ſit cum imperio, referant, quo per eam certior ipſe fiat, utque ſuam in eo mentem atque ſententiam exſpectent, neque longius progrediantur, & omnino ſuperſedeant, donec vel ipſe reverterit, vel aliud in eo Decretum Ipſe vel Mater fecerit. Ille eſt itaque Faber Stapulenſis qui Barbariem atque Ignorantiam e celeberrima Europæ Univerſitate, in qua ſpatio tot annorum imò ſeculorum ita tranquille requieverat, expulit feliciſſime. De eo Thomas Morus ad Eraſmum Roterodamum ita ſcribit : Jacobum Fabrum ſic obſervo, ſuſpicio, veneror, quomodo virum debeo, quo non aliquot ante ſeculis extitit quisquam literis ac virtute venerabilior, qui an plus adniſus ſit, ut præter ſacrarum literarum ſtudium, in quibus illuſtrandis utiliter eſt verſatus, ſcholas aliquando ab inepta iſta garrulitate atque abſurdis argutiis ad Sobriam ac Severam Philoſophiam & ad neglectas jamdiu diſciplinas traduceret, ambigo.

Redeo autem hic in Italiam, & noto Sapientiores in Philoſophia naturali didiciſſe in verba Ariſtotelis, Antiqui Magiſtri non amplius ſervili obedientia jurandum eſſe. Veritates enim Philoſophicæ non ab authoritate Philoſophorum, ſed a conſenſu obſervationum & ratiocinio phænomenis Naturæ convenienti dependent.

Hinc in Italia in omni genere ſtudiorum floruerunt, Pomponius Letus; Sabellicus; Fulvius; Urſinus; Eneas Vicus; Erizzo; Pirro Ligorio; Panvini; Thomaſini; Vignoli; Bianchini; Galilæus Galilæi, ejusque diſcipulus Toricellus; Benedictus Caſtelli, Zannichelli, Michaël Mercati, aliique. In Matheſi in ſpecie celebres ſunt Viviani; de Caſſini; de Guillelmini; Manfredi; Poleni; Zendrini; In Criticis Cælius Rhodiginus, Alexander ab Alexandro; Petrus Victorius; Conti; Recanati.

nati. In artibus ſic dictis liberalibus, Architectura, Pictura, Sculptura, Muſica, nomina Raphaëlis; Mich. Angeli; Titiani, Reni; Bernini; aliorumque fere innumerorum tam nota ſunt quam quæ notiſſima. Quis enim in anguſtis ejusmodi cancellis omnes enumerare vellet ſaltem memoria digniſſimos, propterea coactus ſilentio prætereo Jurisconſultos aliosque viros doctiſſimos, celeberrimos & omni laude digniſſimos.

A temporibns ſummi Pontificis Nicolai V. Societates in Italia Academiarum nomine ortæ ſunt, quæ ſtudiorum humaniorum & ſcientiarum cognitionem ita explanarunt, ut ad eorum exemplum aliæ nationes in Europa ad tantum perfectionis gradum pervenerint. Ejusmodi autem ſocietates in Italia ultra 500. ſub diverſis nominibus a duobus ſeculis ultimis facili negotio numerari poſſent, ſi ratio mei inſtituti id poſtularet. Sufficiat hic notaſſe, Jarckium in ſpecimine Hiſtoriæ Academiarum ſeu ſocietatum Eruditarum Italiæ Lipſ. in 12. 1725. eas circiter ad 520. redegiſſe. Academia di Ricovrati in Padua adhuc cum laude ſubſiſtit, in qua ſubinde ſermones Academici de rebus Phyſicis habentur doctiſſimi & acutiſſimi. Inter quos Ant. Vallisnieri Prof. Prim. in ea univerſitate Celeberrima de Origine Fontium numerandus eſt ſermo. Huc etiam pertinet Academia Muti Di Reggio, in urbe Modena, cui tanquam loco natali modo dictus Vallisnieri Orationem ſuam doctiſſimam de ſcala omnium entium creatorum, quam inſeruit hiſtoriæ ſuæ de generatione Hominis & Animalium impreſſ. Venet. 1721. dedicavit.

Tot ſocietates Doctorum in Italia argumentum præbent omni exceptione majus innumeros exiſtere in hac Europæ parte nobiliſſima Doctiſſimos ac Sapientiſſimos viros, quibus univerſa reſpublica litteraria multis nominibus adſtricta eſſe debet. Et quod mirabile eſt, in Italia floruerunt etiam Virgines ac Fœminæ in omnibus ſcientiis & artibus doctiſſimæ. Hinc etiam in Sena, Urbe Italiæ ſpectatiſſima inaudito exemplo Academiam ſequior ſexus formavit, cognomine, Aſſicurate. Hiſtoriæ autem litterariæ ſtudium uti in tota Europa, ita etiam in Italia nunquam ita fuit excultum quam a ſecu-

li ſpatio. Venetiis primò novellæ litterariæ fuerunt publicatæ, non autem typis editæ, ſed manu ſcriptæ, quia ſenatus Venetus non permittebat, ut Novellæ, cujuscunque generis ſint, typis exeant. Magliabechus Ducis Toſcani Bibliothecarius multa Volumina ejusmodi Novellarum Seculi XVI. aſſervavit. Poſtea autem prodierunt Giornale de Letterati, Romæ, Parmæ, Modenæ, & Ferraræ. Venetiis etiam ſeptem Volumina in Fol. ſub titulo la Galleria di Minerva, uti fuſius hæc recenſet Don Hiacinte Gimma in idea della Storia dell' Italia Letterata in duobus Tomis in 4to Neapol. 1723. Non minorem autem operam ad Medicinæ culturam Italos ab omni ævo quoque contuliſſe, tam certum eſt, quam quod certiſſimum. Quod enim Romani quondam ſub Catone cenſorio Medicos omnes, & urbe tota, & tota Italia pepulerint, falſiſſimum eſt. Hanc calumniam primus ex male interpretato Plinio ineunte ſeculo decimo ſexto evomuit acris ille litterarum litteratiſſimus hoſtis Henricus Cornelius Agrippa lib. de vanitate ſcientiarum cap. 83. Modo dicta calumnia pervaſit totam Galliam, hanc recoquente & propalante Michel de Montaigne dans les eſſais edit. Pariſienſ. 1640. in Fol. p. 503. ubi ita inquit: Les Romains avoyent eſte ſix cens ans avant que de recevoir la Medecine, mais apres l'avoir eſſayee, ils la chaſſerent de leur ville par lentremiſe de Caton le cenſeur. E quibus fontibus virulentum hoc malevolorum & ingratiſſimorum hominum odium in Belgium aliasque regiones propagatum eſt. Non defuerunt tamen Celeberrimi Medici a quibus dicta calumnia Apologiâ fuit depulſa. Quemadmodum enim Gallis Medicis apud ſenatum ſupremum cauſam dicere integrum eſt, Teſte Medico & Polyhiſtore Magno Guidone Patin qui bis apud judices ſupremæ curiæ Pariſienſis cauſas oravit, vid. ejus Epiſt. 9. & 42. edit. 2. ita etiam Carol. Drelincurt Regius olim in Gallia Medicus & tandem Profeſſ. in celeberrima univerſitate Lugd. Batava ſolenni die nonis nimirum Juliis 1671. apud Senatores Urbanos & Academicos cauſam non privatam ſed quæ omnium, Medicorum erat, contra illos egit, qui non minus falsò quam inju-

injuriose Medicos sexcentis annis Roma fuisse pulsos promulgaverant. Merentur etiam legi quæ de dicto fictitio meroque ac palpabili mendacio, maligne & turpiter excogitato, criminosè ac suspiciosè ab aliis accepto, in chartam conjecit Gaspar A Reies, Francus, Elys, jucund. quæstionum camp. Quæstione I. Veterrimi Authores Cicero, Seneca, Suetonius, Plutarchus, Horatius, Juvenalis, Martialis aliique mentionem faciunt multorum Medicorum Illustrium qui Romæ & in Italia proximis Catonis & sequentibus temporibus floruerunt, & sui memoriam maximis meritis immortalitati consecrarunt. Inter quos Principes sunt, Erasistratus, Herophilus, Antistius qui Julii Cæsaris Principis sui tribus & viginti plagis confossi cadaver in senatu perlustravit. Asclepiades Magni Pompei familiaris. Themison, & Augusti temporibus Antonius Musa, cui Romani juxta signum Æsculapii statuam ex ære statuerunt. Habuit eum in honore Augustus, quia ejus consilio & opera e graviori morbo evasit. Dedit ei non modo magnam vim auri & argenti, sed permisit eidem usum Annuli, Equitibus tantum eo tempore familiaris. Concessit etiam teste Dione Cassio Rom. Hist. lib. 53. Immunitatem non ipsi modo, sed omnibus eandem Artem Medicam exercentibus, & id quidem non ad præsens, verum etiam ad tempora futura. Præter eum etiam postea floruit, Aurelius Cornelius Celsus; Scribonius Largus; Andromachus Senior & Junior; Crina, ut nihil dicam de Cassiis, Calpitanis, Aruntiis, Albatiis, Rubriis, Ruffis, Soranis, multisque aliis Celeberrimis Medicis. Barbarie autem ante duo, & quod excurrit, secula ex Europa fere radicitus exstirpata, Medicina etiam diligentius non saltem in Gallia, Germania, Hispania, Anglia, Belgio aliisque Europæ partibus, sed maxime in Italia fuit exculta. Præcipui Itali qui ab illo ævo ad nostra usque tempora floruerunt sunt. Julius Cæsar Scaliger, illud Naturæ Miraculum, Erasmi Roterodami adversarius acerbus, Philosophus & Medicus incomparabilis, A Benivenius; Jacobus Carpus; Antonius Fumanellus; Andreas Thurinus; Joh. Manardus; Joh. Bapt. Montanus; Gabr. Fallopius; Bened.

Victor. Faventinus ; Donat. Anton. ab Altomari ; Hieronymus Fracaſtorius ; Joh. Argenterius ; Victor Trincavellius; Vidus Vidius ; Bartholomeus Euſtachius ; Hieronymus Cardanus ; Alexander Maſſarias ; Andreas Baccius ; Andreas Cæſalpinus ; Franciſcus Valleriola ; Hercules Saxonia ; Hieronymus Cappivaccius ; Hieronymus Frabit. ab Aquapendente ; Hieronymus Mercurialis ; Joh. Bapt. Corteſius ; Joh. Bapt. Porta ; Joh. Andreas a Cruce ; Ludovicus Septalius ; Proſper Alpinus ; Ulyſſes Aldrovandus ; Johannes Marinelli ; Sanctorius Sanctorii ; Joh. de Vigo ; Petrus Salius Diverſus ; Angelus Sala ; Julius Cæſar Claudinus ; Cæſar Magatus ; Julius Caſſerius Placentinus ; Joh. Bapt. Ferrarius; Benedictus Sylvaticus ; Dominicus de Marchettis ; Dominicus Panarolus; Proſper Martianus; Anton. Molinetus; Marc. Aurel. Severinus; Laurentius Bellinus ; Caſpar Aſellius ; Marcellus Malpighius; Joh. Raym. Fortis ; Georgius Baglivius. Joh. Maria Lanciſius ; Bern. Ramazinus ; Joh. Baptiſt. Morgagnus ; Lucas Tozzi ; Anton. Mar. de Valſalva; Joh. Bapt. Bianchus; Julius de Pantedera; Franciſcus Torti ; Vallisnerius ; Joh. Dominicus Santorinus ; Illi modo recenſiti, magnæ diligentlæ ac optimi judicii ſcriptores in omnibus Medicinæ partibus multa doctrinæ ac Sapientiæ Medicæ monumenta nobis reliquerunt. Optandum eſſet ut in omnium Eruditorum Medicorum manibus eſſent, & nonnulli theſaurum veritatum, qui in eorum ſcriptis continetur, excerperent, ac Valleriolæ locis communibus adderent. Tanta enim ſunt dictorum virorum Merita ut hotum nunquam ſine gratiarum actione Litteratos Medicos meminiſſe opporteat. Dolendum eſt, Lectionem Librorum Veterum a plerisque negligi, ita nimirum plerique novis propter Hypotheſium etiam ſæpe abſurdiſſimarum novitatem delectantur, ut Priſcorum Patrum Monumenta Medica fere ipſis ſordeant omnia. Juxta Fernelium tam peccant qui a veteribus perveſtigata omnia comprehenſaque eſſe contendunt, quam qui eisdem primam rerum cognitionem detrahunt, illosque de Veteri Doctrinarum poſſeſſione dejiciunt. Sunt tamen nonnulli qui Veterum Medicorum exemplaria diurna

urna nocturnaque manu verſare & frequentius vertere ſolent, hi etiam ſunt qui ex horum lectione didicerunt, quantum diſtent æra lupinis; Inter hos merito noſtra ætate nominandi duo Illuſtres & Excellentiſſimi Medici Hoffmannus ac Boerhave, qui in veterum lectione exercitatiſſimi, Conringii Magni Polyhiſtoris & Medici Excellentiſſimi, nec non Juris Germanici Magiſtri ut & Veſalii aliorumque Medicorum Celeberrimorum opera bibliopolarum tabernis elapſa, hinc rariora, typis novis ut deſcribant Librarii curarunt.

Paucis adhuc hic ſpecialius aliquid de Italorum meritis mihi dicendum eſt, præcipue quod Medicorum Studia attinet. Qui hoſpites ſunt in Hiſtoria Italiæ Litteraria, Tranſalpinos recentiores ad Phyſicæ, Anatomiæ, Botanicæ imò Medicinæ Practicæ Studium tantum contuliſſe, quantum Natio ulla in Europa contribuit, credere non poſſunt; Conſenſu autem omnium Philoſophorum experimentalis Philoſophiæ Studium quod noſtra ætate tantos fecit progreſſus, quoniam extraordinario ab omnibus fere nationibus in Europa excultum fuit, explorationibus atque inventis Italorum, Gallilæi, ejusque diſcipuli Toricelli unicè debetur. Uti Ruyſchius Anatomicus, in Belgio Maximus exſtitit, ita in Italia Celeberrimus Bianchi omnibus in Anatomiæ Studio ſua Anatomia artificiali facem prætulit. Vocatur autem ea, quæ Cerâ fit quâ corpus humanum ejusque ſingulas partes tam internas quam externas ita exactè repreſentat, ut ſpectatorum oculi facili negotio præter omnem exſpectationem decipi poſſint. Gaëtano Giulio Zumbo ex Sicilia Syracuſanus ejus fuit Inventor. Gallus autem Desnouës ad magnum perfectionis gradum hanc artem perduxit, uti fuſius patet, ex collectione Epiſtolarum quas Romæ 1706. in Octavo imprimi curavit. Dictus Desnouës Pariſiis quinque aut ſex demonſtrationibus ita Anatomiam in cerâ ſua colorata demonſtravit ut Curioſi Naturæ Scrutatores, qui ob nauſeam Anatomicis demonſtrationibus veris adeſſe nequeunt, libros Anatomicos cum utilitate legere potuerint: Tanta enim eſt Anatomiæ artificialis cum Diſſectionibus Naturalibus conformitas, ut etiam in Anatomia exercitatiſſimi fuerint decepti.

Swammerdamio & Ruyſchio Anatomiæ Profeſſoribus Amſtelodamenſibus Celeberrimis debemus, quidquid noſtris temporibus de viſcerum excarnatione, de ceræ varii coloris injectione in vaſa cujuscunque generis & viſcerum atque partium a corruptione defenſione, cui ſolidæ partes molliores valde ſunt obnoxiæ, Anatomici didicerunt. Opulentum ac Magnificum Armarium, quod ſpatio circiter XII. annorum Magnus Ruyſchius formaverat, nunc curioſiſſima pars eſt Pinacothecæ Ruſſiæ Imperatricis quam e Belgio Petersbourg Petrus Ruſſiæ Imperator Maximus, immortali Gloria digniſſimus miſerat.

Anatomia artificialis cerâ coloratâ inſtituta quia opifices peritiſſimos poſtulat, & nimis ſumptuoſa eſt, ideo demonſtrationes per injectiones diverſæ materiæ coloratæ utiliores magisque idoneas judicarunt Sapientiores & Peritiores Naturæ Scrutatores. In ejusmodi demonſtrandi modo ſupranominatus excellebat Joh. Bapt. Bianchi in Taurinenſi Univerſitate Anatomiæ Profeſſor Celeberrimus. In Tomo III. de la Bibliotheque Italique, demonſtrationes recenſentur, a Celeb. Viro 1724. & 1725. in Magnifico Taurineſi Theatro Anatomico inſtitutæ, quas compendioſe hic excerpere Operæ pretium erit.

Locus Theatri Anatomici tantæ eſt capacitatis ut aliquot hominum millia continere poſſit. Hora tertia pomeridiana initio demonſtrationis erat deſtinata, ſed horâ primâ poſt meridiem magno confluxu Homines omnium ordinum aderant, ut vix illi qui Magiſtratum gerunt locum aſſignatum attingere potuerint: Splendidiſſime Auditorium & ejus Cathedra Periſtromate ornatum erat, Menſæ Anatomicæ aliquot ordinatè etiam erant diſpoſitæ. Quatuor dictarum menſarum Arterias, Venas, ac Nervos e cadavere humano ſeparatos continebant, vaſa autem Sanguifera repleta erant injectione Ceræ, ſebi, & aliarum materiarum ſelectarum jucunde coloratarum operâ Andr. Verna Anatomici ac univerſitatis diſſectoris; & Medici Docti Mauritii Mori, Bianchi ſtudio informati. Dicta Organa ita ordinatè Periti Pictoris Operâ in Menſis erant diſpoſita, ut magna concinnitate corpus humanum repreſentaverint e venis, arteriis ac nervis contextum. Præterea etiam 24. Menſæ juxta

Naturæ

Naturæ Ordinem erant delineatæ; una earum repreſentabat Auris internas ac externas partes omnes ſepties majores quam in Statu Naturali cum exacta proportione, ut facili negotio hujus admirabilis Organi minimas particulas obſervare licuerit. Exiſtimarunt præſentes forſan nunquam figuram magis diſtinctam omnium partium Auris eo ordine ac ſitu naturali oculis fuiſſe exhibitam. Altera menſa oſtendebat baſin cerebri cum Origine diſtincta decem parium nervorum, eorum diſtributionem & implicationem tam internam quam externam & longe a Cranio tenerrimam. Duodecim ſequentes Menſæ exactiſſime ſecundum naturalem magnitudinem, & decies majorem, omnes oculi partes tam internas quam externas, continentes ac contentas, oſtendebant. Decem aliæ menſæ in magna objectorum varietate omnia phænomena Optices, Catroptices, & Dioptrices complectabantur, & ut curioſis ſatisfiat magis Menſæ magnæ Camera obſcura imponebatur, in qua imagines objectorum externorum videbantur.

Hiſce peractis ac ſermone doctiſſimo finito, in quo eloquentiſſime Naturam ſe ipſam ob oculos ponentem introduxerat Bianchi, Auditorium in magnam admirationem rapiebatur aſpectu corporis fœminæ gravidæ formoſiſſimo. Velo enim ſublato, quod illam tegebat, poſt excellentem diſcurſum de partibus externis corporis humani, omnem cutim & tegumenta externa Corporis iſtius fœminæ aufferre juſſit. Hoc quaſi momento facto muſculi Brachiorum, Pedum, Trunci in ſitu, figura, ac connexione naturali, apertoque Pectore & Abdomine, viſcera in proprio loco, & præcipue uterus fœcundatus in abdomine videbantur. Fœtus extrahebatur cum placenta & funiculo umbilicali. In ſuperficie inteſtinorum apparebant vaſa lactea, usque ad chyli receptaculum, quod ſimili injectione repletum erat. Ita etiam Principium, Progreſſus, ac diſtributiones canalis thoracici usque ad inſertionem in venam ſubclaviam ſiniſtram ope valvulæ ſemilunaris in ſenſus incurrebant. Ita etiam Cor, trachææ, Pulmones aliæque Corporis partes e pectoris cavitate trahebantur & iterum in naturalem ſitum reponebantur. Non

ſatis

ſatis admirari ac contemplari poterant ſpectatores ſinguli, tam admirabile & non exſpectatum objectum. Indicata autem & finita hac functione præliminari, fœminâ parvo temporis ſpatio ſuo habitu externo iterum exornatâ, omnes adſtantes fateri cogebantur, neque Taurini, neque alibi talem publicam functionem hucusque tanta dexteritate, accurata adminiſtratione, magnificentia atque ſplendore viſam fuiſſe. Sequentibus XX. lectionibus incomparabilis Anatomiæ Profeſſor totum Corpus humanum, partes poſt partes demonſtravit & expoſuit accuratiſſime, innumeris Auditoribus Litteratis ac Nobilibus accurrentibus. Ita etiam 1725. ſequente, in ſolenni curſus Anatomici aperturâ, & per totum decurſum Auditoribus Omnium Ordinum ſatisfaciebat optimè. Valde autem adjutus erat operâ Domini Guidoboni Artificioſiſſimi Pictoris Genuenſis, qui in Taurina urbe ſedem poſuerat. Merentur legi quæ fuſius loco allegato expoſita ſunt a pag 62. ad pag. 93.

In ſtudio veræ & ſolidæ Medicinæ Practicæ colendo Itali aliis nationibus certe non cedunt. Cirillus Med. Doct. & Prof. Primarius Neapolitanus, Ettmülleri opera omnia in V. Voluminibus in Fol. cum ſuis Notis doctiſſimis Neapoli imprimi curavit 1728. Sancaſſanus Medicinam priſtinæ puritati & ſimplicitati, in quo ſtatu Hippocrates eam reliquit, reſtituere corde, animo omnibusque viribus perſecutus eſt. Valisnierus exiſtimavit, nunquam futurum ut Ars Medica, in morbis debellandis, qui adhuc remediis non auſcultant incrementum capiat, niſi Hippocraticum obſervationum & experimentorum ſtudium, fere intermiſſum revocetur. Hæc etiam Mens erat Bianchi ſupra laudati, qui in præfatione Hiſtoriæ ſuæ Hepaticæ in hæc erupit verba: Quod ſi procul ab his fucis atque illuſionibus (Hypotheſium varietates intelligit) Ars noſtra poſt Auream Hippocraticam ætatem, quoquo inde ſeculo per aſſiduas nitidasque conſtantium Naturæ motuum obſervationes, atque ab ipſis duntaxat diagnoſeos & prognoſeos argumentis & incrementis alita, ſolidè luculenterque adoleviſſet an non a ſua illa felici infantia in florentem poſtea juventutem traducta jam prope maturitatis ſplendorem attingeret? Non ergo jure transactorum Medicinæ,

atque præſentium inprimis temporum tenebras, & infortunia dolebimus! quibus nempe tam paucos Hippocraticæ obſervationis ſectatores deprehendimus, atque ſuſpicimus, ut tota ſimul Europa vix aliquot hujuſce ingenii Viros, rarisque non niſi intervallis annorum obtulerit. Italia, Mercurialem, Martianum, atque Baglivium; Anglia, Sydenhamium; Gallia, Duretum; Hiſpania, Mercatum; Germania, Cratonem; Franciſcus Torti Med. Doct. & Prof. Mutinenſis 1712. tractatum de Chinæ Chinæ uſu Therapeuticæ ſpecialis ad Febres Periodicas Pernicioſas in lucem edidit. Statim habuit ſuos adverſarios qui publice tractatum ſuum refutarunt, contra quos Apologiam 1714. publicavit. Alius etiam Vir doctus eum Apologiâ quadam defendit. Mutinæ autem 1730. editio altera auctior ſuæ Therapeuticæ ſpecialis a doctis deſiderata in lucem iterum prodiit, in 4to. In hoc libro certe multa continentur e praxi clinica deſumta, quæ Febrium Pathologiæ ac Therapiæ veræ lucem tantam afferre potuerunt, qualem vix in omnium aliorum Scriptorum modernorum monumentis de Febribus deprehendere liceat. Mihi valde placuit quod Lib. II. Cap. VII. pag. 183. hiſce declaravit: Cardo, inquit, Praxeos verſatur non in multiplicitate, ſed in Electione Remediorum, ſimulque in opportunitate noſcendâ & captandâ occaſione. In iisdem propterea circumſtantiis idem morbus remediis iisdem ab uno Medico tollitur, ab alio non ita. Ordo quippe, ſeu tempus peculiare adminiſtrati remedii exitus varietatem parit. Ars quævis Mechanica paucis inſtrumentis perficitur, eademque iisdem a duplici Artifice inæqualiter exercetur, parium inſtrumentorum uſu diſpari diverſitatem faciente. Haud aliter modicus medicamentorum apparatus (quem in numero ſatis parco vere conſiſtere, & nihilominus ſufficere aliquando forſan oſtendam) in manu periti Medici, Morbis fere quibuslibet ſanabilibus ſanandis par eſt. Octo tantummodo voces Muſicæ, ſi rythmice diſponantur, concentibus omnibus, utut diverſis, edendis ſunt ſatis: inconcinne verò, vel intempeſtive prolatæ, & diſſonant, & harmoniam perturbant. In regenda ſanitate, quæ in fluidorum, & ſolidorum harmonia conſiſtit, Analogiſmi par ratio. Quæ Torti *Lib. I.*

 Cap. I.

Cap. I. pag. 5. & ſequentibus de innocuo Chynæ uſu ſcripſit, merentur ut hic in compendio recenſeantur, quia tam maſcule, vere & practice quam ab ullo Medico unquam ſcripta ſunt. Febrifugum præſtantiſſimum ait, ac ſumme innocens eſt Cortex Chinæ. Præſtans equidem præ omnibus, quia præ omnibus infallibiliter & celerrime Febres omnes intermittentes abigit, dummodo nulla partis alicujus ſolidæ læſio organica ſit morbi fomes. Inde fit, ut propinatis ſemel cuilibet Quartanario aut Tertianario drachmis duabus corticis, more maxime vulgari, in principio vel declinatione Febrilis acceſſus, poſſit Medicus absque ulla hæſitatione ſpondere, ultimum fore paroxymum illum, nec rediturum alterum. Quid citius? quid certius? Teſtari poſſum ait de experientia quinquaginta circiter annorum, quo temporis tractu ſemel tantum, vel bis, quod memor ſim in caſu Febris Quartanæ, absque ullo tamen Ægri detrimento, expectationem meam fefellit Cortex, ſiquidem NB. ille genuinus fuerit, quod nihilominus credere non recuſo. Sed quid tum? Quandoque per accidens materiam combuſtibilem non comburit ignis: numquid propterea non erit idoneus ad comburendum cum millies combuſſerit? Quod vero innocuus & inſons ille ſit, experientia pariter mihi ſatis demonſtraſſe videtur. Teſtor pergit coram Deo & Hominibus, quod & plures teſtantur de ſuis Ægrotis graviſſimi ſcriptores; nullum unquam ex meis Ægrotantibus periiſſe, quod ſciam, ob uſum Corticis, neque in morbum graviorem, ſed in leviorem fere ſemper etiam cum reciderit, incidiſſe; idque pariter mecum perpetuo animadverterunt, quotquot ſub me Praxin Medicam exercuere, & propria dein experientia ſejunctim noverunt. Si quid vero unquam incommodi accidiſſe fortuito viſum ſit, id certe non culpa remedii, ſuapte naturâ inſontis, tunc contigit, ſed ob intempeſtivam ſuppreſſionem Febrium plane Salubrium, & depurativarum, culpa videlicet Medici, remedium Febrifugum, ubi progreſſus Febrium remedii loco ſtabat, incaute offerentis. Quod de ſubſtantia Corticis ſemper innoxia a me deprehenſa tam fidenter aſſero, haud ita facile proferre poſſem de ullo alio Medicamento uſitatiore. Lib. IV. Cap. II. a pag. 311. usque ad 317. narrat

hiſtoriam morbi magni notabilem, quo 1696. laboravit, & conſentiente magno Ramazzino, ſex integras Corticis drachmas in vino paullo ante infuſas uno hauſtu felici cum ſucceſſu potaverat. pag. 388. Profeſſ. Mutinenſis Eruditis. Ferrarius, ejus vices ſupplens in Cathed. publica ita ad eum ſcribit: utere citra ullam ſolicitudinem per totum hoc fervidum, ut ſoles, anni tempus, Febrium licet Periodicarum ſupra morem ferax, utere inquam liberaliter, quo melius valetudinem tuam firmes, atque unde etiam prodeſſe non ceſſas, honeſtiſſimo ruris otio, cum abunde jam dederis unde febres æſtivas fere omnes etiam graviores & periculo plenas certo ſanemus. Manu tua medemur omnes a Te uno in hoc manuducti. Utinam vero methodum tuam omnes exacte teneamus in China China rite, opportune, ac, ubi tantum convenit, & prout convenit, adminiſtranda, Febresque dignoſcamus a Febribus, tempus a tempore, & modum a modo, quæ omnia utut dilucide a Te tradita fuerint, ac explanata, a cunctis nihilominus haud æque clare ſunt forſan percepta, unde identidem NB. abuſus emergit, nonnunquam vero & neglectus. Quid autem noſter Experientiſſimus Practicus ſuis ſcriptis ominetur, ingenue ſcripſit pag. 250. 251. & imprimis 252. & 253. Tanti viri Sapientia Medica ab omnibus veris & ſolidis Medicis eſt merito imitanda. Dolendum eſt nonnullos Magni Nominis Medicos in Germania innocentiſſimum remedium, Peruvianum ſcilicet Corticem, e foro Medico proſcribere conatos fuiſſe, quatenus operoſe ſtatuerunt illum in Praxi Medica plus nocumenti quam emolumenti edidiſſe. Qua opinione ipſi certe plus damni quam emolumenti effecerunt. Sic enim Medicamenta pro hypotheſium varietate ſua etiam habent fata, laudantur ab his & ab illis culpantur. Solidæ autem experientiæ hic habenda eſt ratio, ne in utroque peccemus. Eadem, quæ China, fata habuerunt in Germania generoſa opiata remedia. Ante quinquaginta & quod excurrit annos uſus Thee a duobus Magnorum Principum Germanorum Archyatris ita hyperbolice, quod alii ante me in Scriptis publicis etiam notarunt, laudatus fuit, non obſtantibus

aliorum Archiatrorum oppoſitionibus in ratione & experientia fundatis, unde tantus abuſus ille ortus, quem Sapientiores nunc animadverterunt. Notabilis eſt locus qui habetur pag. 259. du ſupplement de L'hiſtoire du Japon par Engelbert Kœmpfer Doct. en Medec. Allemand, Amſterd. in 8. 1732. ita audit: L'uſage du Thee, conformement au recit qu'en ſont les Japponnois, empeche & trouble l'effet des autres remedes, il eſt nuiſible & l'on doit ſurtout l'eviter dans cette ſorte de colique qui eſt ordinaire dans le pais. Linfuſion des feuilles trop nouvelles, qui attaque beaucoup la Tete en general, fait beaucoup de mal a ceux qui ont des inflammations aux yeux, comme l'experience la enſeignè. Ita etiam poſteritas Germanica tandem aliquando diſcet Venæ Sectionis abuſum è Sthalianorum Hypotheſi in Germaniam introductum, ſcopo autem magis curationis quam præſervationis, plus nocuiſſe quam profuiſſe. Quia in Patria noſtra, quod in Gallia ob climatis naturam magis licet, Homines non ita Venæ Sectiones ſemper & in tot morbis quibus adhiberi ſolent ferre poſſunt. De Salivationis abuſu in Germania fuſius dicere vellem, præcipue in expoſitione caſus notatu in Praxi digniſſimi, quo Hiſtoria exponenda eſt Viri Jlluſtris ac Generoſi carie oſſis claviculæ ſiniſtræ laborantis quem Medicus fruſtra Salivatione adhibita, mecum diſſuadentibus aliquot in praxi Exercitatiſſimis Medicis ac Chyrurgis, imprimis Magni Principis ac Electoris Archiatro Primario Celeberrimo, poſtquam enim Salivatio ſpatio duodecim Hebdomatum propinato aliquoties Mercurio, quo modo præparato neſcio, duraverat, cum fine Salivationis, Vitæ finis etiam immediate ſequebatur. Caries talis a quacunque cauſa ſive interna ſive externa oriatur præcipue in tali loco certe Mercurio ore aſſumto curari vel potius ſanari nequit, poſt ſectionem enimtota claviculæ ſubſtantia carie corrupta deprehenſa fuit. Utinam Medico innotuiſſet locus Petit, Medici Galli in oſſibus tractandis incomparabilis, traité des maladies des os, Tom. II. pag. 442. Edit. Pariſ. 8. 1723. ubi inquit, Les præparations du Mercure quon prend par la bouche ſont des remedes inſuffiſans, NB. toujours pernicieux dans L'exoſtoſe; Non ita ægrotum ſpatio temporis jam dicto inaudito

Sa-

Salivatione omni modo excruciasset, quem casum in Juniorum usum accuratissime alibi exponam. Silentio etiam hîc præterire non possum Gentis Germanicæ nimiam credendi facilitatem, qua quibusvis Circumforaneis, Alchymistis, Cultoribus Artis quæ sine Arte, cujus principium mentiri, medium laborare & finis mendicare ita facili negotio se credulos præbent. Theophrasti certè Paracelsi temporibus non tot in Germania reperti fuere Deceptores, Impostores, Crumenarum Magnatum emunctores, quot nostris temporibus ubique circumvagantur. Lutetiæ Parisiorum Teste Patin, & Petit innumeri tales Nebulones quoque inveniuntur. Ultimus lib. cit. Tom. II. pag. 443. ait; Toute la ville est pleine de ces Charlatans; les nombreuses affiches qu'on y voit de toutes part, annoncent des remedes certains pour toute sorte de maladies, & feroit croire aux Siamois que l'on ne doit point mourir a Paris, ils auroient même lieu de demender a quoy servent les Medecins, les Chirurgiens, & les Apotiquaires. Quid autem dicendum! Mundus vult decipi, decipiatur ergo. Tandem id nimis serò intelligent Homines;

Cum mala per longas invaluere moras.

Merentur attentionem verba Virgilii 3. Æn. V. 57. quibus exclamat.

Quid non mortalia pectora cogis
Auri Sacra fames?

& Propert. 3. Eleg. 12.

Aurum omnes victâ jam pietate colunt;
Auro pulsa fides, auro venalia jura,
Aurum Lex sequitur, &c.

Sed Aurum quocunque modo præparatum & ut Medicina assumptum tantum valet ad sanitatis conservationem & amissæ recuperationem, quantum Sisyphi inanes labores, quando versat Saxum sudans nitendo, neque proficit hilum. Qui Arcana, Panacœas, sic dictas Auri Tincturas miseris mortalibus dolosis ac impudentibus pollicitationibus offerunt vel potius more Agyrtarum credulis obtrudunt, nil nisi ægrorum crumenas pecuniâ exhaurire conantur.

Modernorum Italorum rerum Naturalium ac Medicarum Scrutatorum, v. g. Redi, Monti, Zendrini, Micheli, Michelotti, Vogli, Fantani, Mazini, Tillii, Giorgi, Pachioni, Pinelli, Bertini, Sacchi, Davini aliorumque labores in ſpecie hic intueri ob chartæ anguſtiam non licet. Eſſet autem optandum ut Italorum ſupra a me recenſitorum multa opera Medica, Theoretico-Practica de novo lucem aſpicerent. In Germania pleraque pluri- mis etiam recentiora ſunt incognita. Multum autem debemus in hoc Germaniæ meditullio Viro de Republica literaria optime Merito, Domino J. L. Koënig, Bibliopolæ Baſilienſi, Offenbaci in limine Celeberrimæ Urbis Francofurti ad Mœnum nunc degenti Famigeratiſſimo. Hic enim non ſaltem rariſſima opera in omni ſtudiorum genere, Antiqua & Recentiora ex Italia & Gallia ſumptibus magnis in centrum Germaniæ numero fere innumerabili transferri curavit, ſed etiam Libros rariſſime inveniendos nitidis typis iterum in lucem prodire ſtudet. Cum enim ſolertiſſime animadvertiſſet a multis doctis Medicis ſupra nominati Cæſaris Magati Libros duos de rara Medicatione vulnerum, ſeu de vulneribus rarò tractandis magnopere deſiderari, novam editionem nitidis typis commodiori forma in quarto adornavit & in publicum bonum cum Erudito orbe nunc communicat. Dum hæc ſcribo mihi mittit incomparabile opus Lanciſii poſthumum De Motu cordis & Aneuriſmatibus in duas partes diviſum, Romæ in Folio 1728. nitidiſſimis figuris & eleganti typo impreſſum. Erat hoc opus diu deſideratum & expetitum, eſtque a doctiſſimo Authore more ſuo doctiſſime ſcriptum. Cordis ſtructura ulterius in hoc opere illuſtratur, & qua ratione morbi inde oriundi præ- noſcantur & præcaveantur docetur. Hujus Libri mentionem fecerat author in Libro de repentinis morbis, & quidem in Scholio Obſervat. V. his verbis, poſſem hic de ortu ac diſcriminibus aneurismatum plura diſſerere, ſed quia nunc ſcholiorum brevitati ſtudendum, aptiorem illis locum, volente Deo, tribuemus. Huic Lanciſio Clementis XI. Pont. Max. Intimo Cubiculario & Archiatro debemus edit. Tabularum Anatomicarum B. Euſtachii, quas e tenebris tandem vindica-

catas & Summi dicti Pontificis Munificentia dono acceptas præfatione notisque illustravit, ac ipso suæ Bibliothecæ dedicationis die publici juris fecit, Romæ in Fol. 1713. Harum Tabularum Eustachius mentionem fecerat in suis opusculis Anatomicis Venetiis 1564. in 4to editis, pag. 68. de renum structura, hisce verbis: *Quemadmodum nostræ Anatomicæ Tabulæ anno salutis millesimo quingentesimo secundo æri incisæ patefaciunt.* Dicti Lancisii opus posthumum Dom. König propediem iterum nova editione in hominum manus dare statuit. Quod Magati opus attinet, non eget illud mea laude, uti vino vendibili hederâ suspensâ nihil opus est. Ita enim elaboratum ut per se placere debeat, & exoticam commendationem non desideret. De Authore tamen ejusque libris nonnihil præfari operæ pretium esse duxi, quod benevolo Lectori haud ingratum fore etiam confido. Natus est 1579. Scandiani; Vix fines infantiæ suæ egressus & plurimis, primisque literarum rudimentis applicitus, singulare ingenii specimen exhibuit. Inde ad humaniores properans miros in eisdem progressus ostentavit. Præmaturæ enim adolescentiæ limina attingens, Philosophiæ prius dein & Medicinæ Studium Bononiæ feliciter transegit, quo loco & publicas utriusque theses summa cum laude propugnavit, & tandem supremos in utraque Facultate honores est assecutus Anno 1597. annum ætatis circiter tum agens decimum septimum. Eadem postea in urbe annis aliquot perstitit Medicæ Artis Praxin observans apud viros Clarissimos Rotam, Claudinum, imprimis Cortesium. Romæ etiam Praxis Medicæ exercitationem apud viros Celeberr. firmiorem sibi comparare conatus est & magis adhuc Anatomicarum dissectionum & vulgaris Chirurgiæ, cujus studio maxime tenebatur, unde cum huic strenuam operam jugiter impenderet, Romanis illis Professoribus innotuit, ac ab eis raram vulnerum curationem hausit. Termino peregrinationibus imposito, in Patriam reversus, felicissime praxin in tunc temporis maxima & florentissima Italiæ Urbe, Ferraria dicta, exercuit, inprimis vulnerum apud alios deploratorum, plurimas curationes subinde aggressus est, & summa felicitate perfecit. Unde non obstante invidia maxi-

ma

ma 1613 de Cathedra Medicinæ in Almo Ferrarienſi Gymnaſio ipſi proſpectum fuit, publicis lectionibus raram vulnerum curationem quam Romæ obſervaverat, quæ autem ab Adverſariis ſuis ceu Empirica quædam doctrina traducebatur, non modo adſtruere ſed ad methodum revocare viſus eſt.

Huic indefeſſo labori debentur Libri duo, qui prima vice Venetiis apud Ambroſ. & Bartholom. Dei 1616. in Fol. in publicam lucem prodierunt. Secunda vice iterum Venetiis eadem forma apud Joh. Jacob. Hertz typis fuerunt deſcripti. Huic autem editioni acceſſit ab ejus Fratre Joh. Bapt. Magato conſcriptus tractatus, quo rara vulnerum curatio contra Sennertum defenditur. Hic Profeſſor Acad. Wittenbergenſis & Practicus Celeb. Practicæ Medicinæ Lib. V. Part. IV. Cap. IX. Editionis primæ in 4to 1634. de Cæſaris Magati & Ludovici Septalii curandi vulnera nova methodo judicium tulerat, eamque modeſte refutaverat, dum pag. 422. affirmat ſe nihil illorum laudi detractum velle. Frater Cæſ. Magati 1637. Bononiæ apud Jacob. Montium in 4to Conſiderationes Medicas, quibus potiores difficultates in Praxi contingentes expenduntur publicaverat. Fere ſub typis erat (inquit) tertia pars noſtrarum conſiderationum, quæ difficultates ad putridarum Febrium curationem attinentes complectabatur, cum illam partem Praxis Sennerti, in qua res Chirurgicas tractat, percurrens, in hoc judicium quod ipſe de ea curandi ratione protulit, incidi, gaviſus ſum valde, cernens modum hunc novum, qui jam in multis Italiæ locis, immo in illuſtrioribus ejus urbibus feliciter obſervatur, a viris doctis agitari; mutatoque conſilio ad alterum Tomum Quæſtiones de Febrium curatione rejiciens, in hanc arenam & ipſe deſcendere ſtatui, & in tertia parte hujus Tomi, hoc negotium conficere, mihi minime vitio dandum ratus, ſi a materia pulcherrima & digna in qua omnes elaborent, allectus, interrupto pauliſper noſtrarum conſiderationum ordine, nonnihil digrediar. Hæc itaque fuit Origo, refutationis Sennerti, quæ cum tertiæ, huic Cæſaris Magati Editioni accedat, plura de hac hoc loco recenſere meritó ſuperſedeo. Hæc Cæ-

ſaris Magati methodus raræ vulnerum curationis & Turundarum fere totalis ablegationis Ludovico Septalio ſuo coætaneo, Mediolanenſium Archyatro ita arriſit ut ipſam ad Praxin optimo ac felici ſucceſſu adhibuerit, & etiam in ſuis ſcriptis doctiſſimis poſteritati commendaverit. Inique etiam cum arte Medica ſe acturum judicavit Cæſar Magatus, ſi obſervationes ſuas novas, in experientia vera, & quidem antiqua Hippocratis, Galeni, Celſi aliorumque Experientiſſimorum Virorum, & ſolida ratione fundatas ulterius in tenebris, jacere, permitteret. Quare ut nova aut ſi mavis reformata hæc rationalis methodus ad poſteros & longinquos perveniat, onus ſcribendi ſubire decrevit, cui decreto optimo debetur ortus ac progreſſus tanti operis. Hinc etiam ſuo tempore non ſaltem per totam Italiam ſed per univerſam Europam inclaruit. In praxi clinica diligentiſſimus omnium circumſtantiarum ſecundum naturæ ordinem obſervator, & fideliſſimus in digerendis practicis commentariis Annotator; in lectione veterum ſcriptorum optimorum in ſpecie Hippocratis Exercitatiſſimus ac Peritiſſimus Medicus. O utinam Neoterici Medicinæ Cultores ejus eſſent Imitatores! O quantam Scientiam, Experientiam, Doctrinam, Sapientiam atque Prudentiam Medicam a Patribus Conſcriptis Scholæ Medicæ Græcæ diſcere ac haurire poſſent! Lectio enim operum Principis Medicorum Hippocratis Artis Saluberrimæ Veris Cultoribus non niſi valde placere poteſt. Galenus Stylo J. C. Scaligeri, Pontifex Maximus Medicorum, Methodi Medendi Lib. VII. Cap. II. inquit Hippocratem nobis omnium Salutarium præceptorum Semina præbuiſſe, poſtulare autem quæ ille reliquit, non malos Agricolas, qui ea tum ſeminent commodè, tum augeant, tum perficiant. Magnus Italiæ Medicus Baglivus Praxeos Medicæ Lib. II. Cap. III. more ſuo judicioſe notavit Scholam Coam inter cœteros viros eximios peperiſſe Hippocratem. Hunc Scholæ illius veſtigia ſecutum in obſervatione fuiſſe multum, in Hiſtoria Morborum fideliter exacteque delineanda diligentiſſimum, in Stabiliendis demum Præceptis practicis longo uſu confirmatis ſupra Cœteros Mortales Sapientiſſimum ac ferme mirabilem. Jlluſtris enim Hippocrates, quod in uno-

quoque Græco Doctissimo & Experientissimo Medico optimum fuit non saltem studio indefesso consecutus est, sed plurimas vel potius omnes Virtutes Medico necessarias ex se ipso extulit; immortalis ingenii beatissima ubertate. Ita ejus lectione jam delector ut mihi hac nihil sit prius nihil antiquius. Idque mihi vehementer dolet, quod præteritis annis superioribus lectionem diligentiorem Tanti Medici neglexerim. Mihi itaque post hanc ingenuam ac liberam Confessionem nemo vitio ut quidem opinor vertet, si Posteritati ad exemplum nostri Cæsaris Magati, Magni Hippocratis lectionem optimo modo suadeam. Erit enim illa lectio cuivis Medicinæ Solertiori Cultori utilissima, & repetita adhuc magis placebit, si ipsi jungat Celeberrimorum Virorum in eum animadversiones doctissimas: nimirum Foësii, Mercurialis, Zwingeri, Vallesii, Dureti, Martiani, Hollerii, Heurnii; addo etiam inter recentiores Celeberrimum Medicum Gallum Hecquet, qui nuperrime doctissime secundum Mechanica Principia in Hippocratem commentatus est. Præcipue ii immortaliter gaudebunt & vehementer lætabuntur, qui Gorræi Parisiensis definitionum Medicin. Libros XXIV. ex Officina A. Wecheli M. D. LXXVIII. in Fol. & Oeconomiam Hippocratis Alphabeti Serie distinctam apud A. Wecheli hæredes M. D. LXXXVIII. in Fol. nec non P. M. Pini Indicem in Hippocratis Opera Venetiis M. D. LXXXXVII. impressum in Fol. possident.

Neotericorum Labores in Theoria Medica laude sunt dignissimi, ratione Studii Physicæ Experimentalis, Mechanicæ, Anatomiæ, Chymiæ, quibus subsidiis, Mixtionis Chyli, Sanguinis, Salivæ, Bilis, Urinæ, Seminis aliorumque fluidorum in corpore humano existentium corporum; Structuræ autem, fabricæ, ac contextus omnium humani corporis partium, profundiorem cognitionem nobis facilitarunt, quam veteres hisce Mediis destituti attingere non potuerunt.

Quod vero Medicina ab ultimis duobus Seculis in suo perfectiori progressu multum fuerit impedita ac retardata præcipuè ratione Praxeos, non nisi diversarum Hypothesium infelicibus natalibus adscribendum esse firmiter credo. Cui enim

enim ignotum, quantum Arti Saluberrimæ nocuerint opinionum divortia? Quem enim latet, quantas turbas Paracelſus in Medicina ſuis novis cauſis plerorumque morborum à Sulphure, Sale, Mercurio & Tartaro derivandis excitaverit? ut nihil dicam de aliis ſuis opinionum Commentis, Nugis, Barbaris, falſis ac Monſtroſis Dogmatibus, quæ literis mandare non erubuit. Quibus novis opinionibus, quam abſurdæ etiam fuerint, brevi temporis ſpatio tamen confecit, ut magnum diſcipulorum numerum acquiſiverit, qui Chimici appellari voluerunt, & poſtquam cum Galenicis diu acriter dimicarunt, eos penitus fere extirparunt. Hunc Paracelſum Magnus Hermannus Conringius Introd in Art. Med. Monſtrum Hominis & in perniciem omnis melioris Eruditionis natum dixit. Mihi aliquando cum attentione Paracelſi Opera perlegenti protinus in mentem venit, quæ olim in Carteſii methodo recte utendi ratione & veritatem in ſcientiis inveſtigandi legiſſe memineram. Ita inquit Vir Sapientiſſimus: Gloriam etſi, non plane ut Cynicus aſpernari me profiterer, illam tamen non magni faciebam, quæ non niſi falſo nomine, hoc eſt, ob ſcientiarum non verarum cognitionem, acquiri poſſe videbatur. Ac denique jam ſatis ex omnibus, etiam maxime vanis & falſis deguſtaſſe me judicabam, ut facile caverem ne me unquam vel Alchymiſtæ promiſſa, vel Aſtrologi prædictiones vel Magi impoſturæ, vel cujuslibet alterius, ex iis qui videri volunt ea ſe ſcire quæ ignorant, inanis jactantia fallere poſſet. Memorabile eſt quod Conradus Gesnerus, Tigurinorum decus immortale & totius Europæ ornamentum, Vir Pius & omni virtutum genere ornatiſſimus, Monſtrum Eruditionis ut ait J. C. Scaliger, vitio carens, in Libri de Chirurgiæ Scriptoribus pag. 408. M. D. LV. in Fol. Tiguri impreſſo de Paracelſo notavit. Theophraſtus Paracelſus, inquit, noſtro tempore vixit, qui veterum omnium placitis contemptis multa nova in Artem Medicam inducere conatus eſt, & Medicinam per diverſas Helvetiæ, Germaniæ & Poloniæ regiones vagabundus exercuit, dum pecunia careret, qua modica acquiſita vino & ludis deditus ut Conſtans fama eſt nemini medebatur; Dæmone utebatur familiari, ut ex ejus diſcipulo audivi, vir natura & elo-

eloquentia quam literis & ſtudio doctior: prorſus inconſtans, nunc Theologus, nunc Medicus, nunc Magus, ſæpe compotator & aleator inter ruſticos. Audio tamen multos paſſim ab eo in morbis deſperatis curatos, & ulcera maligna ab eo feliciter ſanata. Callebat enim Chymiſticam Artem, qua liquores, ſuccos, olea, de Antimonio præcipue, & alia mirabilia Medicamenta parabat. Itaque in ſcriptis ſuis obſcurus eſt, tum aliâs, tum ſua remedia & ſuis nominibus ſæpe nominans. Latine nihil edidit ob imperitiam Linguæ, Germanice verò impreſſa eſt Chirurgia ejus Magna in Folio, Ulmæ 1536. & ſequente anno etiam Auguſtæ. Hoc Teſtimonium omni exceptione majus hic eo lubentius communico, quia ob Libri forſan raritatem nullibi allegatum in Hiſtoriæ Medicæ Scriptoribus mihi obſervare licuit. Guy Patin dans ſes letres Chois. Lettr. 58. ita ait Avez vous oui dire, que le Paracelſe ſimprime a Geneve en quatre Volumes in Folio: Quelle honte qu'un ſi mechant livre trouve des preſſes & des ouvriers, qui ne ſe peuveut trouver pour quelque Choſe de fort bon. Jaymerois mieux qu'on eut imprimè L'Alcoran, qui nes pas ſi dangereux, & qui au moins ne tromperoit pas tant le monde. Poſt hunc Paracelſum ſecutus eſt Helmontius notiſſimus qui per ignem inſolenti titulo Philoſophus dici maluit; hic vocabula Archæi, Fermentationis, & Fermentorum in Medicinam præ aliis maxime introduxit, & omnes in corpore humano actiones & functiones ab illis fieri putavit. Quamvis autem Helmontii perniciſſimum fuerit dogma, acidum in ventriculo eſſe Fermentum non ſaltem digeſtionem alimentorum perficiens ſed & plurimos morbos producens, unde errores fere innumeros in Praxin Medicam introduxit, nihilominus tamen Celeb. Guidonem Patinum Volum. I. Epiſt. III. nimis aſperè eum perſtrinxiſſe (quoniam etiam ſua habuit merita) exiſtimo, quando ita inquit. Pour van Helmont, c'eſtoit un meſchant pendart Flamand, qui eſt mort enragè depuis quelque mois: Jl na jamais rien fait qui vaille. Jay vu tout ce qu'il a fait. Cet homme ne meditoit, qu'une Medicine toute de Secrets Chymique & Empirique, & pour la renverſer plus vite, il s'inſcrivoit fort contra la ſaignée, faute de laquelle pourtant il eſt mort phrenetique.

Qua

Quales absurdas Doctrinas, quales opiniones novas, ne dicam opinionum monstra, quæ placita, & quas Hypotheses, Petrus Severinus, Oswaldus Crollius, Scheunemannus, Campanella, Joh. Rogertius, Robertus Flud, in Medicinam introduxerint, recensuit fideliter & compendiose Joh. Conr. Barchusen in Libro Doctissimo de Medicinæ Origine & progressu a pag. 397. usque ad 476. Edit. in 4to 1723. Tachenius Fundamenta Medicinæ in acido & Alkali ponere studuit. Acidum omnium morborum causam constituere existimarunt Willisius, Sylvius, Bontekoe, & horum multi discipuli, qui ubi de causis morborum agunt, vel fermentum, vel acidum, Sanguini visciditatem, coagulationem, vel effervescentiam inducens accusarunt. Inde factum esse judiciose judicat Heisterus in sua Inaugurali Oratione, ut perniciosissima hacce Hæresi totius fere Europæ Medici infecti fuerint, ita ut nullus haberetur bonus Medicus qui non secundum hæc Principia Praxin exerceret. Imò ipsos Chyrurgos Medicorum ministros, Barbæ Tonsores, Balneatores ac circumforaneos omnes, ubi de causa Tumoris, Ulceris, aut alius Externi morbi forte interrogabantur, gravi atque alto supercilio respondisse; acidum in hoc morbo peccare, hoc alcalicis esse destruendum, hocque modo se rem bene gessisse imò rem acu tetigisse, eos autumasse, cum nihil nisi fumos vendidisse comperti fuerint.

Circa medium seculi præteriti incomparabilis floruit Galliæ Philosophus Cartesius, vir acutissimi ingenii. Qui uti nova Principia Physica ingeniosè excogitaverat, ita secundum hujus Philosophi Hypotheses, Medicinam explicare conati sunt; Benjamin a Broeckhuysen; Theod. Craanen; Waldschmid, aliique, qui Arti Saluberrimæ in Theoria novam dederunt faciem. Silentio præterire lubentissime vellem Medicos nonnullos, qui Seculo præterito posteritati hypothesibus singularibus sui memoriam omni opera commendare conati sunt, nisi eorum Manes meum silentium sinistre interpretaturos timerem. Wirdigium itaque primo loco nomino, qui in Medicina nil nisi spiritus peperit: Dein Dolæum qui Reges suos, nimirum Cardimelechem, Microcosmetorem, Gasteranacem

nacem ineptè ac craſſiori musâ, in medium produxit & poſtea tanquam re bene geſta, ſed incaſſum defendere conatus eſt. Quemadmodum autem præcedentes Hypotheſes pleræque Cerebroſæ imo etiam Stomachoſæ merito erant nominande, quid vetat, ut ſequentem Verminoſam appellem! Poſtquam enim Celeberrimi Viri Leeuwenhoek, Andry & Hartſoeker in ſanorum virorum ſemine, optimorum microſcopiorum ope innumeros vermiculos obſervaverant, ac repetitis experimentis & obſervationibus veritas hujus novi inventi confirmata fuerat, nova orta eſt hypotheſis in generationis negotio. Leeuwenhoek in tractatu ſuo de generatione Animalium opinatus eſt hominem non ex ovulo, ſed ex animalculo in ſemine virili contento oriri. Duorum etiam generum animalcula ipſi in ſemine genitali maris viſa, conjectat, alia maſculini alia fœminini generis eſſe. Andry autem in tractatu de vermium generatione Cap. XI. ita negotium explicat; vermiculos inquit ſpermaticos, ſeparato prius ab ovario, & delapſo in uterum ovulo, ultro citroque uteri cavitatem perambulare, tandemque dicto ovulo fieri obvios, idemque gyrare ſupergredique. Præter hæc conjectat ovulum in extremitate, qua ovario adhæſit, habere foramen tantulum, juxta ac pomum decerptum a pediculo cui adnectitur, ſejunctum: in hoc tandem unicum vermiculum irrepere, occludere, quem deinde, ſepoſita cauda, ſicut hoc ranulis uſu venit, transformari verum in homunculum; exire autem modo memoratum vermiculum ex ovulo non poſſe, quia valvula id impediat, quæ quidem ingreſſum ei permittat, ſed deneget exitum. Cæterum denique vermiculorum ineffabilem numerum mori, præterquam quod alii plura ovula ad ingrediendum apta inveniant. Acutiſſimo autem Hartſoekero veriſimile videtur, ejusmodi punctum albicans, (cicatriculam vocant) quod in avium ovis obſervamus, fœminarum ovis itidem ineſſe, & hanc cicatriculam nihil aliud eſſe, quam parvulam cellulam, aptam ad unum ſeminis virilis animalculum hoſpitio accipiendum. Etenim ſive locus fuerit tantulus, ut ab uno ſolum animalculo occupari poſſit, ſive via, poſtquam unum intravit, occluda-

tur,

tur, ovulum, quod ex ovario per tubam in uterum decidit, & dictum animalculum suscepit fieri fœtum, nutririque primum succo lento, quale ovi album est. Siquidem vero succi tantum, quantum fœtui perficiendo ad nutriendum opus est, non insit ovulo; eapropter, putat, id ipsum, ovulum intervenientibus iisdem papillis, quibus antehac ovario affixum erat, jam nunc interiori uteri membranæ glandulosæ adhærere indidem alimentum, quantum ipsi pro nutricatu sufficit capere. Recensitam Hypothesin Novam alii non saltem in dubium vocarunt, sed absolute negarunt. Inter hos Celeberrimus Theodorus Zuingerus, Helvetiæ Æsculapius, olim Hospes, Doctor & Ductor meus in Praxi optimus, nunc piæ memoriæ & a me ad cineres usque colendus Fautor Maximus in compendio suæ Medicinæ Universæ Basil. Edit. 1724. pag. 115. ita inquit: Curiosiores Medici hodierni suorum ope microscopiorum viva in hoc liquore animalcula s. vermiculos deprehenderunt, eorumque uni grandiori conceptus & formationis negotium, tanquam causæ efficienti adscribere vermiculoso conatu sategerunt. An vero in omni semine virili talia existant animalcula dubitandi rationes non desunt. In semine corrupto hominum lue Venerea, Scorbuto, Lepra, &c. affectorum concedi forsan, in aliorum vero magis sanorum genitali liquore negari possunt. A vermiculo autem qui fœcundationem ovuli in fœmina produci contendunt, eorum, vermibus cerebrum scatere, hincque verminosam nimis hanc opinionem esse credimus. Hanc celebrem Hypothesin copiosè examinavit Celeb. Italus Medicus & Prof. Vallisnieri in sua Istoria delle generazione dell' Uomo & degli animali 4. Venezia 1721. Examinat accuratissime Vir Ingenii acutissimi, & judicii solidissimi rationes omnes eorum, qui putant vermiculos seminales generationis negotio inservire. Non erat amplius quæstio de horum existentia, hodie ab omnibus recognita, sed de eorum usu. Vallisnieri idem sentiebat quod Listerus, uti ipse fatebatur 1713. in Epistola ad Gallum doctissimum & acutissimum Philosophiæ Naturalis cultorem Bourguet. Nimirum Vermiculos Seminales Spermati non essentialiter sed accidentaliter inesse. Et quidem

dem non aliter ac vermes longi, rotundi, lati & aſcarides, aliique in corpore humano exiſtunt, creſcunt, multiplicantur, vivunt ac moriuntur. Exinde conjecturam trahebat vermiculos ſemini inexiſtere ad ejus liquiditatem motu illorum perpetuo conſervandam. Eodem Anno 1713. Venetiis prima vice Valisnieri Vermes Seminales in Societate Marchionis Maffei & Domini Bourguet Membri Societatis Regiæ Scientiarum Berolinenſis vidit. Merentur cum attentione legi ejus Lettres Philoſophiques à Amſterdam 1729. in 8vo, & quidem Lettre 3. ſur la generation des plantes & des animaux. Etiam ejus Epiſtola de vermiculis ſeminalibus ad Collectorem Bibliothecæ Italicæ Tomi IX. a pag. 209. ad pag. usque 214. Lectione digniſſima quoque ſcripta eſt, a Neufchatel le 28. Juillet 1731.

Duobus itaque illis Viris Acutiſſimis debemus Gloriam iſtius Novi Syſtematis in quo Prudenter & Sapienter refutatur vermiculos Seminales ad generationis negotium aliquid contribuere. Huic etiam Vallisnieriano & Bourguetiano Syſtemati lubentiſſime ſubſcribo, nullusque dubito, quin omnes Sapientes, qui ordine res naturales demonſtrare didicerunt, verminoſum abſurdum ſyſtema tandem derelicturi ſint. Mihique ſemper placuit Virorum Doctiſſimorum Sententia, qua omnia Animalia adeoque & hominem ex ovulo produci ſtatuerunt, ut & Celeb. Bohnii diſtinctio qua alia Animalia ova intra, alia extra ſe fovere docet. Et uti experimentis ac obſervationibus conſtat in Plantarum Seminibus totam Plantulam contineri, ita ad minimum veroſimile ac probabile eſt, in Ovulis omnium Animalium corpuſcula integra cum omnibus ſuis Partibus Organicis deliteſcere, & non niſi ratione magnitudinis à fœtus adultioris partibus differre. Experientia multijuga Naturæ Scrutatores didicerunt, fœtum abortivum unius menſis non ſuperare imo vix æquare Formicæ majoris menſuram, in quo diſtincte cernere licet caput, truncum & artus, oculis etiam non microſcopio armatis. In fœtu autem abortivo inter ſecundum ac tertium menſem qui ordinario non duos totos pollices mechanicos longus eſſe ſolet, in manibus & pedibus digitos, in capite labia, nares, oculos & aures imo etiam ſexum diſtincte cernere poſſumus.

mus. Corpusculum itaque hominis in ovulo delitescens cum ovario per appositionem succi nutritii in majorem molem crescit, & succedentibus annis talem acquirit magnitudinem, qualem Creator ac generis humani Conservator aptam esse sapientissime judicavit, ut fœcundari possit. Conceptionis autem ac fœcundationis nomine non formationem Structuræ, Fabricæ ac Contextus admirabilis Corpusculi Organici intelligendam arbitror.

Hæc enim formatio unicum Authorem, Deum T. O. M. agnoscit, qui in Principio omnium mortalium corpuscula in tanta exilitate produxit, ut sensuum nostrorum & omnem mentis ac imaginationis aciem fugiat. Opus saltem est ad conceptionis ac fœcundationis negotium certa vi ac determinata activitate, ut vitalis in ovulo vel potius in hoc delitescente corpusculo motus excitetur, qui non nisi a Liquoris Seminalis activitate in generationis admirando & occulto negotio derivari potest. Conceptio itaque contingere videtur, quando in actu Venereo liquor Seminalis naturaliter est constitutus & omnia ad hoc negotium pertinentia organa in utroque Sexu secundum Naturæ Ordinem sese habent. Actiones inde orientes cum naturaliter pertractantur. nihil aliud ut ego quidem arbitror requiritur, quam ut singulæ Corpusculi ad uterum ex Ovario per tubam Fallopii devoluti eique adnexi Particulæ nutriantur, & continua Succi Nutritii appositione in dies augeantur, unde magis ac magis extenduntur dum sese explicant & evolvunt, usque dum aptum natum sit corpusculum humanum ad exclusionem per partum. Qua ratione autem Anima Rationalis Corpori Organico suo uniatur res est tam obscura quam quæ obscurissima. Probabilia ac Verosimilia sunt, quæ nonnulli Acutissimi ac Sapientissimi Viri de hac materia difficillima in chartam conjecerunt, non autem possunt dici certissima ac verissima. Non enim scire velle debemus, quæ Deus in hac vita Mortalibus dilucidè ac perspicuè revelare noluit, immensæ enim Sapientiæ placuit Hominibus certos Scientiæ ac Cognitionis limites ponere, quos transgredi conari, esset, quasi animus inaniter & effuse exultare vellet.

Multa tegit Sacro involucro natura, neque ullis
Fas eſt ſcire quidem Mortalibus omnia multa
Admirare modo, nec non venerare: neque illa
Inquires quæ ſunt Arcanis proxima: namque
In manibus quæ ſunt, hæc nos vix ſcire putandum:
Eſt procul a nobis adeo præſentia veri.

Ita judicat incomparabilis Fernelius Henrici II. Franciæ Regis Archiater Lib. II. Cap. XVIII. de abditis rerum cauſis. Lancíſius Summi Pont. Clementis XI. Archiater Myſteria Naturæ ita abdita eſſe exiſtimat, ut partem Sapientiæ humanæ maximam in eo conſiſtere judicet, ſi lubenter fateamur nos maximam partem ignorare. Jlli qui in Scientiis Naturalibus ac Mathematicis ſeſe exercent, optime ſciunt, rariſſimum eſſe progredi poſſe, ut non invenias aliquid, quod ſit infinitum, aut ut Carteſio placuit, indefinitum, quaſi Author Naturæ & omnium Veritatum, omnibus rebus Attributi ſui Principalis Sigillum imprimere voluiſſet, vid. Nieuwentyt de l'exiſtence de Dieu, Amſt. 1727. pag. 360. Eſtque, notante Muſſchenbroek in Orat. de certa methodo Philoſophiæ Experimentalis, tanta diverſiſſimorum in hoc univerſo Copia ac Ubertas, ut quamvis omnes Mortales per Millia Seculorum examinandis iis tantummodo occuparentur, nunquam tamen exhauſtum foret hoc Copiæ Cornu. Quemadmodum in Philoſophorum Scholis Hypotheſes ſuas habuerunt viciſſitudines, a Thalete usque ad noſtra tempora, ita etiam in Medicina pro opinionum diverſitate Theoria Variationi valde fuit obnoxia. Fermentorum & Fermentationis Doctrina jam dudum deferbuit, præcipue poſtquam Clariſſ. Geuderus in diatriba de Fermentis Variarum Corporis Animalis partium ſpecificis & Particularibus, Varia ex modernorum placitis de eorum exiſtentia & operandi modo dubia propoſuit, in rationes probandi libere ſed modeſte inquiſivit ac phœnomenorum & effectuum ab his dependere creditorum complurium explicationem ex dictis Modernorum Placitis tentavit. Principiorum Acidi & Alcali inſufficientiam Bohnius demonſtravit ex profeſſo. Et cum jam recenſitæ Principaliores Hypotheſes innumeris laboraſ-

boraſſent difficultatibus, mirum certe non erat, ſi vel plane excuſſæ fuerint, vel, ea cum erant conditione, illarum Memoria ſenſim obſcurata ſit, ut fere evanuerit. Noſtra enim ætate Medica Theoria fere ad duo Principia eſt redacta, quorum unum e Sthalianorum alterum è Mechanicorum Scholis Originem habet. Quod Celeberrimum Sthalium attinet Fundator eſt novæ Theoriæ Medicæ; Quamvis enim in veterum nonnullorum monumentis veſtigia aliqua hujus doctrinæ exiſtere Ipſe ac nonnulli alii voluerint, a nullo tamen eo ordine ac connexione Theoria Sthaliana expoſita fuit. Jlluſtris Sthalius Regis Boruſſiæ Primus Archiater a prima fundatione Academiæ Hallenſis Celeberrimæ Profeſſor Diligentiſſimus, ſpatio triginta & quod excurrit annorum ſuas novas Hypotheſes cum erudito orbe in multis ſcriptis communicavit. Tantum applauſum ejus doctrina ſtatim invenit, ut fere innumeros diſcipulos habuerit, quibus magnam Germaniæ aliarumque Regionum partem replevit. Imo etiam fuerunt Medici Practici qui lectione Scriptorum Sthalii, priora ſua Principia deſeruerunt & Sthaliana Placita agnoverunt. Circa novæ hujus doctrinæ natalitia, Academica mea ſtudia fere abſolveram, & cum in Philoſophia æque ac Medicina Veritatibus inquirendis aliquot annorum ſpatio occupatus fueram, magna etiam attentione ac cupidiſſime omnia Sthaliana aliorumque ad ejus mentem differentium ſcripta veritatis inveniendæ ſpe diurnis nocturnisque horis verſavi. Cum autem a Carteſio ab incunabulis Studii mei Philoſophici præeuntibus Doctoribus Celeberrimis, N. Gürthlero J. H. Suicero, & J. Bernoulli a Carteſio didiceram nihil admittendum eſſe, quod non clare ac diſtincte perceperim, ideo in Sthaliano Syſtemate Caſtra hactenus ponere non potui, quamvis virum Celeberrimum ob Meritorum ſuorum magnitudinem carè æſtimem. Exiſtimat Theoriæ ſuæ Medicæ firmiſſima fundamenta conſideratione Corporis, quatenus id mixtum & vivum eſt, inniti. Corpus humanum ad nihil aliud aptum eſſe, quam ut Animæ, tanquam inſtrumentum quoddam inſerviat. Ut autem id juſſa Animæ patrare poſſit, conſtare debere ex omnis generis organis, ſolidis & fluidis partibus, præſertim

vero flexibilibus. Vitam corporis esse conservationem partium solidarum & fluidarum ab omni corruptione, cui respectu materiæ valde obnoxiæ sunt. Hanc conservationem fieri absolutè motu, quem revera esse rem incorpoream, Corpori adjunctam, generice ejusdem indolis & habitudinis qualis ipsa Anima est. Animam generalissime esse aliquid activum; generaliter aliquid movens; & specialissime aliquid intelligens. Eam Rectricem esse omnium actionum quæ in Corpore fiunt, imo omnia, quæ Corpori vivo usui veniunt, prudentia sua gubernare ac moderari. Verbo, Animam suum artificiosissimum Corpus struere, in eo motus vitales, tam in sano quam morboso statu per organismum administrare. Hanc Animam vigilantem, dirigentem, regentem, propugnantem, esse illud activum & effectivum in Corpore vivo Principium, quod plerique Medici Naturam vocare solent. Morbum esse actum, ab ipsa Anima, materiam perniciosam expugnandi gratia, susceptum, hinc ad vitæ conservationem summe necessarium. Febres omnes, excepta Peste, esse intensiones Motuum Vitalium secretoriorum & excretoriorum ab ipsa natura humana, seu Anima, vitaliter movente, ad conservationem Corporis institutas, directas & ad effectum perductas. Clarissimus Barchusen, Dissert. Medic. XXV. mirum dictu, inquit, quantopere Sthalio hæc sibi Febrium Theoria placeat, & quam Ostentationem Scientiæ suæ literis ultro citroque prodidit: pergit in eadem pag. 590. Quanquam Clarissimus Author passim inventa sua, quibus Theoriam Medicinæ ditavit, extulerit, ac gloriosius de se ipso prædicarit; tamen non possum non heic perscribere, quæ literis mandavit pag 22. Disput. de Febr. Pathologia in genere. Ego sane, scribit, Disputationis Præses, cujus est hæc Hypothesis, provoco confidentissime ad universi Orbis Practicos, e qua Hypothesi ante aut extra hancce meam, bona fide, cordate, nedum distincte & connexe deduci potuerit, vel solum ὅτι, quod in Febribus pleræque commotiones sint activæ, contra materiam Corpori noxiam directæ: eidem ex amussim quadrantes: & quidem non ad ejus difficiliorem, plus moræ requirentem, imò interdum impossibilem, alterationem tenden-

den-

dentes; ſed ad evacuationem naturarum reſpicientes, & ſi nihil ex accidenti impediat, pervenientes. Nedum, ut ex alia Hypotheſi quacunque illi parti τȣ̃ φύσει, quibus Mechanicis aptitudinibus hi organici effectus deducantur, vel minima lux affulſiſſet. &c. vid. etiam Theoria Medica ejusdem, & notæ, quas nuperrime ad Satyr. Harv. in chartam conjecit. Quod autem univerſi orbis Practici (intelligo Exercitatiſſimos, Celeberrimos, ac Doctiſſimos Practicos) ſuæ Hypotheſi non ſubſcripſerint, veritas tam nota eſt, quam quæ notiſſima. E multis mihi inſtar omnium ſint, duo Jlluſtres ac Celeberrimi hujus ævi Practici, Hoffmannus atque Boerhave; Prior fuſius hinc inde in Syſtem. ſuæ Medicinæ Tom. I. & II. Poſterior Succincte, Sincere, ac more ſuo Modeſte, in Pathologia de Morbi Natura §. 696. & 697. Edit. Pariſ. 1722. ubi ita inquit: Status Corporis viventis tollens facultatem exercendæ actionis cujuscunque, vocatur morbus. Nec mentio Animæ facta in hac definitione; quia Corporis ſtatum determinatum idem Animæ ſtatus individuè comitatur; & quia Medicina, in ſolum Corpus agens, conſuetas Animæ conditiones reſtituit, tum etiam quoniam mentis mutata conditio ignoratur, nec bona vel mala noſcitur ſanitati, niſi effectu corporeo, jam nato, edito, cognito. Proinde omnes morborum quorumcunque naturæ cognoſcendæ, & inveniendæ ſunt in variis conditionibus diverſimodè affecti corporis benè obſervatis, enarratis, explicatisque. NB. Nec juvant, quæ de principio animato his intermiſcuerunt Egregii in arte noſtra Viri, ut cuilibet ſincero indagatori, & æſtimatori rerum apparebit. Neque ad Tribum aut Porticum Sthalii pertinent tres ſequentes Tractatus Hypotheſi ejus oppoſiti, quibus non Chalybeo ſed arenoſo, hinc ruinoſo fundamento univerſam hypotheſin ſuperſtructam eſſe, multaque a Sthalianis fingi, Animæque tribui, quæ nullo ipſi jure adſcribi poſſunt, ſolidiſſimis & inexpugnabilibus argumentis docuerunt. Prior eſt Stentzelii Tract, de Naturæ Sthalianæ in Chirurgia impotentia, Witteb. 1729. Poſterior, Mart. Nagii Boroſnyai Diſquiſitiones de Potentia & Impotentia Animæ in Corpus organicum ſibi junctum, Halæ 1729. ultimus eſt Petri Chriſtoph. Burgmanni

Med. Doct. ſuccinctum Hypotheſeos Sthalianæ examen, Lipſ. 1731. quibus addo Chriſtoph. Martini Burchardi Med. Doct. & Prof. Roſtoch. Meditationes de Principio movente primo in Animatis in ſpecie de Anima Plantarum & Brutorum, Roſtochii 1726. ejusdem Meditationes de Anima humana ib. 1726.

Reſtat ut de Mechanicorum Principiis in Medicinam introductis pauca etiam dicam. Mechanica Ars tractat de Machinis quæ ſecundum Mathematicorum & Phyſicorum Principia effectæ aut efficiendæ ſunt, ad producendos motus ac effectus admirabiles & quam maxime utiles. Horum Artificialium Corporum Vires, Effectus ac Proprietates ex Mole, Figura, Structura, Fabrica Artifices Calculo æſtimant Geometrico. Qui itaque ſolidus evadere cupit Mechanicus, Geometriæ præceptis imbutus eſſe debet: Hinc etiam Magnus Germaniæ Eclecticus Philoſophus Chriſtianus Wolffius, ubi ſuorum vernacula Lingua Scriptorum Editorum Indicium fecit, 1726. in 8vo Francof. ad Mœnum pag. 652. Geometriæ Studium Philoſophiæ culturæ præmittendum ſuadet. Ita etiam olim Hippocrates & Galenus Artis Saluberrimæ Venerandi Patres, Prior, Filio ſuo Theſſalo; Poſterior, ſuis Diſcipulis Geometriæ Studium tanquam maximè neceſſarium ſuaſerunt. Quod etiam docuerunt Plutarchus ac Cicero, quia Geometriâ a ſenſibilibus ad contemplabilia deducimur. Aurelii Cornelii Celſi temporibus floruit Caſſius, quem ingenioſiſſimum Seculi ſui Medicum vocat, qui Geometrarum more jam eo tempore explicare conatus eſt, quare ulcera rotunda cœteris difficilius coaleſcere ſoleant.

Ex ejusmodi principiis qui Phœnomena, Actiones, Functiones, Vitam, Sanitatis rationem, Morbos, Symptomata, Medicamentorum operationes, Morborum ſolutiones, imo ipſam Mortem, in Medicina explicare conantur, Mechanici vocari volunt. Corpora enim Animalium uti Artificialia obnoxia ſunt legibus Mechanicis. Mechanici ſic dicti Medici ab omni ſecta liberi ſunt, hinc Eclectici vocari volunt, qui uti Apes ex omnibus floribus Mel colligunt, ita ope certorum inventorum ex Anatomia, Chymia, Phyſica Experimentali, Mechani-

ca.

ca, in ſpecie Hydroſtatica, Hydraulica ac Statica Medicinam explicare quoque conantur. Et quando ad Praxin Medicam perveniunt, Hippocratem, obſervatorem accuratiſſimum ac fideliſſimum ſequuntur. Hic enim eſt ille Vir a me ſupra non ſatis adhuc Laudatus, qui arte & facundia inſignis, Democrito Philoſopho Celeberrimo Coætaneus, ſuis ſimul Sapiens obſervatis, notante Boerhave, bona quæque adunando, Corpus Medicinæ Græcæ conflavit, quique experientia propria ac aliena inſtructus Caſtæque Philoſophiæ peritus, Medicinam omnibus fundavit Seculis Dogmaticam, hinc etiam Primus Veri Medici nomen ſuo Merito meruit. Hic Medicinæ Parens obſervatione multijuga edoctus erat in Medicina eſſe Axiomata evidentia, certa, vera, ex ipſius Artis viſceribus per experientiam notiſſima, ſæpiusque per innumeras Clinicorum obſervationes probata. Veritas enim in Medicina non è falſis Hypotheſibus, ſed experimentis & repetitis obſervationibus è Praxi Clinica deſumtis exploranda eſt. Hinc Malpighius familiariter cum Lanciſio agens dicere ſolebat, ſe quosdam vehementer admirari ſimul & irridere, qui in naturalium rerum perquiſitione multas Hypotheſes, quas dundaxat ex viſcerum Natura, Contextu, Fabrica ac Structura eruere deberent, mente confingere ſolent. Non igitur advocemus Hypotheſes, Chymeras, Cerebelli ludibrium, ad effectus explicandos, qui certe longe melius, multoque Verius ex Analogicis exponi poſſunt effectibus. Mechaniſmum autem in Homine Vivo ac Sano cum Opificum Mechaniſmo, etiamſi inter ea opera magna Harmonia vel Conformitas obſervetur, confundere non licet, in Machinis enim Animalium ſolida contra fluida & viciſſim fluida contra ſolida nituntur. Eſt nimirum reciprocus utrarumque partium itus ac reditus, quod in arte factis Machinis non deprehendi ſolet. Quamdiu enim in homine Circulatio Sanguinis ſubſiſtit, non mere paſſive ſeſe organa habent, quamdiu ſingula ſuo rite fungi poſſunt officio. Fibris enim motricibus reagendi quædam vis quaſi innata eſt, qua fluidorum impetum moderari ac determinare valent ut Finis ac Effectus ſecundum præſtabilitam Dei voluntatem neceſſario

ſequi

ſequi debeant. Quemadmodum autem Vita ac Sanitas à liquoris vitalis quem Sanguinem vocamus inteſtino ac progresſivo motu immediate dependet; ita Sanguis corruptioni ſua indole valde obnoxius hiſce motibus, & depuratione per organa Cribriformia, Secretione Mechanica conſervatur. Hinc fit ut in Hepate, Bilis; in Renibus, Urina; in Pancreate, ſuccus Pancreaticus; in Inteſtinis, mucoſa Corporis humani ſubſtantia; in Poris cutaneis, Inſenſibilis tranſpiratio & Sudor; in Organis Salivalibus; Saliva; & in aliis partibus, alii liquores ex Sanguine, ſe & excernantur. Et quod ita evacuatum & conſumptum eſt Chylificationis negotio, modo pariter Mechanico reſtaurari debere, quotidiana experientia confirmari ſolet. Uti autem in ſano ſtatu Mechanica necesſitate actiones ac functiones prædictæ contingunt, ita etiam in morboſo ſtatu ex eadem neceſſitate juxta leges a Legislatore, Deo T. O. M. Corpori inditas, tam accurate motus Vitales fiunt, ut quaſi Summo Conſilio ac Deliberatione humana, quod tamen non eſſe unius cujusque propria conſcientia Teſtis eſt, regi videantur. Uti enim in Macrocoſmo præter Deum nullum ens cogitans illum mundum immediate regit atque gubernat, ita probabile ac veroſimillimum eſſe judico, in Microcoſmo eodem modo actiones contingere. Authores, qui Mechanico modo Medicinam hiſce ultimis temporibus tractare ac exponere maluerunt, multi ſunt, inter quos eminent ut Sol inter Stellas minores, Borellus ſine controverſia Mechanicorum Neotericorum Princeps, Bellinus, Sanctorius, Malpighius, Ramazinus, Baglivus, Lanciſius, Bohnius, Brunnerus, Bergerus, Hoffmannus, Albinus, Boerhave, Steno, Pitkarnius, Schelhammerus, Thomſon, Frind, Nebelius, Scheuchzerus, Hecquet, alios autem ſilentio brevitatis causâ prætereo.

Finita digreſſione juſtò longiore, ad meum Cæſarem Magatum, qui ſcribendi mihi hæc otia fecit, ſine ulterioribus ambagibus redire liceat.

Annum præterpropter trigeſimum ſeptimum ætatis agebat, cum novam methodum vulnera curandi publici juris fecit, quæ methodus præter Ludov. Septalium etiam Joh. Veslingium in Pata-

Patavino Athæneo Anatomicum Celeberrimum approbatorem ac defensorem habuit. Post nonnullos annos, quibus ab edito de Vulneribus Libro, Ferrariæ Medicinam professus est, cum præsentaneum vitæ periculum Cæsar noster incurrisset, reliquum ævi, siquidem evaderet, Religione in aliqua se traducturum pollicitus, votum adimplevit. Nam Fratrum Minorum, quos Capuccinos vocant sese adscribendum cœtui curavit, in quo pluribus annis piè ac religiosè convixit. At nec ibi prorsus latere, aut otiari, nomen ipsius Famæ celebre permisit. Quin sibi largita ab iis, ad quos spectat, facultate, imò ex expresso Superiorum Religionis jussu, indictaque obedientia, huc illuc in proximas, imo in remotas regiones passim transferri, ad curandos ægros nobilitate ac dignitate præstantes necesse habuit: Sic excepere eum Mantua, Bononia, Mediolanum aliæque Italiæ Civitates illustriores. Serenissimorum etiam Italiæ Principum Valetudini utiliter præfuit, ex quo suo Ordini & Fratribus suis Favores & Protectionem pro re nata subinde impetravit. Nec Medicam saltem Praxin noster Medicus per Metamorphosin factus Capuccinus exercuit, sed & venia a Superioribus impetrata Medicis Studiis privatim vacare, & si quid vellet scriptis etiam committere ipsi licitum fuit. Ejus Frater Joh. Baptista Magatus, Medicus etiam non incelebris, opus Considerationum Medicarum, quibus potiores in Praxi contingentes difficultates expenduntur, moliebatur. Harum Tomus I. Typis Bononiæ editus est 1637. apud Jac. Montium in 4to. II. autem & III. Manuscriptus apud Prosperum Magatum Med. Doct. J. B. Filium fuit asservatus, & dolendum nondum in lucem prodiisse. In primi tomi fine legitur responsio ad judicium Dan. Sennerti, quo rara vulnerum curatio ab eo Celeb. Practico oppugnatur. Verosimile est eam Sennertum vidisse, cum enim Veslingio scripserit, ut, tanquam in rebus Chyrurgicis exercitatissimus sententiam suam ipsi communicaret, reposuit illi Veslingius modum Vulnera curandi à Magato assertum, verissimum esse, & innumeris experimentis à seipso feliciter confirmatum, unde spes erat, Sennertum, si diutius vixisset, immature namque 1638.

a Peste fuit sublatus, quæ summa Viri ingenuitas erat, ea quæ adversus Magatum & Septalium conscripserat, recantaturum fuisse. Refert supra dictus Prosper Magatus in Vitæ Historia sui Avunculi, eum aliquid amplius ad Rei Medicæ Jllustrationem conferens meditaturum fuisse, licet admodum povectæ ætatis fuerit. Nephriticos autem dolores ipsum acriter torquere aggressos alias curas ingessisse. Renales calculos subinde excluserat, cum unus autem ex his in Vesicam Urinariam delapsus, nec ut antea excretus, in eam molem assurrexit, qua assiduos atque immanes cruciatus experiri cogeretur. Tales tandem effecti dolores, ut vix ab Homine constantissimo licet, ferri possent, quare ut liber efficeretur, Bononiam se contulit, anceps sectionis periculum ibi subiturus, illud passim ingeminans semel potius, si ita DEO placuisset, quam pluries imò continuo moriendum. Atqui sectione, licet cautius administrata, obstare non potuit, quo minus Vesicæ inflammatio & secuta inde gangræna eum de medio tollerent, qui toties alios feliciter restituerat. Contigit hoc Anno 1640. Ætatis suæ 70. Has circumstantias particulares Clariss. Mangeto debemus in Bibl. Script. Medic. Tom. II. pag. 125. & 126.

Si præteriti Seculi Alicujus Medici Memoria immortalitati est consecranda, certe nostri Cæsaris Magati est dignissima. Hinc etiam post seculi decursum extiterunt Viri Celeb. & Doctiss. qui ejus indefessos labores in emendanda Chirurgia laudibus extulerunt promeritis & posteritati denuo commendarunt. Inter Italos Medicinæ Professores, qui alienæ magis Saluti, quam propriæ utilitati scriptis suis consulere nostra ætate studuerunt, non infimum locum sibi vindicat Dyonisius Andreas Sancassanus. Hic spartam talem illustrare tentavit, ut ejus doctrinæ fructum illicò senserit Vulneratorum Respublica, quæ seculis retroactis innocentis aut saltem non voluntariæ Carnificinæ torturam in Medentibus experiebatur. A teneris unguiculis Sancassanus in Chirurgos Gregales mirum quantum exarsit, se tot ærumnas passum recolens, quot illi obtigere ex nutricis pravita-

te,

te, quæ utero gerens, lacte vitiato Infantem novem mensibus aluit, imò morboso seminio ita infecit, ut pueritiam totam morbose traducere coactus, in solo adolescentiæ limine se vix sanum credere potuerit. Necessitas ansam dederat ob Lactis Materni defectum, extraneum, idque casu pessimum sufficiendi. Dum enim uberibus Matris suæ Chirurgi ferro succurrerent, quo congesto puri exitum pararent, inditis Turundis exasperata parte, eo ventum erat, ut multiplicatis in dies sectionibus Mammæ Lacti reproducendo redditæ ineptiores Calamitatem in cœteros Filios corrivaverint. Ubi ætas attento Medicorum Documentorum studio suffulta, eo devenit, ut Maternarum ærumnarum usque ad Fontem retrogradi mente purgatissima datum sit, oppugnare perversum Turundarum usum adorsus Cæsarem Magatum in Antesignanum delegit. Huic itaque dato nomine Chyrurgis pessime instructis bellum acerrime indixit, nec ulli parcens incommodo, ab eo destitit, finem illi nisi cum morte facturus. Magatus cujus opera nocturna versare manu, versare diurna, illi in deliciis fuit, centum ante annos præmonstraverat, quanta damna vulneratis, inferrent Turundarum & Liciniorum usus, & quæ hunc consequitur perniciosa, & naturæ, quæ vera est vulnerum Medicatrix hostica medentum sedulitas, quâ dum quotidie bis & ter, vulneratos solvunt, specioso pus educendi prætextu, eorum crumenas emungunt, & non raro orco devovent illos ipsos, qui secus curati paucos intra dies ex eorum manibus salvi & incolumes evasissent. Herculem Durellium & Antonium Boccacinum Chyrurgos à tam sontica medendi methodo revocare & Magati Documentis sensim assuefacere aggressus, dictato privatim & compendiose eisdem, quod ex illius mente foret, sic profecit, ut attonitos propemodum ex iteratis, quæ illis se obtulere experimentis Chirurgiæ anteactæ eos exacte puderet, & Magato haud auscultare piaculi loco haberent. Verum dictu est incredibile, quot turbas in Sancassanum nostrum honesti & laudabiles hi sui conatus excitaverint, prout fusius recenset, ejus alumnus Vacantius Jlarius Camertes in Mangeti Biblioth. Scriptor. Medic. Tom. II. pag. 152.

Sancaſſanum magno in pretio habuerunt, dum viverent Italiæ Maximi Medici, Lanciſius, Bellinus, Malpighius, Vallisnerius, Bianchi, Verna, & Auguſtinus Belloſte Pariſienſis quidem, ſed tandem Sardiniæ Regis in Aula Chyrurgus Magni nominis. Id voluptatis aſſecutus eſt noſter Sancaſſanus, ut quantò ab homuncionibus teruncii æſtimandis ſe impeti ſentiit, tantò à Laudatiſſimis viris ſuos labores commendari gaviſus eſt. Septuagenariò proximus ſuum Magatum Redivivum in lucem edere voluiſſet, modò Typographum in Italia reperiiſſet liberalem atque munificum. Scripſit Italicè Aphoriſmos generales de vulnerum cura, ſecundum Methodum Cæſaris Magati, in quatuor centurias diſtributos, partimque ex præmemorato famoſiſſimo Profeſſore excerptos, & partim ex ejusdem, documentorum regula elicitos, adjecta methodo adminiſtrationis Balſami Simpatici. In Venetia 1713. appreſſo Giov. Gab. Henz. in 8vo. Modo citatus Belloſte cum antehac Primus Chyrurgus Exercitus Regis Galliæ Ludov. XIV. in Italia erat, 1695. in 8vo. libellum in Medio Alpium natum edidit, cui titulus Le Chirurgien D'Hopital enſeignant une maniere douce & facile de guerir promptement toutes ſortes de playes. Hic liber non ſolum à Medicis Regiis approbatus, ſed etiam ſæpius impreſſus fuit. In prima præfatione exiſtimat Veteribus nos inventionis, Neotericis autem perfectionis gloriam debere. Jacobum de Marque in Præfatione du ſommaire des bandages, celebres Medicos Magatum & Septalium citaſſe ait, qui uſum Turundarum & Frequentem vulnerum curationem damnarunt, hancque methodum longo temporis ſpatio, nimirum ultra 40. annos felici cum ſucceſſu exercuerunt. Exiſtimat autem ſe primum fuiſſe qui uſum Turundarum totaliter Praxi excludere auſus fuerit exceptis paucis in caſibus. Ita ipſe ait: Comme l'experience rend l'ouvrier plus adroit, on ne doit pas eſtre ſurpris ſi apres avoir travaille dans les Hopitaux d'Armée les pace de plus vingt années, jayfait quelque d'ecouverte dans lagueriſon des playes. Jay autrefois veu presque toute la France, jay parcouru une partie de L'Allemagne, & toute Litalie, & je nay gueres trou-

vé

vé de lieux ou les Tentes ne fussent en usage, bien de gens les blament, & peu se mettent en peine de les eviter. Quelques-uns avant moy ont escrit pour les d'escrier mais je croy avoir esté le Premier de ce temps, assez hardi pour les supprimer entierement dans la practique, excepté dans l'hemorragie & dans quelques uns des premiers appareils. In præfatione secundæ editionis Principalem ejus Scopum in eo consistere dicit, ut methodum, quam ratio & experientia ipsum docuit, accommodatissimam esse curationi vulnerum, indies magis ac magis confirmet, non obstantibus illis qui præconceptis opinionibus se huic methodo opponunt, quoniam lucri & proprii commodi causâ prolongare malunt vulnerum curationem. Non possum quin hic recenseam quæ nimis gloriose de se refert Belloste hisce verbis: La Voye que la Nature Semble indiquer aux Practiciens, a esté autrefois connue & suivie par des Fameux Medicins, mais leur Authoritè na pu prevaloir sur la Multitude des Docteurs opiniatres, & des Chirurgiens accoutumez NB. a une vielle routine. De sorte quelle estoit presque effacée de la memoire des personnes les plus savantes dans la Medicine, & quelle le trouvoit entierement hors de lusage vulgaire. Ainsi ce n'est que par hazard si je me suis rencontrë avec Magatus & Septalius qui florissoient en Italie il y a environ un siecle. Car ne scachant que la langue de ma Nourrice, si je me distingue par quelque connoissances peu communes jen ay la principale obligation a mes applications particulieres dans lexercice de mon metier, aux experiences que jay faites dans mes voyages, & sur tout dans les Hopitaux d'Armées par lesquelles jay acquis plus de lumieres, que le grec & le latin ne m'en auroient pu donner. Quasi vero Itali, Germani aliæque gentes ejusmodi inanes jactationes, ostentationes ac magniloquentias sine dubitatione cœco obsequio legere ac credere coacti sint! Ingenuum Virum decet lubentissime profiteri per quos profecit, quod certe ipsi non est dedecori. Belloste meritis nihil detractum volo, laudanda est ejus diligentia ac peritia in Arte Chyrurgica. Sibi autem soli attribuere non debet, quæ de nova vulnera tractan-

tractandi methodo ſcripſit. Nolo clarius mentem meam aperire, mecum autem ſentire videtur Franciſcus Torti ſupra laudatus lib. cit. pag. 187. quando ait : Accuratiſſimum Sancaſſarum, Sponſorem operis inſcribendi, *Magatus Redivivus*, omnium optime determinare potuiſſe an Belloſt Conformitas cum Cæſ. Magati doctrina fortuito tantùm, ſive potius de induſtria contigerit. Ultimum ideo firmiter credo, quia Belloſt cum Sancaſſano, Cæſaris Magati admiratore ſummo literarium habuit commercium. Cur autem Sancaſſani nullam in ſuo opuſculo mentionem fecerit, aliis dijudicandum relinquo, qui arcanum facile divinare poterunt. Novam vulnera tractandi methodum etiam imitatus eſt 1688, Chabert, Chirurgien Real des Galeres & de leurs Hopitaux, & juré de la ville de Marſeille, ille autem ingenuè faſſus eſt qua ratione ad novam hanc cognitionem pedetentim pervenerit, ut videre licet in ejus Obſervat. Chyrurg. Pract. à Paris 1724. in 8vo. Inter Germanos pauci Medici hujus Reformationis in Chyrurgia mentionem faciunt præter Clariſſ. Heiſterum in Chyrurg. ſuæ 1719. Norimb. in 4to. impreſſ. pag. 21. ubi memorat Belloſte uſum Turundarum totaliter e foro Medicinæ proſcribi velle. Heiſterus autem more ſuo judicioſe exiſtimat, magis de abuſu quam rationali uſu hoc intelligendum eſſe. Huic addo Junckerum, qui in conſpectu ſuæ Chyrurgiæ in 4to. 1721. pag. 54. & 55. ita inquit : Irritationis incommodum haud dubie anſam dedit ut Auctores quidam, inter quos præcipuus eſt Belloſte (inde evidentiſſime patet Magatum ipſi fuiſſe ignotum) omnem Turundarum uſum rejicerent, dicentes : Jllas Dolorem, Humorum Congeſtionem, & Inflammationem cauſari, Materiæ effluxum impedire, & Vulnera in Ulcera diducere. Hinc judicat Junckerus ad evitandam utrimque offenſionem eo reſpiciendum eſſe ut Turundæ ita molles & læſioni proportionatæ parentur ne incommoda jam dicta exſpectanda inde veniant. Opus etiam eſſe, ut juſtum tempus, quo plane auferendæ ſunt obſervetur. Quamprimum enim vulnus vel ulcus ſatis deterſum & depuratum eſt, ſenſim minuendas & tandem plane removendas eſſe, Turundas, e. g. in

in Vulneribus Sclopetariis post tertium diem Turundas magis nocere quam prodesse. Impedire enim puris exitum aliarumque rerum heterogenearum. In Vulneribus faciei plane rejiciendas esse, quia deformes causantur cicatrices. Si meam mentem circa hoc negotium libere mihi aperire licet, optassem ut Diligentissimus Chyrurgiæ Cultor Belloste, doctus quoque utriusque Sermonis, Linguæ, nimirum ut Gallicæ ita etiam Latinæ fuisset, juxta Ovid. 2. de Arte amandi vers. 121.

Nec levis, ingenuas pectus coluisse per artes
Cura sit; & Linguas edidicisse duas.

Si enim Linguam Eruditorum, nimirum Latinam addidicisset, Cæsaris Magati Libros duos de rara vulnerum medicatione & Turundarum noxa legisset, imo relegisset, & sic Doctior factus, non tam audaciter Turundas totaliter ac imprudenter proscribere conatus fuisset. Hæc enim non erat mens nostri Experientissimi ac Doctissimi Magati, neque ad ejus mentem e fundamentis Artis Saluberrimæ solidissimis, rationis nimirum ac experientiæ differentium, Septalii ac Sancassani, utpote qui casus quandoque dari existimabant, in quibus antiqua methodo utendum sit. Has curationes coactas vocabant, regulares autem, quæ ex Turundis punctis, procedunt. Docuit Magatus Turundas convenire in vulneribus; quando remorari eorum sanationem oportet, usquedum corpora quæcunque peregrina, quæ sanationi obstare possunt educta fuerint. Quod etiam Antiquissimum ac Excellentissimum Patrem nostrum Hippocratem judicasse, noster Magatus libro primo solidissime demonstravit. Hoc itaque tam certum est quam quod certissimum Cæsari Magato, Reformationem Chyrurgiæ, ratione frequentis curationis Vulnerum, & Turundarum irrationabilis usus, Posteritatem unice debere. Magati enim methodus Rationi & Experientiæ solidissimis Medicinæ fundamentis est fundata, quia non minus firma stat observatio, sæpissime cum debita attentione rite repetita, hinc vera, quam ratio-

ratiocinium feveriffimum. Teftatur Septalius cum in magno Mediolanenfi Valetudinario, in quo per annos quadraginta medendis ægris operam dediffet, fpatio unius anni in portione illa cujus curam fufceperat, plerique capite vulnerati antiquo more curati interiiffent, abfenteque Chyrurgo, cui eorum cura demandari folebat operatio fubftituto injunxiffet, ut deinceps nova hac medendi forma uteretur, ex quatuordecim vulneratis in capite unum folum interiiffe, & inter hos tres exftitiffe qui fuerant vulnerati cum offis Calvariæ & membranarum incifione, & unum ex cafu ab alto cum offis, introceffione & duo cum rima in offe: & cum Chyrurgus rediiffet, ac antiquum modum refumpfiffet, & infeliciter fuccederent curationes, ratione & exemplis tandem convictum, manus dediffe, & ut is curandi modus introduceretur acquieviffe felici cum fucceffu. Ex vulnerum autem capitis curatione, quæ magis negotii, quam reliqua curantibus afferunt, vulnerum in aliis Corporis Partibus exiftentium curandi modum collectum ac paulatim introductum effe. Multo citius etiam ac facilius hoc reformato modo curari vulnera affirmat, quod ne vigefima pars excrementorum generetur, neque femper in eo neceffarium fit os abfcedere, & fi abfceffus expectandus fit, longo citius abfcedat novo hoc modo quam communi, & fæpius etiam in minori quantitate, ex quibus infert etiam tutius fanari vulnera, quia cum Natura fit, quæ fanat vulnera, ubi citius introducitur fanitas, fignum eft adverfus impedimenta magis prævalere, at quo magis prævalet, inquit, eo etiam tutius fit curatio. Videatur etiam Magatus Lib. II. pag. 567. & 568. hujus editionis. Vulnera vulgari modo etiam quandoque curantur, fed multo felicius & tutius altero. Non itaque folvi debent vulnera, nifi quando neceffitas id abfolute poftulare videtur. Excellentia hujus methodi etiam inde judicanda, quod hac via non ita vulneratorum loculi exhauriantur. Nihil dicam de incommodo, quod parit frequens vulnerum tractatio. Quid enim opus eft nimis affectatâ ac incommoda diligentiâ? quando non eft neceffaria, nam

Ire

Ire per ambages cum sint compendia rerum
Stultitiæ summum dixeris esse gradum.

Dantur enim vulnera quæ nimia cura non mitescunt, sed lacessita potius ferociunt, ut eleganti veritatis modulo Poëta cecinit:

Curando fieri quædam majora videmus
Vulnera, quæ melius non tetigisse fuit.

Tom. II. pag. 601. hujus editionis refert Cæsaris Magati Frater, Nostrum Magatum curandi rationem a vulneribus ad ulcera transferre non dubitasse, idque adeo felici successu attentasse ut sæpe deplorata ulcera, & innumeris tractata remediis facillimo negotio hac via incedens sanaverit. Romæ eum didicisse rationem abstinendi a multis remediis, multoque plura ac majora non medendo præstitisse, quam cum crebris utebatur remediis, & non raro magnum remedium esse remediis parcere. Et pag. 617. notatu habet dignissima, quæ ut juniores Practici legant & relegant Suasor & Auctor sum; ita autem sonant: Vires Naturæ maximæ sunt, cum nactæ fuerint Medicum, qui illis præsto esse noverit, non autem eas fatigaverit importunis remediis, utinam id intelligerent Medici omnes, & aliquando parcerent remediis, quæ sæpe non minus, quam morbus ipse, eas affligunt, neque ita diligentes haberi vellent, & non minus denique ægroti commodis inservirent, quam suis, fortasse felicius succederent curationes, nec adeo infamarentur remedia, ut fit quotidie, ita prudentissime sentit Magati Frater. Hoc etiam existimarunt veteres nonnulli Practici Celeberrimi, hinc statuerunt optimam Medicinam esse, quandoque a Medicina abstinere. Sancte etiam testari possum me in Praxi triginta & quod excurrit annorum innumeris vicibus felicissime multos magnosque morbos Dei gratia debellasse, non multis sed selectis adhibitis Medicamentis imo etiam sæpissime factis pro circumstantiarum Varietate aliquot dierum induciis. Hæc vero methodus in experientia antiqua & moderna ac solida ratione fundata Pharmacopœis non placet. Medicis eorum, qui nil nisi Medicorum Ministri sunt, hodiernæ artes quoque non placent, & multo minus posteritati

ut opinor placebunt, ſi non tandem aliquando pro Salute Populi, Authoritate Principali, ii quorum officium eſt, vel certè eſſe deberet, ad Medicinæ Authoritatem & Pleniſſimam Integritatem conſervandam vel potius reſtituendam, omni cogitatione, cura ac viribus operam conferant. Et hoc eſt quod poſteritati ex animo opto, quod mihi Eheu! ob conditionem inemendabilis hujus temporis, ad minimum in hiſce Germaniæ regionibus, videre non licuit. Articulus VII. eſt Jlluſtriſſ. Senatus Auguſtani Decreti, contra quem quotidie peccatur, & hinc Cives in republica ſupra modum, imo atrociſſime læduntur. Quia autem dictum Decretum non in omnium manibus eſt, operæ pretium erit, illud hic apponere. Sic audit: Pharmacopœi quoque falcem in Medicorum meſſem, Conſilia ægris dando, non mittant, qua intentione nec pharmaca, electivè præſertim purgantia, opiata, aut menſes ac fœtum pellentia medicamenta, absque Medici præſcripto neutiquam divendant, ne vel Cives incauto eorum uſu lædantur, vel medicamenta ipſa infamiam ſubeant, cum de his, ſolis Medicis fidei præſtandæ, dignotionis habendæ, ac rationis reddendæ onus incumbat.

Praxis Medica non conſiſtit in indifferenti Medicamentorum aſſumptione, quando enim importune ſunt propinata, moleſta ad minimum, ſi non noxia eſſe ſolent, & tunc dolendum, quod factum eſt, infectum fieri nequeat. Vomitoria autem ac purgantia ut alia taceam remedia intempeſtive ægrotis data, nulla habita ratione, ætatis, ſexus, temperamenti, morbi ortûs, progreſsûs ac exitûs, ægritudinum indolis aliarumque circumſtantiarum, eos occidere poſſunt. Et tunc meritò dicendum tales Medicos vel potius Medicaſtros Ægros impunè necare. Si Plautus Poëta Comicus, Natione Italus, quem Cicero lib. I. de Officiis, urbano, ingenioſo & faceto jocandi genere ſcripſiſſe memorat, ſi inquam adhuc viveret, qui anno ante Chriſti Nativitatem 182. claruit, ſine dubio exclamaret, Anne Tibi Pharmacopolæ impuniſſime id facere licet! O tempora! ô Mores! Noſtra ætate in Univerſitate Lipſienſi Celeberrima, innumerorum Celeberrimorum Medicorum Nutrice feliciſſima, floruit Vir immortali Gloria digniſſimus Bohnius, qui in Aureo Libro de Officio Medici Clinici ac Forenſis cap. III. de Empiricis, poſtquam eos ubique terrarum eſſe copioſiſſimos aſſeruit, ita inquit; Aſt de Germaniá noſtra haud inique

que vulgari proverbio aſſeritur; plus eſſe Medicaſtrorum in hac, quam Muſcarum ſit in Armenia: Seu, prout non nemo Scriptorum ait, Copia paſſim Medicorum (Medicaſtrorum) Germania ita fere obruitur ut vel Medico opus ſit, qui a Medicis illam purget; vixque ullus terrarum angulus, qui non ab INSECTIS his inquinetur. Quippe

Fingit ſe Medicum quivis Idiota, Sacerdos,
Judæus, Monachus, Hiſtrio, Raſor, Anus,
Miles, Mercator, Cerdo, Nutrix & Arator,
Lamia, Decoctor, Pharmacopola, Magus.

Inter Empiricos, ſic dictos Medicos primo loco Idiota nominatur, quo Charactere omnes dignos judico cujuscunque ſint ordinis, dignitatis, conditionis, qui Medicinam facere audent, & non Artem generi humano Saluberrimam didicerunt. Uti enim Theologia, Jurisprudentia, Scientiæ ac Artes omnes ſua habent fundamenta, ita etiam Medicina Dei munere Mortalibus data, certiſſima in experientia ac ratione fundata habet Principia. Et ſi non omnia evidentiſſime explicare poſſunt Medici, ac etiam non omnia ex voto ſemper ſuccedant Medicis, quia

Non eſt in Medico ſemper relevetur ut Æger
Interdum docta plus valet Arte malum.

Ita cum Theologis ac Jurisperitis idem etiam habent Fatum Medici, quod abunde teſtantur illorum Opinionum ac Sententiarum divortia, nec non in Praxi multifarii illorum quoque inanes, ne dicam inaniſſimi Labores. In Republica bene conſtituta legibus atque edictis caverunt Domini Territorii, ne quis Praxin exerceat aut ut clarius eloquar Populo Medicamenta propinet qui non Artem didicit, & qui in Univerſitate quadam ad munus Licentiæ gradum non ſit adeptus. Vid. Imperatoris Caroli V. Conſtit. Criminal. Artic. 134. Sed merito quæritur quæ cauſa ſit tantæ calamitatis, qua Populi creduli & innocentis ſaluti non diligentius conſulitur. Reſpondet Ah. Fritſch, Jurisconſ. Celeberr. qui præclarâ conſcientiâ de Republica meruit optime, in T. de Peccatis Principum, eorum Miniſtr. Advocat. Procurat &c. quando ita clare & veriſſimè inquit; in culpa ſunt Magiſtratus, qui vagam ac publico pernicioſam Licentiam medicandi non coërcent, & ἀπαιδεύτους ac veræ artis protinus ignaros impoſtores e Republica expellunt. Caroli V. Edictum anni 1540. ita audit: Ne quis Apothecarius ægros viſitet, aut illis absque Medici conſenſu Medicamenta porrigat. Ordinationis Bavar. Provinc. 3. Tit. II. Artic. 3. Es ſollen die Apothecker vor ſich ſelbſt


 und

und ohne Erlaubnüß derer Doctorum sich nicht unterstehen die Leute zu curiren/ selbst Recepte zu ordnen/ und das Amt eines Doctoris zu gebrauchen. Cui notante Bohnio Parallelæ observantur, die Heßische Medicinal-Ordnung 1617. Leipziger Apothecker-Ordnung 1669. Constitutiones Medicin. Brandenb. aliæque. Vulgum sæpissime insanire quotidiana experientia constat, quando autem Homines sanæ mentis, Docti, Literati valetudinem suam Hominibus in Arte imperitis concredunt, annon etiam insanire videantur aliis dijudicandum relinquo. Ejusmodi interea Hominibus Fabulam XIV. Lib. I. Phædri Fabularum, editionis Burmanni cum ejusdem aliorumque Comment. Amstel. 1698. in 8vo. attenta mente legendam seriò sed tamen bono Animo commendo.

Aliorum tandem Conatus in Chyrurgia emendanda non vitupero, modo non fiant cum Magati Sugillatione & Obtrectatione, quod ferre nunquam potero. Tanta enim est Suorum Meritorum Magnitudo ut verbis nullis exprimi facile possit. Hæc est nimirum Magati Gloria immortalis, ut nullius Laudibus crescat, & nullius Vituperatione minuatur. Uti autem Sancassano supra laudato nihil magis in deliciis fuit, quam Magati Libros nocturna ac diurna versare manu, utpote cui in vulnerum tractatione, illarum circumstantiarum ratione quæ e solida Praxi & Experientia vera hauriendæ sunt, nullus præferendus, qui de vulneribus unquam scripsit, tantum enim inter omnes ejusmodi scriptores excellit

Quantum lenta solent inter Viburna Cupressi.

Ita omnes Medicinæ Studiosi qui Medicinæ efficacis, quam Chyrurgiam vocamus, Cultores sunt, Lectionis attentæ ac frequentis Magati Librorum neque pudeat, neque pigeat. Ille enim Princeps, imò Cæsar in vulnerum curatione eos fidelissime ac doctissime docebit, quale eorum officium sit ut curent ad sanandum apposité, & tunc discent facile quantum distent æra lupinis. Qui itaque Magni Magati nomini Jllustri favetis Lectores Benevoli, Rosas Tumulo ejus inspergite, manibus date Lilia plenis & flores purpureos spargite, ac libris ejus doctissimis novis typis in lucem editis magno vestro commodo diutissime fruamini, mihique lingua animoque favete. Valete iterumque valete. Scribebam in Hanoviæ Philippopoli die 13. Febr. 1733.



INDEX



CÆSARIS MAGATI DE RARA MEDICATIONE VULNERUM

LIBER PRIMUS.

In quo de vulneribus generatim pertractatur.

PRÆFATIO.



Nihil mihi fuit antiquius ac magis in optatis, quam ut de re Medica benè mererer; quia verò propter tenuitatem ingenii ad omne commentum infœlicissimus, quod arti fructum afferret, suppeditare non poteram, id saltem assecuturum speravi, si viros præclaros, ac fama celebres ad ea scribenda excitarem, quæ posteris forent utilia, & Medicam ipsam artem locupletarent, atque, ornarent. Hac de causa cum mihi se se, obtulerit materia pulcherrima, de qua nihil hactenus, quod sciam, habemus scriptum, eam tradere monumentis, ac literis decrevi primus: illud quidem mihi non sumens, ut naris emunctæ viris satisfaciam, aut auctoritatem quandam illi comparem; neque enim id contenderem, qui in propriis ædibus vix cognitus in me non esse, quod vel mediocriter eruditis placere valeat, optimè noverim; eòque minùs id auderem, cum non ignarus sim quàm anceps lubricum sit, ut dicebat Plinius, rerum omnium novarum: sed hoc tantum consilio, ut qui plurimum ingenio possunt, eandem, & ipsi, arrepta hinc

 ansa,

ansa, suscipiant causam, ac majora, quæque à communibus abhorreant, ex intima depromant parte, publicæque utilitatis gratia in medium proferant. Satis enim præstitisse, quin etiam metam attigisse mihi videbor, quando omnes intelligent, potiùs defuisse patronum causæ, quàm causam patrono.

Negotium est de vulneribus. Et quamvis ab antiquis, & recentioribus de iis plura sint tradita, immò forsan ea sit antiquior pars Medicinæ, homo tamen, qui nunquam conquiescit, sed assiduus inquirit, ac investigat, nova scire desiderans, & ad inventa maiorum adjicere, non multis ab hinc annis novum curandi modum excogitavit, qui usque adhuc apud inventores immoratus in lucem non prodiit; Inde profectum est, ut plurimi solo nomine audito perhorrescant. quippe solvenda quotidie vulnera, detergenda; recentibusque medicamentis, ut ajunt, nutrienda, linamentis, ubi cava sunt, impositis, adeò communiter receptum est, ut apud plerosque aliter ea tractare sit nefas; eademque curationis ratio ab omnibus ferè qui aliquid in hanc sententiam literis prodiderunt, passim proponitur. At una, vel altera, vel saltem post plures dies repetita solutione citra turundarum, & penicillorum usum, qua quidem via incedit novus hic modus, idem & faciliùs obtineri posse, quod à crebra illa procuratione præstatur, & paucis cognitum est, à multis verò tanquam portentum, aut vix, vel neutiquam auditum. Et tamen rei Medicæ causa inquirendum esset, num hic modus, quod ejus fautores prædicant, possit explere, num rationi, veterumque sapientum doctrinæ sit consentaneus, an potiùs fucatus, & fallax sit, vulneratisque perniciosus, & à rationum, majorumque doctrina simul abhorreat. Namque si à principiis veræ Medicinæ progenitus ratione, & experientia, quæ firmissima sunt eius fundamenta, niteretur, cur permittere, ut in tenebris perpetuò delitescat? cur in lucem non prodire? cur imminuta pars hæc Medicinæ relinquenda.

Habemus, dicet fortasse quispiam: à majoribus nostris alium modum, cujus virtutem, & excellentiam innumera experimenta comprobarunt, proinde parum sapientis esset, novitatem affectare. Dum enim veterum viam deserentes, novas, & inusitatas

indaga-

indagamus, sæpiùs in asperas, & difficiles semitas incidentes, & ad angustissimos, præcipitesque locos ducti, gradum sistere, pedem referre, tandemque non satis prudenter nos fecisse cognoscentes, ab instituto desistere cogimur. Unde illud Pythagoræ apud Diogenem Laërt. ἐκτος λεωφόρȣ μὴ βαδίζειν, id est, extra publicam viam ne deflectas. Verum si æquè sub rara, ac sub crebra solutione sanarentur vulnera, non video, quid nos urgeat, ut multiplicem, & operosum hunc modum magis quàm illum deligamus, qui cum sit simplicissimus, neque molestiam ægroto, neque Medico negotium vel minimum facessit. At si melius, ac fœlicius idem assequeremur, raro solutis, ac veluti neglectis vulneribus, nonne stupidus, & amens, aut pervicax, & duræ cervicis jure habebitur, qui hac medendi ratione contempta vetustiorem sequi maluerit? Equidem & ego communem illum modum, quem etiam apud auctores verè omnes observabam, à præceptoribus meis edoctus, quodam tempore non aliter tractabam vulnera. Ut posteà mutarem consilium, hinc accidit: Dum Romæ commorarer, præcipuos Urbis Chirurgos novam hanc curationem vulneribus adhibentes intuebar; novitate rei permotus, & quod antiquorum sapientum placitis adversari mihi videbatur, cæpi à nonnullis percunctari, quibus eam fulcirent rationibus. Argumentis quoque ex Artis Medicæ principiis depromptis, & ipsius Galeni doctrina hunc morem infringere, atque convellere studebam. Sed communes tantùm rationes afferebant, proprias nullas, ex eventu potiùs illum comprobabant. In Hippocratem, ut primum auctorem referendum esse ex aliquot ipsius locis persuadere conabantur: quos tamen parum ad rem facere tunc judicavi. In Galeni doctrina defensionis spem non reponebant. A multis, quæ objiciebantur, nunquam se explicare potuerunt. Immo non defuere, qui ejusmodi curationem rationi repugnare apertè contenderent: in eas redacti angustias, ut unicum experientiæ perfugium relinqueretur. Miros tamen eventus quotidie magis, magisque conspiciens, cœpi egomet fundamenta, & rationes, quibus firmaretur, accuratè perscrutari. Verùm fatear, tot, tantæque sese obtulerunt, ut me, qui in nullius magistri verba juravi, cuique magis amica est veritas, quàm Socrates, aut Plato, novam

hanc medendi viam mirum in modum extollere, & alii cuique methodo præponere, ac dignam, quæ omnibus nota redderetur, existimare coegerint. Cum ergo illos, à quibus religiosè colitur, parum de hoc, digno tamen opere, in quo omnes nervos ingenii, & industriæ suæ contenderent, sollicitos animadverterem, iniquè cum ea, & cum medica ipsa arte me acturum duxi, si ulteriùs in tenebris jacere permitterem. Et propterea de illa publicas habui lectiones.

Quoniam verò angustia temporis negotium conficere non potui, quod etiam parum usui erat futurum, cum viva vox neque ad posteros, neque ad longinquos permanet, onus scribendi subire decrevi. Atque provinciam hanc, licet difficillimam, eò suscepi libentiùs, ut egregii quidam Medici, miræ eruditionis titulo, Galeni verbis utar, passim se se venditantes, sed Liberide inaniores, & cœciores, qui me in curandis vulneribus à trita via recedere intelligentes, Empyricis remediis, quæ secreta vulgus appellat, non ratione, ac methodo inventis, uti existimarunt (admirationem miseratione dignam) & præterea nullo suffulti fundamento professi sunt, & ignaris persuadere voluerunt, quàm longè in scientiarum studiis processerint, & quam aciem, ac præstantiam ingenii naturæ munere, disciplinæque beneficio sint consecuti, exactiùs cogitantes, ad bonam frugem se recipiant, admoneanturque in posterum, de iis, quæ proprium captum superant, non debere quempiam, qui sapientis exoptet nomen, longiorem habere sermonem, nedum judicem agere, nihilque graculo cum fidibus. Et si quo semel odore testa recens imbuta fuerit, hunc non ita facilè elueris. Ne quid autem hac in re desideretur, utrumque modum, & rationes, quibus uterque, aut infirmari, aut corroborari possit, examinare, ac momento suo ponderare constitutum est mihi, & perquirere, num illud repugnet, & hunc, & illum esse Methodicum, nec ne: si verò uterque sit talis, quisnam ipsorum præstantior, ac magis eligendus, ut rejecto altero tandem concludatur, quid in unoquoque vulnere sit agendum. Novum id videbitur, fateor, & absurdum fortasse. In dubium enim revocare eum curandi modum, qui à prioribus illis inventus, à posterioribus autem approbatus, ac per

tot

tot annorum secula experientia confirmatus, quo tot vulnerati ab Orco sunt erepti, pristinæque saluti restituti, & alium invehere, speciem habet paradoxi, quod veterum sapientum doctrinam pervertat, & ipsius Medicinæ candorem turpi inficiat labe. Cæterum qui experti sunt, & propriis viderunt oculis, quam facilè, ac, ut ita dicam, fœliciter novo hoc modo sanentur vulnera, secus profectò sentient, exploratum habentes, quemadmodum reliquæ artes, ipsam quoque Medicinam ita fieri per additamenta, nec esse absonum, si ei quidpiam nunc adderetur. Plura, dicebat Galenus, inveniuntur hodie, quæ apud nostros majores non fuerunt inventa. Id Galeni temporibus erat verum; at non minùs his nostris, sumus enim pueri in gigantis collo. Quantum incrementi non multis ab hinc annis susceperint pleræque artes, nemo non videt, quot medicamentis utimur hodie, quæ fuere antiquis prorsus incognita? Vera methodus, inquit Galenus, potest vel nunc etiam post tot, tantosque Medicos non solùm meliora medicamenta, quàm priùs fuere, sed etiam universum curationis modum invenire. Medicina jam ab antiquo existit, dicebat Hippocrates, & principium, & via inventa, per quam inventa & multa, & probè habentia comperta sunt, per multum adeò tempus & reliqua deinceps inveniuntur, si quis idoneus sit, & jam inventorum gnarus ex his ad perquirendum procedat, πάντ' ἀνακαλύπτων ὁ χρόνος πρὸς φῶς φέρει. dicebat Menander, hoc est, omnia detegens tempus ad lucem fert. Non igitur quia hic modus novus est, hac una ratione est improbandus, nec quia ille est vetustior, idcircò primas meretur partes: sed hujus, illiusque fundamenta diligenter consideranda, & discutienda, & vis utriusque exactè perpendenda. Nam qui firmioribus nititur fundamentis, magisque proposito fini conducit, ille quidem præstantior, ac dignior est judicandus. Totam autem hanc considerationem duabus quæstionibus perstringemus. Cum enim novus hic modus in duobus potissimum consistat, videlicet, ut raró solvatur vulnus; atque ut turundæ, ac penicilli, seu linamenta ablegentur, altera quæstio ad solutionem, altera ad usum linamentorum attinebit. Primò itaque perscrutabimur, utrùm melius sit, & magis ex arte quotidie vulnera solvere, an pluribus

interjectis diebus; ſecundò utrùm in curatione vulnerum turundarum & penicillorum uſus ſit artificioſus, & recipiendus, aut etiam neceſſarius, an non. Quod verò ad primam quæſtionem attinet, quoniam duæ ſunt propoſitæ methodi, communis ſcilicet, atque noſtra, quam novam appellabimus, ut hanc undique difficultatibus urgeamus, ex quarum ſolutione poſteà magis conſpicua fiet ejus integritas, in primis argumenta, quibus communis comprobatur, & neceſſitas crebræ ſolutionis oſtenditur, afferentur in medium. Licet autem ad cauſam tendant alterius methodi, attamen ſecundo loco ſubjungentur alia, quæ magis è directo eam impugnant. Tertiò verò adducentur nonnulla, quibus firmari poſſe videtur nova methodus: Et quoniam, ut apparet, ejuſdem fundamenta continent, ut difficultatem augeamus, addemus rationes, quæ fundamenta illa non ſolùm infirmant, verùm etiam, ut aliquorum eſt opinio, prorſus evertunt. Circa uſum pariter turundarum, & penicillorum in utramque partem diſſeretur: extabunt enim, & quæ illis non mediocriter faveant, & quæ acriter adverſentur. Deindè veritas ex ipſa rei natura, & propriis principiis inveſtigabitur; & qua via in curatione vulnerum incedere oporteat, clarè patebit. Ad uberiorem tamen doctrinam, utque Medicinæ candidatis ſatisfaciamus, poſtremò conſtitutam jam methodum vulneribus partium aptabimus, in eo elaborantes, ut nihil prætermittatur, quod ad rem vulnerum faciat.



CAPUT



CAPUT I.

Utrùm melius sit vulnera quotidie solvere, an pluribus interjectis diebus. Proponuntur rationes, ex quibus præstantia Communis Modi, qui quotidie vulnus solvit, colligitur.

RAtiones adducere, quæ communem curandi vulnera modum comprobent, minus necessarium fortasse videbitur, cum ejus præstantiam tot gravissimorum virorum, qui hac de materia commentarios ediderunt, auctoritas, & quotidianus insuper eventus satis, superque declarent. Quia tamen quæcunque illum constituunt, ea omnia novam methodum labefactare, immo funditus evertere creduntur, idcircò quæ aliqua consideratione digna huic favent modo, nihil eorum prætermittendum duximus; quorum vim perpendentes &, quid contra methodum alteram possint, haud ægrè deprehendemus. Cum autem simplicia vulnera solam agglutinationem exposcant, nihil est, quod in iis quotidianæ procurationis ostendatur necessitas, exiguo siquidem tempore agglutinatio absolvitur, & eorum non pauci, qui crebram solutionem diligunt, unico apparatu duntaxat hujusmodi vulnera sanitati restituere profitentur, neque id ἀμέθοδον, existimant. Quod verò ad turundas, & penicillos attinet, in iisdem ablegandos prorsus esse, nullus unquam dubitavit. Quapropter de cavis tota erit controversia. Curativæ igitur methodi legibus crebram hanc solutionem præscribi, & omnino modum, qui quotidie solvit, esse methodicum, optimum, atque sine ulla exceptione recipiendum, probant quamplurima.

Primò, in cavis vulneribus semper habetur quod exsiccari, & abstergi postulat: igitur quotidie solvendum est vulnus cavum, ut exsiccans, & abstergens medicamentum apponatur. Consequentia patet, quia nullum est tempus, in quo non utrumque medicamentorum genus desideretur, sicuti nullum est tempus, in quo non reperiatur in vulnere, quod exsiccationem, & abstersionem

indicet, quæ autem adhibentur ſervare proprias vires diutiùs nequeunt, à calore ſiquidem partis eorum virtus exoluitur, atque ob excrementorum permixtionem corrumpitur, quare neceſſe erit quotidie vulnus ſolvere, ut, quæ integris ſunt viribus, admoveantur, ita enim facultas medicamentoſa vulnus nunquam deſtituet. Probatur antecedens, nam in cavis vulneribus ſemper generantur, & colliguntur duo excrementa, tenue unum, craſſum alterum, quæ, quoniam vulneris repletionem, & ſanationem impediunt, tenue quidem, utpotè quod eſt ſeroſa quædam humiditas, vulnus humidius reddendo, ſordidum verò, quod craſſius, cum ſordi, quæ in ſummo corpore colligitur, proportione reſpondeat, removeri deſiderant, tenue per exſiccantia, craſſum verò per abſtergentia; Et hac prætereà ratione, quoniam novi cujuſpiam mali poſſunt eſſe cauſa, diutiùs enim intra vulnus retenta malam qualitatem ſibi aſciſcunt, & exitialem interdum concipiunt putredinem: ac in majori quantitate collecta partem diſtendunt, dolores concitant, atque fluxiones commovent. Igitur ſemper eſt in vulnere quod exſiccandum eſt, & abſtergendum. Quod autem humiditas, & ſordities vulneris ſanationem impediant, apud omnes eſt in confeſſo, & ideò Galenus quarto Meth. quinto dicebat, ſi vulnus coire nequit, humecta caro eſt in cauſa. & Hippocrates lib. de Ulceribus, a quo Galenus in libris Meth. de vulneribus tractans, ne latum unguem recedit, exſiccationem ulcerum proponit, nam ſiccum ſano dicebat propius eſt, & humidum non ſano, eſt enim ulcus humidum, quod verò ſanum eſt, ſiccum. Similiter puritas ulceris rationem obtinet ejus, ſine quo non poteſt generari caro, quæ eſt ſententia Galeni tertio Meth. nono, atque hanc ſordes interpellans curationem moratur. Semper verò generari talia excrementa in vulneribus, patet ex Galeno tertio Meth. tertio, & ratione, quam ibidem affert Galenus. Etenim omnem qualitatis alimenti mutationem alterum craſſius alterum tenuius excrementum ſequitur, & in vulnere quoque ipſam alimenti mutationem non minus conſequentur, & in majori adhuc copia, & magis ſenſibilia ob caloris naturalis imbecillitatem. Quapropter tenue quod inviſibilis erat perſpiratio, dum pars erat ſana, viſibile factum, hoc eſt ſeroſa quædam humiditas,

vulnus

vulnus reddit humidum, crassum verò sordidum. Et cum nullo unquam tempore natura cesset alimentum permutare, nec tempus ullum erit, in quo non ambo hæc in cavo vulnere colligantur.

Secundò, In cavis vulneribus præter medicamentorum appositionem, ut optimè vulnus ab excrementis emundetur, necessaria quoque est manualis operatio, igitur quotidie solvendum est vulnus, ut manuali operatione vulnus perpurgemus. Probatur antecedens, nam in vulneris cavitate colliguntur excrementa, quæ medicamentorum actionem refugiunt, cum hoc solum habeant medicamenta, ut carnem humidam exsiccent, & a vulneris parietibus sordes abstergant, nequaquam autem excremenra ducere extra vulnus possint, unde fit, ut ad hoc necessaria sit manualis operatio, quippe lanam, aut gossipium stylo obvoluentes, aut linteum, vel arida filamenta admoventes, quamcunque humiditatem intra vulnus existentem exsugimus, & si quæ hæreant adhuc, à medicamentis non detersa, detrahimus. Consequentia patet, sicuti enim in dies colliguntur hæc excrementa, ita in dies sunt removenda, ne retenta sanationi obstent, aut alia mala accersant, & ex consequenti solvendum erit quotidie vulnus.

Tertiò, Nisi quotidie vulnus solveretur, abscessus, & corruptiones fierent, & ulcus ferinum evaderet, igitur quotidie solvendum est vulnus. Probatur consequentia, nam præter duo illa excrementa, in propositis vulnèribus pus quoque generatur, quod cum aliis excrementis retentum abscessus, & corruptiones faceret, & ulcus ferinum redderet, fit enim ulcus ferinum, ut dicebat Hippocrates libro de Loc. in hom. ubi sanies in vulnere existens non habet exitum. retinerentur autem excrementa, nisi crebrò vulnus solveretur, & expurgaretur.

Quartò, In curatione vulnerum immutanda sunt medicamenta pro vario ipsorum statu, unde quandoque suppurationem procuramus, quandoque abstersioni incumbimus, & carnis generationi, quandoque superfluam carnem detrahere conamur, quandoque cicatricem inducere: Detegendum ergo vulnus quotidie, ut quandocunque illius status immutatur, innotescat, & immutari medicamenta juxta exigentiam possint. Confirmatur antecedens ex Avic.

quarta, quarti, tract. tertio, cap. quinto, ubi inquit Avic. Et primum quidem quod oportet te regere de esse vulneris est saniatio ejus cum medicinis suis, deinde mundificatio cum medicinis suis, deinde nascentia carnis, & consolidatio; & ex Gal. 3. de fract. text. tertio, ubi habet, perspicuum autem est suppurare prius ulcera, ac purgari, quam ad conglutinationem deveniant: quod tribus, aut quatuor diebus nequit fieri.

Quintò, humidiora vulnera siccioribus sunt curanda, igitur quotidie solvendum est vulnus, ut humiditatis copia innotescat. Consequentia est manifesta, quoniam sola inspectione cognosci potest, quam humidum sit vulnus. Antecedens est Galeni tertio Methodi cap. tertio. Sed & ratione facilè probatur, nam quò major est recessus à naturali statu, eò fortiora medicamenta conveniunt; si affectibus medicamenta debent esse æqualia, juxta Medicinæ decreta.

Sextò, effectus appositi medicamenti observari non potest, nisi quotidie, vel crebrò vulnus detegatur, igitur &c. probatur consequentia, nam effectus appositi medicamenti in vulnerum curatione observandus est, ut ex eo dijudicare possimus, num medicamentum, quantum satis est, exsiccaverit, nec ne. cum enim ex medicamentis siccantibus alia magis, alia minus siccent, ut dicebat Galen. tertio Meth. tertio, partim ex ulcerum diversitate, partim ex ægri natura, quod expedit, est desumendum, at cujusque privatim natura ad unguem explorari non potest, ut habet Galenus eodem loco, igitur adjungenda est observatio effectus medicamenti, ut ex eo, an in apposito perseverandum, an magis, vel minus siccans sit adhibendum, cognoscamus, qua de causa dicebat Galenus tertio Meth. tertio, si notum sit aliquod medicamentum ad cavum ulcus implendum facultatem habere in iis, quæ humidiore sunt temperamento, deinde nunc tali admotum nihil profit, aut parcius siccavit medicamentum, aut nimium; horumque notam habebimus sordem, & saniem; si enim pluscu-lum sordis sit, totumque ulcus humidius, intrà modum siccavit, sin purum, & absque humore cernitur, ultra. Statimque mensuram quoque excessus, & defectus ex ipso notarum modo intelligemus, tantoque pharmacum, quod deinceps applicabitur, vel siccius, vel non tale admovebimus. Sep-

Septimò, multa mala ſolent vulneri ſupervenire, quæ ſi futura ſint, aut immineant, perutile eſt, ut prævideamus, ſi verò jam ſupervenerint, neceſſarium eſt, ut cognoſcamus, quò à futuris per abſciſſionem cauſarum poſſimus vulneratum præſervare, & a præſentibus liberare opportunis auxiliis, ergo detegendum quotidie vulnus, quò ejus ſtatu inſpecto, & futura prævidere, & præſentia cognoſcere valeamus, & quid agendum ſit, invenire. Antecedens patet, nam vulneri ſupervenire ſolent inflammatio, eryſipelas, gangræna, ſphacelus, & alia multa, quæ prohibere ne fiant, dum ea futura timemus, ſi verò jam ſupervenerint, tollere oportet.

Octavò, lintea, ſicut & faſciæ, pura eſſe debent, quotidie igitur immutanda, cum ab emanante ſanie quotidie conſpurcentur, ſolvendum igitur quotidie vulnus, & hac de cauſa, ut lintea munda apponantur. Antecedens eſt Hippocratis libro de Off. Med. ſec. ſecunda, cujus rationem reddens Galenus dicebat in com. illius loci, quod ſordes, quibus lintea, & faſciæ inficiuntur, morſus excitant, quod quidem inflammationis occaſio eſt non levis; deinde cum oporteat quandoque ea liquore aliquo aſpergere, quæ ſordida ſunt, ut dicebat Galenus libro de Faſciis, id non admittunt, & id, quo perfunduntur, malè afficiunt.

Nonò, inhibenda eſt pravorum halituum generatio, & eorum, qui geniti ſunt, aut quorum generatio prohiberi non poteſt, procurandus eſt exitus, igitur quotidie ſolvendum, & curandum eſt vulnus. Conſequentia eſt manifeſta, dum enim vulnus quotidie ſolvimus, & detegimus, exitum concluſis vaporibus præſtamus? appoſita namque lintea vapores ſupprimunt, ut ex Galeno habetur libro de Off. Med. com. 2. tex. 26. & ſexto Meth. cap. quinto, dum autem excrementa eluimus, materiam halituum tollimus. Antecedens probatur, nam pravi halitus concluſi vulneratam partem diſtendunt, ac morſus excitando malè afficiunt, atque inſuper ejuſdem temperaturam vitiant, & ita vulneris ſanationem impediunt.

Decimò, ille curandi modus, ſub quo melius natura, & ſtatus vulneris innoteſcit, maximè omnium eſt probandus: At ſub modo, qui quotidiè ſolvit, melius natura, & ſtatus vulneris innoteſcit;

tescit, igitur, &c. Major est evidens, nam methodica curatio fit per indicationes, quæ à natura cognita indicantis desumuntur, unde & Hippocrates libro de Ar. dicebat, si medicus sufficit ad cognoscendum, sufficiet ad curandum; & Galenus quarto Meth. cap. quinto. Hæc tria deinceps se habent, signum, affectio, & curatio. Minor pariter probatione non eget; si enim vulnera quotidiè solvantur, & detegantur, & oculis ipsis subjiciantur, plenius quoque licebit eorum statum contemplari, & appositi medicamenti effectum perpendere, maxima enim cognitio est, quæ sensu habetur, unde & consensu omnium longè melius internis affectibus consuleretur, si sensibus obvii forent; notior enim esset eorum natura, & longè melius auxiliorum effectum observare nobis liceret.

Undecimò, si præsagia in re vulnerum sunt necessaria, quotidiè solvendum est vulnus, atqui sunt necessaria non minus ac in reliquis morbis, & ideò auctores omnes præcipui rationem præsagiendi in vulneribus tradunt, igitur, &c. Consequentia facilè probatur, postquam multa sunt, quæ sine vulneris inspectione laterent, cum tamen eorum cognitio sit necessaria, si ex eis eliciendum sit præsagium; inquit enim Hippocrates primo Prædic. text. 18. Vulnera sanguinem fundentia, exudantia maligna sic affecti loquentes latenter moriuntur: at quomodo talia vulnera cognoscemus, nisi oculis inspexerimus? inquit etiam quinta Aph. 65. Quibus tumores in vulneribus apparent, hi non maximè convelluntur, atque insaniunt, verùm his evanescentibus de repentè, quibusdam à tergo convulsiones, & distensiones fiunt, quibusdam ante insania, vel dolor lateris acutus, si tumores sint rubicundi; patet autem nisi vulnera solvamus, ac detegamus, fieri non posse, ut cognoscamus, an vulneri tumor supervenerit nec ne, & an, postquam supervenit, evanuerit de repentè, & cujus naturæ sit tumor ille, ex quorum cognitione pendet Hippocratis præsagium. Eadem est ratio de Aphorismo 66. ejusdem sectionis: Si in vulneribus fortibus, & pravis, tumor non appareat, ingens malum. & de sexagesimo septimo ejusdem: Molles boni, crudi vero mali, & de quartò sextæ: Vulnera circumglabra prava sunt, & de pluribus aliis præsagiis. Sed ab excrementis vulneris maximi momenti

menti eliciuntur præſagia, varia enim excrementa varium vulneris ſtatum conſequuntur, qua ratione dicebat Galenus quinta Aph. vigeſimoſecundo. Nihil mali poteſt advenire vulneri pus generanti, quæ tamen nullius uſus eſſe conſtat, tecto ſervato vulnere, quoniam excrementa obſervari non poſſunt.

Duodecimò, arcendus eſt pruritus, & eroſio à vulnerata parte, at hæc arcentur per quotidianam ſolutionem, & deterſionem, igitur, &c. Major eſt manifeſta ex Hipp. & Gal. lib. de Frac. ubi ob pruritum, & eroſionem jubent, ut ſolvatur pars fracta, & aqua calente perfundatur, quo inquit Galenus com. 1. text. 39. evacuentur humores albi, & ſeroſi in loco perfracto contenti, qui perſpiratione egent, atque etiam deliniatur dolor, & prurigo tollatur, neque ab re, cum ab his exulceratio immineat, unde ſubjungebat Galenus, Quando nullam amplius pruriginem, nullumque dolorem ægrotus ſentiret, & omnia denique rectè ſe haberent circa fractam partem, ſi vel quarta unaquaque die ſolvas, maximè verò in hieme, nihil oberit, & longè adhuc magis, ſi ruſtici ſint illi, qui plerumque lavari minimè conſueverunt: at eos qui in more habent, ut per ſingulos dies, atque etiam magis, ſi bis in die laventur, non eſt in his ſolutio in longius protrahenda, & adhuc magis, ſi illi ſint molles carne. En quanti fecerit Hip. & Gal. ut tollatur pruritus, & eroſio. Quod verò per quotidianam ſolutionem arceantur hujuſmodi ſymptomata, manifeſtum eſt, nam eorum cauſa tollitur, ſiquidem pravis vaporibus datur exitus, qui ab appoſitis linteis, & defectu exercitii ſupprimebantur, ut ſuperius ex Galeno dictum eſt.

Decimotertiò, ille curandi vulnera modus, ad quem tamquam ad ſacram anchoram, ubi urgent mala, cogimur devenire, maximè præſtans, atque methodicus eſt judicandus, atqui ubi urgent mala in vulneribus, ad quotidiànam, & crebram ſolutionem devenire cogimur, ut pus, quod negotium faceſſebat, exprimatur, & idoneum medicamentum apponatur, igitur modus ille, qui vulnera crebro ſolvit, & abſtergit, ac procurat, methodicus, & præſtantiſſimus eſt judicandus.

Decimoquartò, modus, qui ſanitatem facit, non eſt immutandus dicebat Hip. At eo modo, qui vulnera ſæpè ſolvit, detergit,

 atque

atque procurat, præclarè vulnera ad ſanitatem perducuntur, ut experientia teſtatur, ergò non eſt immutandus. Solvendum igitur quotidie vulnus.

CAPUT II.

Reprobatur nova methodus.

His, & hujuſmodi aliis intendentibus neceſſaria videbitur quotidiana ſolutio, atque detectio, ſi ex arte, atque methodicè tractanda ſint vulnera. Sed & ex eo idem confirmari poteſt, quòd ſi fiat aliter, perperam, & abſque methodo inſtituatur curatio: quamvis enim & hoc prædicta argumenta ſequatur, ſunt tamen & alia magis propria.

Primò, curatio methodica certa eſt, non fallax, at modus ille curandi vulnera, quo raró ſolvuntur, fallax eſt, non certus, ergò non eſt methodicus. Major eſt vera, ſi verum eſt Medicinam eſſe artem, & firma habere principia. Minor eventu probatur, ut enim refert Ambroſius Paræus in ſuo de vulneribus ſclopo inflictis libro, per certam quandam temporis conſtitutionem, ſi vel dies præteriiſſet, in quo vulnera non fuiſſent ſoluta, & ab excrementis expurgata, vermes naſcebantur, quid ergò actum fuiſſet de illis vulneratis, ſi tres, aut quatuor dies, vel quatuordecim, aut viginti præteriiſſent, quibus detecta, & procurata non fuiſſent? fallax eſt ergo modus iſte, cum omnibus vulneribus, & quolibet tempore aptari non poſſit. Præterea fallax eſt, & periculo plenum, acria, & fuliginoſa excrementa ſupprimere, ac pravos halitus; periclitatur enim calor nativus, quando non fit idonea perſpiratio, at ſupprimuntur, dum raró vulnera ſolvuntur, ergò fallax eſt, & periculoſus hic modus.

Secundò, illa curatio, ſub qua congruis auxiliis deſtituuntur vulnera non eſt methodica; at ſub modo, qui raró ſolvit, congruis auxiliis deſtituuntur, igitur talis modus non eſt methodicus. Major eſt manifeſta, ſed tamen & ex Gal. colligi poteſt 6. Aph. 18. ubi Gal. cauſam afferens, cur quædam internarum partium vulnera ſint inſanabilia, ſic dicebat, Tenuja inteſtina tota diſciſſa

discissa usque ad eorum cavitatem, rarissimè agglutinantur. Hoc autem non, ut mihi videtur propter eorum substantiam accidit, sed quoniam non possumus æquè intrinsecis, sicuti extrinsecis imponere vulneribus medicamentum idem ex 3. Meth. 4. licet colligere. Minor probatur, nam virtus medicamenti primùm impositi, brevi evanescit, quarè si differatur novi medicamenti appositio, toto illo tempore congruis auxiliis destituitur vulnus.

Tertiò, si modus ille curandi, qui rarò solvit, esset methodicus, omnibus vulneribus aptari posset, sicuti modus, qui quotidiana solutione procedit, at non omnibus vulneribus aptari potest, ergò non est methodicus. Sequela probatur, quoniam methodus est universalis quædam via, quæ omnium particularium est communis, ut inquit Gal. 4. Meth. 4. Assumptum patet, namque si vulnus fuerit acuto telo inflictum in parte nervosa, idemque sit profundum, & stricti orificii, ut pus exeat, necesse erit quotidie manibus comprimendo pus exprimere, & præcipuè, si orificium vulneris sursum spectet, aliter fit ulcus illud ferinum Hippocratis, retento pure, ut experientia sæpè comprobatum est, prætereà in linguæ vulneribus inanis est ille modus, cum non reperiatur materia medica, quæ possit tandiù adhærere parti, neque fieri possit conveniens deligatio, neque tegumentum apponi; eadem est ratio de internarum partium vulneribus.

Quartò, si modus ille curandi, qui rarò solvit, esset methodicus, & rationalis, de eo pertractassent principes auctores, qui de re medica scripserunt, sicuti communis modi meminerunt, cum veram medendi methodum optimè callerent, at neque Hipp. neque Gal. neque Cornel. Celsum, neque alium ex illustrioribus hac de re pertractasse comperimus, vanus igitur, & ἀμέθοδος judicandus est hic modus.

Quintò, pravus est ille curandi vulnera modus, qui adnexum habet siderationis periculum, at hujusmodi est curandi modus, qui rarò solvit, ergò, &c. Major est manifesta, minor verò ex eo probatur, quod ait Gal. lib. de Fac. com. 2. tex. 22. de calce, quem ex longo decubitu nigrescere inquit, nisi sæpiùs attollatur, ut perspiret, ideòque dicebat, cum orbem ex molli lana confectum imponendum consuluisset, quo orbe ita firmandus est calx, & in-
inferior

ferior ejus pars adeò elevanda, ut non collidatur, ſed facilè perſpiret, & minimè excalefiat, quod etiam prius dixerat Hippocrates eodem loco. Pari ergò ratione periculum erit ſiderationis, vel ſaltem fluxionis, & inflammationis, ſi diutiùs tecta ſerventur, cum tollatur perſpiratio partis ob tegumentum. Etenim applicata lintea conſtipant partem, atque ita calorem ſuffocant, vel adaugent, & fluxionem advocant, unde Gal. lib. de off. med. com. 2. text. 16. reddens rationem, cur Hip. velit non eſſe lintea ſicca aſſumenda in ulla prorſus deligatione, ſed quæ ſint aliquo liquore madefacta, hæc dicebat, ſicca enim præter id, quod illius utilitatis, quam madefacta præſtant, expertia ſunt, etiam partium, quibus injiciuntur, poros conſtipantia, in eis calorem adaugent, & proinde ad affectam partem humores è locis vicinis attrahunt, quod quam moleſtum ſit, utpotè quod occaſionem præbeat tumoribus excitandis, nulli ſanè obſcurum eſt.

CAPUT III.

Nova Methodus pluribus argumentis comprobatur.

ADmodum urgere videntur hæc argumenta, ſæpiuſque cum Romæ degerem, iiſdemmet tanquam tutiſſimis machinis novum illum modum oppugnare ſum aggreſſus. Et nonnullis ex primis, qui tunc temporis eam curandi rationem profitebantur, neſcientes quò ſe verterent, memini reſpondere ſolitos, ejuſmodi viam non eſſe methodo curandi ab antiquis traditæ, conſentaneam, ac non ſolùm non poſſe à contra allatis rationibus vindicari, verùm neque ratione quapiam efficaci poſſe firmari: ideoque ſoli experientiæ ſtandum eſſe. Alii ut res ſuas tuerentur, hoc argumentum excogitarunt, Quando ratio contra ſenſum militat, & invicem diſcordant, ſequi ſenſum oportet, & judicanda eſt ratio ſophiſtica; prima enim noſtra cognitio ortum ducit à ſenſu, & experientiis, quæ à rebus ſenſatis accipiuntur, artes conſtituuntur, quamobrem experti, dicebat Ariſtoteles primo Metaph. magis id, quod intendunt, conſequuntur, quam illi, qui rationem abſque experientia tenent; at ſenſu deprehendimus, hoc novo modo

modo fœlicissimè vulnera sanari, & breviori tempore, quam quovis alio, ergo sequi hunc novum modum oportet, & rationes, quæ contra ipsum faciunt, sophisticæ sunt judicandæ. Sed tamen nec arduum negotium fuit apud cordatos, & perspicaces viros media validissima in illius comprobationem adinvenire.

Primò quidem, ille modus curandi vulnera methodicus, & præstantissimus est judicandus, quo præcipua opera, quæ ad ea sananda requiruntur, optimè, & maxima cum securitate celebrantur, at sub novo hoc modo hujusmodi opera fælicissimè celebrantur, ergo methodicus, & præstantissimus est judicandus. Major est manifesta; minor verò probatur, illo siquidem modo, quo naturalis calor fortior, & vegetior redditur, eò melius, & majori cum securitate perfici talia opera existimandum est, at novo hoc modo naturalis calor fortior, & vegetior redditur, quam quovis alio, igitur & eò melius, & majori cum securitate perficiuntur hæc opera. Major probatur, namque præcipua opera, quibus vulnera ad sanitatem perducuntur, sunt naturæ, seu naturali calori attribuenda, sive enim agglutinare oporteat, sive suppurare, sive carnem generare, omnia hæc naturæ sunt opera. Minor manifesta erit, si consideraverimus in vulneribus duabus potissimum de causis imbecillum reddi naturalem calorem, prima quidem quia difflatur ejus substantia ob defectum naturalis tegumenti, & sanguinis effusionem: altera quoniam ambientis frigore ejus qualitas obtunditur; utrique autem huic incommodo peroptimè consulitur, dum tecta servantur vulnera; Etenim ob tegumentum prohibetur caloris difflatio, ambientisque in ipsum actio; quare necesse est, nisi quid aliud accidat, & brevi pristinum robur recuperet naturalis vulneratæ partis calor.

Secundò, ille modus curandi vulnera optimus censeri debet, quo maximè avertuntur ea, quæ vulnerum sanationem remorantur, ac prohibent; At novo hoc modo id maximè assequimur, ergò, &c. Minor probatur, nam inter ea, quæ maximè remorantur, & prohibent vulnerum sanationem est humorum confluxus ad partem vulneratam, at eo curandi modo maximè præcavetur fluxus ille: Cum enim ad partem aliquam potissimam fluant, vel quia ab aliis partibus ab eam transmittantur, ea verò recipiente propter

imbecillitatem, vel quia ab eadem attrahantur ob dolorem, aut calorem, teste Galeno secundo, de dif. Feb. Cap. ult. & 13. Meth. secundo, si cooperta serventur vulnera, principia hæc fluxionis valde imbecilla redduntur in vulnerato, fit enim pars robustior servato, & firmiori reddito ipsius calore naturali ob tegumentum, unde non æque apta est ad recipiendum, neque dolor concitatur, qui in vulnerum contrectatione solet concitari, dum videlicet quotidie vulnera solvuntur, & deterguntur: quare ob nostrum curandi modum nulla omnino additur accersendæ fluxionis causa.

Tertiò, ex Galeni doctrina quarto Meth. tertio, validissimum argumentum pro hujusmodi comprobatione desumi videtur, ibi enim inquit, sive ulcera simplicia sint, sive cum cavitate, ex fugiendis, prospiciendisque iis, quæ naturæ officiunt, sanatio perficitur, hoc fundamento constituto sic arguitur: Ex iis, quæ naturæ maximè officiunt, est expositio vulneris aëri ambienti; hac enim imbecillis redditur calor partis proprio, & naturali tegumento destitutæ, tum quia ab ambientis qualitate alteratur, tum etiam quia ejus substantia difflatur, quo nihil ferè pejus contingere potest vulneri; igitur optima erit curatio, qua paratur tegumentum parti, quod ab injuriis externis proprio tegumento destitutam partem protegat, & ejus naturalem calorem conservet, hoc autem cum novo illo modo paretur, manifestum est eum tanquam optimum esse approbandum.

Quartò, ex ipsius Hippocratis doctrina depromptum argumentum affertur, istius modi perfectionem comprobans. nam lib. de Frac. sect. tertia. text. septimo, reprobans curationem quorundam Medicorum sui temporis in fracturis cum vulnere, inter ea, quæ objicit tali curandi modo, illud est, quod ossa, quæ discessura non erant, discedunt, necesse est, inquit, ut ulcus decoloratum sit, & labiis eversum, ac protuberans, verum lachrymosum, & minimè suppurans, ossa verò, quæ discessura non erant, discedant, hoc stante sic arguo: Novo hoc modo ossa, quæ sub communi separari solent, non discedunt, igitur perfectissimus est novus hic modus. Consequentia patet, duobus enim propositis vulneribus penitus æqualibus, quæ diverso modo curentur, si ab uno eorum ossa discedant, ab altero verò nequaquam, vel in minori

nori longè quantitate, id, conſtat ex Hipp. attribui non poſſe, niſi perfectiori, & minus perfectæ curationi, ſi cætera ſupponantur æqualia. Antecedens ipſa experientia comprobet. Curavi ego novo hoc modo capitis vulnera cum inſigni oſſis læſione, ut quilibet magnam oſſis portionem abſceſſuram judicaret, & tamen mihi nunquam licuit minimam oſſis portionem, quæ abſceſſerit, obſervare, ut res admiratione digna videretur. Sed quoniam unuſquiſque idem poterit experiri, non eſt, quod de hoc plura dicamus.

Quintò, modus ille curandi vulnera, ſub quo pauciora in ipſis generantur excrementa, potior eſt judicandus, at ſub novo hoc modo pauciora in vulneribus generantur excrementa, quam ſub communi, igitur, &c. Major eſt manifeſta, quod enim in duobus vulneribus æqualibus inæqualiter generantur excrementa, in aliud referri non poteſt, quam in perfectiorem, & minus perfectam curationem. Minoris veritatem experientia demonſtrat, eamque cuivis licet conſulere.

Sextò, ille curandi modus, ſub quo vulnera fœlicius ſanantur, & citius, quam ſub aliis, præſtantiſſimus eſt judicandus, at ſub novo hoc modo vulnera fœlicius, ac citius ſanantur, quam ſub quovis alio, ut experientia teſtatur, ergo novus hic modus præſtantiſſimus eſt judicandus.

Adducuntur inſuper quædam Hipp. loca, ex quibus nonnulli colligunt Hippo. non alio modo vulnera curaſſe, in alium tamen locum ea rejicere ſatius duximus, in eum videlicet, in quo Hippo. mens Galeni, & aliorum illuſtrium Medicorum indagabitur.

CAPUT IV.

Deſtruuntur fundamenta Novæ Methodi.

QUamvis contra novum modum plura allata ſint, & ex iiſdem etiam argumentis, quibus quotidiana ſolutio neceſſaria probatur, infirmetur idem modus, ſunt tamen & alia non minoris momenti, quæ illius fundamenta penitus evertere cenſentur, videtur ſiquidem hic modus, quatenus argumenta in ejus comprobatio-

probationem adducta demonstrant, soli naturæ fidere, & parum admodum medicamentis tribuere; verùm quàm vanum sit hoc fundamentum, ex his conjici potest.

Primò, si natura ex se posset vulnera sanare, hoc maximè verum esset in vulneribus internarum partium, & viscerum; At hæc non potest absque continua medicamentorum ope ad sanitatem perducere, ergo nec ulla poterit. Consequentia est manifesta, nam in partibus internis maximè viget naturalis calor, & ad eas injuriæ ambientis vix possunt pervenire, quare hæ minimè omnium quotidiano medicamentorum usu videntur indigere, Assumptum probatur ex Galeno pluribus in locis, quarto enim Meth. sexto, inquit: Quæ vulnerata sunt in crassis intestinis, iis, quæ per sedem injiciuntur, medicamentis magis indigent, quæ in superioribus, ambo requirunt, & quæ per sedem injiciuntur, & quæ supernè sumuntur. hoc stante sic arguitur: Si vulnerata intestina talibus indigent medicamentis, fateri oportet, non magis iis egere uno tempore, quam alio, cum quovis tempore æqualiter se habeant ad medicamenta, ergo quotidie, & pluries etiam qualibet die oportebit medicamenta injicere, cum non semper eorum actio perduret, immo vulneris locum vix momento attingant. Quòd si hoc est necessarium, certum est, solam naturam ad sananda ejusmodi vulnera non sufficere, & tamen intestina sita sunt intra peritonæum ab externis injuriis remota. In idem tendere videtur, quod eodem loco ait Galenus, videlicet: Communis internarum partium indicatio est, ut ea eligantur, quæ sunt naturæ animalis valde familiaria, fugiantur, respuanturque contraria, & illud si ulcus sit in interioribus, & ad cicatricem illud perducere, aut agglutinari studemus, eligenda alimenta sunt tum austera, tum glutinosa, tum quæ minimè mordeant; sin emundare quæ modicè abstergant, quod munus mel non coctum inter cætera præstat. Ecce quomodo Galenus hìc alimenta medicinalia eligit, quæ non solùm quotidie, sed qualibet etiam die bis, quandoque etiam sæpius exhibentur, ergo necessarius est quotidianus medicamentorum usus in vulneribus internis, igitur & in omnibus, non ergo sola natura id potest. Eodem etiam loco dicebat: Gargarizare quoque jubendum esse ei, qui ad fauces ulcus

cus habet: manifeſtum autem eſt, ſi de unica gargarizatione intellexiſſet Galenus, irridendum eſſe cum citò tranſeat vis ipſius; intelligebat ergo de crebra gargarizatione, unde & ibidem dicebat: Ad ulcus, quod in arteria ſit aſpera, ut ſupinus, quàm diutiſſimè in ore teneat, ac omnes, qui illic ſunt muſculos relaxet, remittatque præcipiendum. Et eodem: Ex poſitu, & figura partis excogitatum eſt ei, cui exulceratus eſt ventriculus, medicamenta eſſe bibenda, cui gula non ſemel, nec tota ſimul aſſumenda, ſed paulatim, & aſſiduè. Sed quid pluribus opus eſt, nonne quivis Medicus in partium internarum vulneribus, ut ventriculi, epatis, inteſtinorum, veſicæ, renum quotidiè exhibet medicamenta ulcus reſpicientia? Si ergo hoc eſt neceſſarium in vulneribus viſcerum, quorum providentiam habet natura, dicebat Hippocrates, cur non erit neceſſarium quotidiè medicamenta apponere externarum partium vulneribus? Quomodo, aut qua ratione tantam rem egenti naturæ committere audebimus? Nec valet, quod forſan dicet quiſpiam, tunc eſſe neceſſariam quotidianam medicamentorum applicationem, quando eorum actio, & virtus ſervari diutiùs non poteſt, at quando vulnerum medicationes adeò protrahuntur, talia adhibentur medicamenta, quæ diutiùs proprias vires ſervant, & propterea non eſt, cur quotidiè vulnera ſolvantur, cum pluribus diebus perduret vis medicamenti primò appoſiti. Quamvis enim in levioribus vulneribus quæ cito ſanantur, hoc forſan poſſit admitti, non admittendum tamen in iis, quæ graviora ſunt, & longiori tempore ſanari ſolent, ut in penetrantibus vulneribus capitis; non enim apparet, quomodo genito in vulnere pure, atque ipſi medicamento admixto, non pereat vis medicamenti, aut quomodo propter calorem partis non evaneſcat, quin videtur neceſſarium ex pravorum halituum, & excrementorum putridorum permixtione malam, & adverſam qualitatem eidem advenire.

Secundò, non poſſunt curari vulnera cava citra abſterſionem, veluti demonſtrat Gal. tertio Meth. quarto: Atqui abſterſio eſt medicamentorum opus, non naturæ, qua ratione dicebat Galenus tertio Methodo octavo: Purgari ſordida poſſe etiam carne naturalem ſtatum non ſervante, quia hoc medicamentorum eſt

 opus,

opus, igitur citra usum medicamentorum non potest curatio vulnerum perfici. At medicamenta apposita non possunt integras vires diù retinere, ut etiam superiùs dictum est, igitur crebrò solvendum erit vulnus, ut semotis iis, quorum vires jam sunt perfractæ, quæ ex usu sint, substituantur.

CAPUT V.

Num turundarum, & penicillorum usus in vulnerum curatione sit methodicus & necessarius.

Quantis urgeatur difficultatibus prima quæstio, argumenta utrinque allata facilè declarant, verum nec leves continet difficultates altera, quæ ad usum turundarum, & penicillorum spectat. Communis siquidem usus eos recipit, immo necessarios judicat pro certa cavorum vulnerum curatione; altera verò eorum usum non admittit; & pro utraque parte adsunt non contemnendæ rationes; qui enim turundis, & penicillis utuntur, sic suas tutantur partes. Oportet in curatione vulnerum, quæ cava sunt, parare exitum generandis excrementis, ne fiat ulcus illud ferinum, de quo Hippocrates meminit libro de locis in hom. quod quidem fit, quia materia contenta non habet exitum, at paratur hic exitus ope turundarum, & penicillorum; servant enim vulnerum ora hiantia, unde nullum subest periculum retentionis puris, ergo usus talium non solùm methodicus est, & admittendus, verùm etiam necessarius.

Secundò sic arguunt, Studendum est in curatione horum vulnerum, ut medicamenta undique tangant vulnus, qua ratione dicebat Galenus tertio Methodo quarto: Studere oportet, ut eo modo componatur medicamentum, ut ad fundum ulceris ejus vis penetrare valeat, at hoc optimè fit per turundas, & linamenta, cum hæc congruis medicamentis illiniantur, & per vulnus disponantur, ergo necessarius est usus turundarum, & penicillorum. Probatur major, quia omnis actio fit per contactum; si ergo medicamenta agere debent, oportet ut tangant. Adducunt tertiò quædam Galeni, & Cornelii Celsi, ac ipsius Avicennæ loca, ex

ex quibus manifestè deprehenditur, eosdem uti consuevisse turundis, & penicillis in vulnerum curatione. Sed ea posteriùs considerabimus.

Contra qui penicillos, ac turundas ablegant, sic arguunt.

Primò, si talium necessarius esset usus, hoc esset maximè, ut vel servarent ora vulneris hiantia, vel medicamenta per ea vulnerum parietibus adhærerent, veluti argumenta priùs allata videntur assumere; At neque hac neque illa ratione conveniunt, igitur non est necessarius eorum usus. Probatur assumptum; quòd enim non conveniant, ut servent hiantia ora vulneris, ex his elici potest: Os vulneris claudi non potest, nisi vel labia ejus agglutinentur, vel caro generetur, ita ut vulneris ora obstruat; at hæc fieri non possunt, nisi pars naturalem suam dispositionem habuerit, quia hæc sunt naturæ opera, ut dicebat Galenus 3. Method. 4. 8. & 9. & 4. Meth. 1. frustra ergo ponuntur turundæ, & penicilli intra vulnera, antequam pars naturalem suam dispositionem habeat, ut servent aperta ora vulneris, cum neque si vellemus, claudi possint. Ubi verò pars naturalem suam dispositionem habuerit, manifestum est non convenire, quia tunc est tempus generationis carnis, & agglutinationis, quæ impedirentur ex talium impositione, nihil enim interponi debet inter ora agglutinanda, Gal. 4. Meth. primo, & lib. Art. Med. c. 90. non igitur conveniunt, ut servent ora hiantia. Sed neque ut medicamenta tangant vulneratam partem, cum hoc optimè assequi possimus, etiam si talia à natura vulneratæ partis aliena intra vulneris labia non immittantur, puta si liquentur & intra vulnus instillentur; frustra autem fit per plura, quod potest fieri per pauciora, & æque benè.

Secundò, nihil vulneri apponendum, quod naturæ subjectæ partis sit infestum, alioqui etiam debilis ob solutam unitatem, & effusionem sanguinis, qui innatum calorem partis fovet, & alterationem ab ambiente inductam, cum partes aëri exponantur, quæ nunquam antea illum fuerunt expertæ; Atqui turundæ, & penicilli naturæ partis affectæ sunt infesti; sunt enim ab ea prorsus aliena, cujus signum illud esse potest, quod in illis expellendis semper laborat, unde necessarium est fateri ab iis naturam abhorrere, & ob

ob pondus etiam, quo partem opprimunt, igitur in vulneribus eorem usus est reprobandus.

Tertiò, in vulnerum curatione cavere oportet omnia dolorifica, & irritantia, ne fiat attractio fluxionis ad partem, at hujusmodi solent esse turundæ, & penicilli, igitur fugiendi. Probatur minor, nam turundæ, & penicilli partem distendunt, comprimunt, & pondus inutile, quin potiùs pondus noxium adjiciunt, quare dolorifica, & irritantia erunt auxilia, si modò auxilium dici mereatur, quod est morbifica causa.

Quartò, quod evadit causa morbifica, fugiendum est in curatione vulnerum, at hujusmodi sunt turundæ, & penicilli igitur &c. probatur minor propterea quòd turundæ, & penicilli pure imbibuntur, & pravis halitibus inficiuntur, unde malam qualitatem sibi asciscunt, & eò magis quoniam impedientes puris difflationem sunt in causa, ut & ipsum pus pravum reddatur, & pravæ qualitatis malignam putredinem concipiens.

Quintò, adducunt Hippocratem, & Galenum, qui nunquam eorum meminerunt, cum de vulneribus curandis sermonem haberent, immo Galenus ut medicamentum ad fundum vulneris penetrare valeat, non utitur turundis, sed medicamentum liquat, ut videre est 3. Meth. 4. quo loco dicebat: Studere oportet, ut eo modo componatur medicamentum, ut ad fundum ulceris penetrare ejus vis valeat. Ecce quo modo à medicamenti compositione, non à turundis id requirit. Idem colligere licet ex Galeno lib. de fract. sect. 3. com. 21. ubi inquit: Ego plures gravissimè vulneratos curavi appositis super ipsum vulnus linteis multiplicibus ejusmodi vino madentibus, superadditaque exteriùs molli spongia. Ecce quomodo intra vulnus nihil immittebat Galenus etiamsi gravissimum esset vulnus.

Primùm quoque argumentum adversariorum in ipsos retorquent hoc modo, Parare oportet exitum puri, ne, eo retento, fiat ulcus illud ferinum Hippocratis, atqui turundæ, & penicilli, cùm ora vulneris claudant, potiùs purulentam materiam supprimunt, ergo absque turundis, & penicillis curare vulnera oportet.

Afferunt insuper, qui turundas, & penicillos reprobant, nonnulla, Galeni, & Hippocratis loca, ex quibus directè videtur impugnari

pugnari

pugnari illorum usus. Verùm considerationem ipsorum in eum locum rejiciemus, in quo quæstionem dissolventes, Hippocratis & Galeni mentem perscrutari oportebit.

CAPUT VI.

Undenam petenda sit harum difficultatum solutio.

UT in hisce difficultatibus è tenebris abditam veritatem in lucem proferamus opus est inprimis videre, quid postulent hæ quæstiones. Id quidem, quod quæritur summatim propositum est; at si diligenter inspiciamus, aliud etiam exposcere videntur, quærere enim, an sæpe, aut raro solvendum sit vulnus, & an turundarum, & penicillorum usus sit recipiendus, nihil aliud esse videtur, quam inquirere, an quæpiam sit causa, propter quam oporteat aut sæpe aut raro vulnus solvere, & turundis, ac penicillis uti, & quænam illa sit: hac etenim inventa procul dubio cessabit omnis quæstio, ex ea siquidem fiet manifestum, num hoc, vel illo modo procedendum sit in vulnerum curatione. Quòd quidem necessarium sit ponere aliquam causam, quæ nos ad hoc, vel illud impellat, negari non potest; nihil enim fit sine causa. Verùm unde petenda est hæc causa? non aliunde profectò quam ex ipsa curandi ratione? seu curativa arte, ut quæ rationalium curationum omnium reddit causas. Sed, quoniam ipsa curandi ratione & quid agendum sit, & rectus usus materierum medicarum innotescit, videndum est, an hæ quæstiones ad quid agendum, an ad rectum usum pertineant, Prima quidem facie ad rectum usum materierum medicarum, quibus ad curationem vulnerum utimur, spectare videntur: & quod ad primam attinet, partim ad quando agendum, partim autem ad agendi modum reduci nemo inficiabitur: quærit enim, an melius sit quotidiè solvere vulnus, & medicamenta applicare, an per longiora temporis intervalla. En supponit jam inventa fuisse remedia, & eorum materias, sed tamen dubitat, quando istæ materiæ sint applicandæ, nùm quotidiè semel, aut bis, an quarta quaque; aut decima die, vel etiam rariùs. Ad modum etiam utendi partim redigi

An propositæ quæstiones spectent ad Quid agendum an ad rectum usum.

digi debere, non est dubitandum, siquidem an pluribus, aut paucioribus vicibus medicamenta inventa sint in usum revocanda, ad utendi modum attinet. Altera similiter quæstio ad utendi modum reducenda videtur, siquidem cum jam inventa sint præsidia pro curandis vulneribus, ambigitur modò quinam sit germanus utendi modus, nùm videlicet applicanda sint cum linamentis, an potiùs citra hæc. Attamen, si rem, ut decet, perpendamus, totam potiùs methodum vulneribus medendi, quam rectum usum tantùm materiæ medicæ postulare videbuntur, id ex eo licet colligere, quod qui quotidie vulnera solvunt, eisdemque medicamenta applicant, non ea tantum gratia id faciunt, ut rectè materiis præsidiorum jam inventis utantur, quo evadant materiæ indicati specifici, & determinati, verùm etiam, ut siccent, abstergant, & hujusmodi alia faciant proponentes sibi aliquas intentiones, quibus quotidiana illa solutione satisfacere profitentur: non aliter & qui raro solvunt vulnera, cum non ea tantùm gratia id faciant, ut rectè utantur præsidiorum materiis inventis, sed scopos quosdam peculiares propositos habeant, quos aliter curantes non assequuntur, nam ad decimam, vel ad vigesimam, exempli gratia, non differunt solutionem vulneris, ut rectè utantur terebinthina, vel alia materia, sed servandum, exempli gratia, fovendum, ac roborandum naturalem calorem censent, quo propria munia promptè perficiat, & hoc diuturno illo tegumento assequi sperant. En quomodo quærere, an sæpè an potius rarò solvendum sit vulnus, est quærere, quænam sint veræ, & propriæ intentiones curandorum vulnerum, seu quinam sint scopi, quos attendere debemus vulnera curantes. Similiter & qui turundis utuntur, & qui citra turundas, & linamenta curanda esse vulnera contendunt; non enim ea tantum ratione id faciunt, ut eo modo invento medicamento utantur, sed utrisque proprii sunt propositi scopi, quos hac curandi ratione hi, illa illi assequi volunt. Quocirca ut propositæ difficultates solvantur, necessarium est invenire, quænam sit rationalis via, seu methodus vera curandi vulnera; ex ea prorsus manifestùm reddetur, cur hac via magis, quam illa incedere oporteat: cum principia curationis vulnerum contineat. Vera autem methodus illa est profectò, qua vulnerum auxilia per indicationes

Totam methodum exposcunt.

dicationes inveniuntur, omnis enim medendi methodus, ut dicebat Galenus 2. Meth. 7. per indicationem fit. Cum autem indicationes curativæ ex natura morbi, cui mederi paramus, desumantur, ut colligere licet ex Gal. 2. Meth. 7. & 3. Meth. 1. & 4. Meth. 4. & pluribus aliis in locis, necessarium quoque est, ut in vulneribus ab eorum natura eliciantur. Quapropter investiganda nobis est inprimis vulneris natura, ut quas indicationes vulnus suppeditet, notum fiat.

CAPUT VII.

Quid sit Vulnus.

QUòd vulnus sit quædam solutæ continuitatis species, accipiunt omnes: at quamvis in hoc conveniant, in afferendis tamen differentiis, per quas vulnus à cæteris solutæ unitatis speciebus distinguatur, non idem sentire videntur. Gal. enim 3. Meth. 1. inquit: Vulnus esse continui solutionem ex vulnerando in carnosa parte relictam, à qua forsan definitione quidam ex posterioribus distinctionem inter vulnus, & ulcus acceperunt, vulnus esse dicentes, quod ab externa causa infligitur, ulcus verò, quod ab interna. Verum quidem est, ulceris nomen quandoque largè accipi, prout etiam vulnus comprehendit, sicuti id ipsum accepit Galenus in libris Methodi, & aliis in locis; & ipse Hippocrates libro de Ulceribus. immo quandoque etiam pro omni continui solutione accipitur; cum ipse Hippocrates omnes morbos ulcera dici posse nonnunquam afferat: At si propriè sumatur ulceris nomen, dicit peculiarem continui solutionem à vulnere distinctam, quam determinaverunt illi per internam causam. Alii videntes mancam esse Galeni definitionem, propterea quòd non convertitur cum definito, sed amplior esse videtur, cum multæ sint solutæ unitates à vulnerante causa in carnosa parte, quæ tamen non sunt vulnera, veluti contusiones, & hujusmodi; addiderunt solutionem illam continui esse evidentem, & sensibus conspicuam, ut integra definitio sit talis: Vulnus est continui solutio evidens, & conspicua ex vulnerando in carnosa parte relicta. Alii existimantes per hujus definitionis partes non omnino sejungi vulnus ab ul-

Definitio vulneris à Gal. desumpta.

Definitio aliorum.

ulcere, cum enim vulnus putridum, & ſordidum evadat, quemadmodum ſæpè contingit, ulcus fieri videtur, addiderunt definitioni abſque pure, & ſorde. unde Avic. prima primi doctrina ſecunda, cap. quarto: Solutio continui carni accidens, quæ quidem eſt propinqui temporis, in qua nondum eſt factum pus, vocatur plaga, ſed cum pus fit ibi, vocatur ulcus. Hinc Guido Cauliacenſis dicebat: Vulnus eſt ſolutio continuitatis recens, ſanguinolenta, ſine putredine in partibus mollibus. Et hanc definitionem ex poſterioribus plurimi receperunt, & ideò ulcus propriè dictum definientes, dixerunt: Ulcus eſſe continuitatis ſolutionem in carne, in qua conſiſtit una, vel plures diſpoſitiones, quæ conſolidationem impediunt, ex quibus ſanies, aut putredo cauſatur. Quòd ad Galeni definitionem attinet, difficultatem pati videtur, & eam quidem non levem; eſt enim communis lex in omnibus definitionibus, quod idem per idem, vel per æque ignotum non definiatur, ſed per notius, cum ignotum aliud ignotum manifeſtare nequeat, neque idem ſeipſum, aliter idem ſimul eſſet notum, & ignotum, quod eſt abſurdum: at in Galeni definitione conſpicuum eſt hoc vitium, ſiquidem vulnus definit per actum vulnerandi, at quid aliud eſt vulnerare, quam vulnus inferre? ſi ignorem quid ſit vulnus, quomodò quid ſit vulnerare cognovero? idem igitur per idem definitur, & ignotum per æquè ignotum. Et ideò alii, qui forſan difficultatem hanc effugere voluerunt, non per actum vulnerandi, ſed per externam cauſam vulnus determinarunt, dicentes vulnus eſſe continui ſolutionem in parte carnoſa à cauſa externa. Sed neque definitio hæc caret difficultate, ſi enim ab ignea vi, puta ab aqua fetvente excitentur veſicæ in parte carnoſa, vel etiam exulceretur pars carnoſa, profectò ſolutio continui eſt in carnoſa parte à cauſa externa, nemo tamen hujuſmodi ſolutam continuitatem vulnus diceret. Præterea contuſio carnoſæ partis, e. g. à lapide, eſt ſoluta continuitas in parte carnoſa à cauſa externa, & tamen non eſt vulnus. Quare non ſoli vulneri definitio hæc competere videtur; ſed neque omni vulneri; etenim ſi os frangatur, ita ut os egrediens carnem laceret, nemini dubium eſt, ſolutam illam continuitatem in carne vulnus dicendam eſſe, & tamen non ab externa, ſed ab interna eſt cauſa.

Definitio vulneris ex Avic.

Reprobatur def. à Galeno deprompta.

Reprobatur alia definitio.

Defini-

Definitio igitur proposita neque omni vulneri, neque soli vulneri convenit, cum tamen bona definitio neque excedat definitum, neque ab eodem excedatur. Neque si addatur, quod talis continui solutio sit evidens, omnes tolluntur difficultates; namque exulcerationes ab aqua fervente, vel alia vi combustiva excitatæ conspicuæ sunt, nec tamen sunt vulnera: & soluta unitas in carnosa parte cruris ab osse fracto, & egrediente facta, est vulnus, neque tamen ab externa causa. Postremò allata definitio easdem patitur difficultates, sed & alias insuper; ut enim ab ulcere meliùs distinguatur vulnus, ponitur in ea, quod sit recens, & sanguinolenta continui solutio sine pure, & sorde, cum tamen per hoc non possit vulnus ab ulcere sejungi: nam & ulcera dantur callosa, & sicca, absque sorde omnino, & putredine. Præterea absurdum videtur, quòd in generatione puris vulnus propriam immutans naturam, rationem accipiat ulceris, & eò magis, cum pus, sive putredo, aut sanies faciant in vulneribus, & in ulceribus compositionem, non differentiam, ut quæ seorsum possunt consistere, qua ratione dicebat Gal. 3. Meth. c. 9. At phlegmone, gangræna, putredo, & hujusmodi seorsum, & per se consistere possunt, & propterea faciunt quidem compositionem affectuum in ulcere, non tamen differentias. Assignanturque vulneris differentiæ à tempore, ut videre est 3. Meth. c. ultimo; dicimus enim aliud esse recens, aliud vetustum, insuper aliud brevi tempore curari, aliud verò longo tempore: quod si vulnus tantummodo esset, quod recens est, ineptæ essent hæ differentiæ. Sed & rei veritatem ipsa curandorum vulnerum methodus ostendit, quæ quidem non solùm sanguinolentum, & recens illatum vulnus respicit, verùm etiam illud, cui sordes, & putredo annectuntur, & alia excrementa, ab hisque excrementis proprias elicit indicationes. Ampliùs si vulnus esset tantum quod recens, & sanguinolentum, & omninò puris expers, darentur morbi quorum nulla esset curativa methodus, multa enim sunt vulnera, quæ necessariò pus generant. Transitum quidem hunc ex vulneribus in ulcera & ego libenter admitto, sed quod vulnus in prima ipsa generatione puris ulcus fiat, à ratione videtur alienum, cum nec sæpè contingat hujusmodi transitus. Ut ergo, quænam sint ea, per quæ vulnus à reliquis

Reprobatur definitio Guidonis.

Quid significetur nomine vulneris.

solutæ unitatis speciebus distinguatur, & omninò quid re vera sit vulnus, fiat manifestum, primum statuendum est, vulneris nomine, secundum communem appellationem, eam tantum continui solutionem designari, quæ in carnosa parte contingit, ita tamen ut per carnosam molliores omnes partes intelligantur, non autem propriè dictam carnem tantummodo. Solet enim dividi humanum corpus in partes molles, & osseas: & per partes molles omnes illæ intelliguntur, quæ ad ossis naturam non pertinent, & eædem partes carnosæ dici consuevere. Hoc modo carnosam partem sumpsit Gal. 6. Meth. cap. 1. lib. de dif. mor. c. 2. & lib. de caus. mor. cap. ult. & pluribus aliis in locis. Libro enim de caus. mor. cap. ult. dicebat contusionem fieri in omnibus partibus carnosis, & in ossib. etiam, & maximè puerorum: & ibidem priùs dixerat fractionem, & cariem vocari in osse solutam continuitatem, in carne verò ulcus, aut vulnus. Et lib. de dif. mor. c. 2. Porrò continui solutio in osse quidem fractura nominatur, in carne verò communiter ulcus. Videtur itaque totum corpus distinxisse Gal. in carnosam, & osseam partem, quæ ossa, & cartilagines complectitur. Galenus ipse non aliter vulneris nomen sumpsit, ideoque 3. Meth. 1. dicebat, Vulnus esse continui solutionem ex vulnerando in carnosa parte relictam: & materiam hanc pertractans, de vulneribus carnis propriè sumptæ nervorum, venarum, arteriarum, membranarum, tendinum, ligamentorum meminit. De vulneribus quidem abdominis, musculorum, ac peritonæi 6. Meth. 4. nec non & de intestinorum, ventriculi, & gulæ vulneribus. De nervorum vulnere 6. Meth. 2. & 3. unde postremò dicebat de nervis vulneratis satisfaciant, quæ dicta jam sunt. De tendinum, & ligamentorum vulneribus 6. Meth. 4. ideò dicebat, ligamentum verò vulneratum, &c. De vulneribus venarum, & arteriarum 5. Meth. 2. usque ad caput octavum. De vulneribus pulmonis 5. Meth. 8. De vulneribus diaphragmatis 5. Meth. 9. De vulnere membranarum cerebri 2. de Comp. med. per loca. c. 1. & sic de reliquis, & innumera pene adduci possent loca, ex quibus luce clarius apparet, communem hanc appellationem sequuntum fuisse Galenum. Sed hæc sint satis. Veruntamen Cornelius Celsus vulneris nomen etiam ad ossium fracturas ampliavit, unde lib. 5. c. 26. Vulnus, dicebat,

Totum corpus dividitur in carnosam, & osseam partem.

Significatio nominis Vulneris ex Galeno.

Amplior significatio nominis vulneris ex Celso.

bat, malum eſt quodcunque muſculum, aut nervum, aut membranam, aut os, aut cartilaginem læſit. Sed nos cum Galeno juxta communem uſum vulnus appellabimus, quod mollioribus partibus accidit. Secundo animadvertendum eſt, quòd contuſio carnoſæ partis, quamvis ſit ejuſdem ſoluta unitas, ob id tamen non eſt vulnus, quia non eſt conſpicua, igitur habet hoc ſemper vulnus, quod eſt conſpicuum. Nec objiciatur, quòd viſcera multoties ſint vulnerata, & ipſorum vulnus non eſt conſpicuum, quia ex ſe conſpicua ſunt hujuſmodi vulnera, licet ex accidenti lateant, aut quia anguſtum nimis ſit vulnus, aut quòd medium non ſit illuminatum, & propterea vulnus ſit in tenebris: unde poteſt dici vulnus eſſe viſibile, quamvis actu ob aliquod impedimentum non videatur; deinde ſi viſui minimè pateat, ſpecillo tamen, aut candela cerea, aut alio quopiam poteſt explorari; quà enim vulneranti cauſæ patuit via, & ſenſui patere poteſt. Dicunt nonnulli ſatis eſſe ſi vulneris principium ſenſui ſit patens: verùm ſi uteri corpus immiſſo per vulvam telo vulneretur, intacto ipſo pudendo, quomodo in hoc principium, & quod in ſuperficie eſt vulnus erit conſpicuum? Satis eſt igitur ſi vulnus ex ſe ſit tale: ideoque rectè dixerunt Vulnus eſſe evidentem continui ſolutionem in carnoſa parte. Adhuc tamen non apparet, per quod ab ulcere vulnus ſejungatur, ulcus enim & ipſum in carnoſa parte contingit, & plerumque eſt evidens continui ſolutio, idcirco à cauſa utriuſque diſtinctionem accipiunt, vulnus ab externa, ulcus ab interna cauſa fieri dicentes. Verum ſi ab appoſito cauſtico medicamento, aut ab aqua fervente, vel ferro candente ſolvatur evidenter continuum, hujuſmodi ſoluta unitas erit ab externa cauſa, & tamen non vulnus, ſed ulcus appellabitur. Præterea vulneratur caro ab oſſe intra ipſam contento; ergo non ab externa tantùm cauſa eſt vulnus, ſed & ab interna, ſicuti ulcus non ab interna tantùm, ſed & ab externa. Qui per externam cauſam extrinſecùs incidentem cauſam intelligunt, ab extrinſeco ſcilicet humano corpori advenientem, non aliter ab hac difficultate ſe explicabunt, quàm negando rationem vulneris unitati ſolutæ, quæ à tali fit cauſa, convenire. Cum tamen huic repugnare videatur communis loquendi uſus, aliter eſt ſtatuendum.

Vulnus eſt continui ſolutio conſpicua.

Nos

Causa vulneris est extra carnosam, partem non extra corpus necessario.

Nos igitur dicimus per externam causam haud intelligi debere, quæ communiter à medicis externa dicitur, quæ videlicet est extra humanum corpus, sed causam extra ipsam carnosam partem existentem: unde licet intra humanum corpus contineatur, cum tamen carnosæ partis unitatem solvit, ut, quando fracto crure, os egrediens carnosam partem lacerat, externæ causæ habet rationem, utpote extra carnosam partem existens. Eadem enim est ratio, ac si quis dentibus linguam laceret: quis negaret dentes externam esse causam illius vulneris? Majorem difficultatem habere videtur ea soluta unitas, quæ ab aqua fervente, aut candente igne, vel escharotico medicamento fieri consuevit. At si diligenter intueamur, ab his non parùm differt vulnerans causa, hæc enim confertim agit, causticum medicamentum paulatim. Præterea causa vulnerans prima qualitate non agit, veluti aqua fervens, aut candens ferrum, sed acutie, duritie, & pondere. Quod si externam causam qualitate secunda exulcerare dixeris: multa namque erodendo exulcerant, istud nostræ determinationi non obstat, postquam sensim agit causa erodens, non confertim, & in virtute primæ qualitatis agit, caliditatis scilicet. Sed neque secunda qualitate videtur agere causa vulnerans, verùm potiùs mole, & ut ita dicam, corporeitate: ensis enim acutie secans, vel pungens non vulnerat qualitate secunda, sed sui ipsius corpore divellens: Lapis lacerans, aut contundens non agit qualitate, sed mole sua, dum impetu projicitur, solvit, quamvis non sine duritie; mollia namque corpora, licet impetu projecta, continuum evidenter saltem non solvunt. At corpus durum cum impetu projectum molliores partes, quarum respectu dijudicanda est durities, facilè dividit; duriores verò, atque renitentiores frangit. Pondus quoque non parum corporis actionem adjuvat, utpote quod est in causa, ut major sit impetus ferientis corporis, immo corpus ponderosum solo pondere potest continuum solvere, licet vulnerare nequeat, nisi per accidens, puta os frangendo.

Definitio vulneris.

Objectio.

Concludamus igitur, Vulnus esse solutam unitatem in parte carnosa evidentem à causa externa, mole, atque confertim agente, operationes lædentem. Sed neque hæc definitio omni caret difficultate: videtur enim esse amplior, quàm par sit, cum, & aliquibus

bus ulceribus competat, iis nimirum, in quæ vulnera transierunt, sive ob malam curationem, sive alia de causa. Ponamus, quod ex vulnere thoracis ulcus fistulosum remanserit, profectò ejusmodi ulcus erit evidens continui solutio in parte carnosa, & à causa externa mole, atque confertim agente, cum eandem habuerit causam, quam vulnus. Quare neque vitio carebit hæc definitio. Huic tamen objectioni respondere possumus, licet ulcus, in quod vulnus transit, sit evidens solutio continui, & prima ejus causa fuerit externa, mole, atqui confertim agens, attamen si consideretur, ut ulcus, non ab eadem ortum habere, sed ab affluentibus succis, & ita à causa interna. *Solutio.*

CAPUT VIII.

De Vulnerum Differentiis.

Differentiæ vulnerum aliæ veræ & propriæ sunt; aliæ verò impropriæ; quæ propriæ sunt ab iis desumuntur, quæ vulneribus inexistentia seorsum consistere non possunt, & proinde neque vim habent indicandi, sed solùm alias indicationes coarctant, & ad cognitionem faciunt, ut quæ à figura, magnitudine, tempore, & hujusmodi sunt ductæ. Impropriæ ab iis ortum ducunt, quæ seorsum possunt consistere, & proinde etiam peculiarem indicationem præstant ut sunt intemperies, phlegmone, gangræna, & hujusmodi: Ab iis enim non prodeunt veræ differentiæ, ut quæ complicationem potiùs faciant, seu compositionem affectuum, quam differentiam, quod enim seorsum, & per se consistere potest, dicebat Galenus 3. Meth. ultimo, id nullius unquam alterius fuerit affectus differentia. Hinc eodem loco subjungebat, magnitudo, parvitas, æquabilitas, inæquabilitas, tempus, figura ex eorum numero sunt, quæ aliis accidunt, idcircò faciunt differentias in ulceribus, at phlegmone, gangræna, putredo, & hujusmodi, singula seorsum, & per se consistere possunt, & propteteà faciunt quidem compositionem affectuum in ulcere, non tamen differentias.

Veræ differentiæ vulnerum unde sumantur.

Impropriæ unde.

Propriæ autem vulnerum differentiæ aliæ substantiales sunt,

Substantiales differentiæ unde sumantur. aliæ accidentales: Substantiales, quæ etiam maximè propriæ dicuntur, cum à vulneris substantia ortum habeant, à figura vulneris ducuntur, ejusque magnitudine secundùm unam, vel plures dimensiones, divisionisque æqualitate, vel inæqualitate. Unde Galenus loco citato, Ulcerum quidem maximè propriæ sumuntur differentiæ à substantia rei, nempe quæ à figura ducuntur, & à divisionis magnitudine, idque vel in longitudine, vel in altitudine, vel in ambabus dimensionibus præterea æqualitate in his, & inæqualitate. Juxta variam igitur figuram vulnerum dicimus, alia esse recta, alia obliqua, alia pampini modo retorta, alia hami ritu unca, alia triangularia, alia orbicularia, alia denique hanc, alia verò illam figuram referentia: juxta verò divisionis magnitudinem alia dicimus esse magna, alia parva, alia profunda, alia superficialia, & in summo residentia, alia ampla, alia arcta, & angusta; alia longa, alia brevia. Juxta verò æqualitatem, vel inæqualitatem, alia dicimus esse æqualia, alia inæqualia. Attenditur autem hæc æqualitas, & inæqualitas penes profunditatem tantùm, illud enim vulnus appellatur æquale, quod æqualiter est profundum, inæquale verò quod in una parte magis in summo residet, in alia verò magis profundum est, unde Gal. 3. Meth.ult. Quod si hæc ita se habent omnino profectò & æquale ulcus, & inæquale penes profunditatem erit, quippe diffiso, si ita sors tulit, per longitudinem femore, potest superior divisionis pars altè descendere, inferior in summo corpore hærere: aut contra in summo esse, quæ superior est, profunda quæ inferior. Appellantur autem hæ differentiæ essentiales, licet re vera essentiales vulnerum differentiæ non sint, cum eorum essentiam non constituant, ut quæ à nonnullis vulnerum accidentibus desumuntur, sunt namque vulnerum accidentia magnitudo, figura &c. aliud siquidem est esse vulneris, aliud magnitudinis ipsius, atque figuræ, qua forsan ratione Gal. 3. Meth. ultimo dicebat, magnitudinem, parvitatem, æquabilitatem, inæquabilitatem, tempus, & figuram ex eorum esse numero, quæ aliis accidunt: unde fit, ut nec solis competant hujusmodi differentiæ, verum etiam ulceribus; non inconvenit tamen Medico eas, ut essentiales accipere, posteaquam non in cognitionem, sed in operationem eas dirigit. Accidentales diffe-

Non sunt re vera essentiales differentiæ.

differentiæ, ut ait Galen. loco citato, extrinſecus accedunt, obtinentque rationem ejus, ſine quo non; namque à tempore deſumuntur, unde dicimus aliud eſſe recens, aliud plurium dierum: & à generationis ratione, cujus gratia dicimus aliud eſſe totaliter inciſum, aliud totaliter diſruptum, aliud partim inciſum, partim diſruptum, & à modo, quo ſe habent vulnera ad conſpectum noſtrum: aliud enim eſt omninò conſpicuum, aliud omninò inconſpicuum, aliud ſecundum partem conſpectum fugit, ſecundùm partem verò conſpiciendum ſe præbet. Neque huic adverſatur, quod ſuperius diximus, vulneris naturam explicantes, videlicet vulnus eſſe evidentem continui ſolutionem, ſiquidem ex ſui natura eſt evidens, at ex accidenti quandoque latet. *Accidentales differentiæ unde.*

His adjungere poſſumus differentias eas, quæ ab affectis partibus deducuntur, ſecundùm quas dicere conſuevimus, aliud vulnus eſſe in cute, aliud in carne, aliud in capite, aliud in ventre, &c. ad ſubſtantiales enim reduci non poſſunt, eò quod pars læſa de vulneris eſſentia eſſe nequeat: hinc Gal. loco citato: Quod ſi quæ à loco quoque in quo eſt ulcus, differentias cenſeas, veluti ſi finis muſculi, vel principium muſculi, vel medium muſculi, vel cutis ſit, quod ulceratum eſt, vel jecur, venterve, in quo ulcus conſiſtit, fuerint profectò, & ipſæ ulceris differentiæ, non utique à propria ipſorum natura, ſed à locis, in quibus conſiſtunt, deſumptæ, pariter, & quæ ab externis cauſis deſumuntur: cum enim aliæ cauſæ vulnerent ſecando, aliæ pungendo, aliæ contundendo, aliæ diſrumpendo, & lacerando, tot erunt vulnerum differentiæ: aliud enim eſt vulnus, quod à telo ſecante, ſeu cæſim infligitur, unde & ipſum ſectionem, vel inciſionem dicimus, aliud quod punctim, unde & puncturam, ſeu punctionem appellamus; aliud, quod telo contundente contingit, aliud, quod à vi lacerante. Impropriæ differentiæ ab iis ſumuntur affectibus, qui cum vulneribus complicantur, ſive morbi ſint, ut phlegmone, gangræna, cavitas, ſupercreſcens caro, fractura, luxatio, &c. ſive cauſæ morbificæ, ut vitioſus ſuccus, & omnino fluxio, venenum, telum, & hujuſmodi; ſive ſymptomata, ut ſordes, dolor, ſuperfluus ſanguinis fluxus, &c. *Differentiæ impropriæ.*

CAPUT IX.

De Vulneris effectibus in parte vulnerata.

INter effectus qui à vulnere proveniunt, principem locum obtinet operationum læsio; cùm enim sit continui solutio morbosa, operationes vulneratæ partis sensibiliter lædat necesse est; lædit autem non eas tantùm quæ organicarum sunt partium, sed & quæ similarium, licet non utrasque necessariò, & semper. Quod quidem lædantur interdum organicarum actiones, neminem latet. Quot mancos, & claudos ex vulneribus observamus? quot cæcos? Quod etiam nonnunquam, & quæ similarium sunt partium, negari non potest, cum ex vulnere partem quandoque contabescere videamus, quod citra læsionem alicujus ex iis actionibus quæ similaribus partibus attribuuntur, fieri nequit. Quandoque etiam ex vulnere pars sphacelo corripitur, in quo naturales actiones non solùm læduntur, sed pereunt. Verùm, quænam sint illæ actiones, quæ à vulnere semper, & primò lædantur, non est adeò difficile determinare. Illud est certum, organicas non semper lædi, ut neque rationi consonum videtur, quod semper lædantur per se actiones similarium, & naturales. Ideò à multis, nec forsan ab re, hoc in dubium revocatur, & ab aliis quoque penitus rejicitur; à temperamento siquidem actiones naturales prodeunt, igitur temperamento partis minimè vitiato, sed propriam naturam obtinente, inculpatas esse omnino actiones ab eo provenientes, asserendum est, quippe causam naturaliter esse dispositam, & effectum ab ea non secundùm naturam prodire, à ratione videtur alienum: At vulnus non statim, nec semper temperiem partis vitiat, quin multa ad sanitatem fœliciter perduci in dies observamus citra ullum temperamenti vitium, neque enim dolor, aut calor, aut tumor, aut quid aliud mali supervenit, quod sanitatem remoretur, sed probè caro generatur, sive ea pro vulneris agglutinatione opus sit, sive pro cavitatis repletione. Et quomodo sanaretur vulnus, si intemperaturam annexam haberet? nonne ipsa partis temperatura est sanationis principium? ideoque communiter

A vulnere læduntur actiones tum similarium tum organicarum partium.

acceptum

acceptum eſt, quod à Gal. 3. Meth. ult. dicitur, videlicet temperatam eſſe ſubjectam carnem ad ulcera conglutinanda, tum carne implenda prorſus oportere, & eodem libro cap. 3. fieri non poſſe, ut in ulcere vel carnis productio, vel ſinus impletio, vel agglutinatio, vel cicatricis inductio rectè unquam cedat, niſi ſubjecta caro pro naturali modo ſe habeat. Sed 3. Meth. 4. expreſsè habetur, poſſe ulcus abſque intemperie reperiri, dicebat enim; Hæc ſi feceris, fueritque ulcus ſolùm citra vitioſum ſuccum, aut fluxionem, aut intemperiem, aut phlegmonem, aut aliud quodlibet vitium, &c. Si tamen diligenter inſpexerimus, quòd naturales actiones lædantur, fateri oportebit: namque cum attractio fiat per partem poſt partem, & expulſio redundantis ad proximam, & de parte in partem, ſoluta partis unitate attractionem, expulſionemque ipſius lædi neceſſarium eſt, quod ſi hæ lædantur, nec reliquæ à læſione immunes eſſe poterunt. Quocircà etiamſi temperamentum naturaliter ſe habeat, idemque ſit operationum naturalium cauſa, non eſt ob id inferendum, inculpatas eſſe naturales actiones, cum ad eas præter temperamentum unitas requiratur; ea eſt enim, veluti dicebat Gal. lib. de dif. mor. c. 4. qua unumquodque corpus ſi præditum fuerit, unum eſſe, & unam functionem, vel unum uſum perficere dicitur. Ampliùs coctionis læſionem manifeſtè deprehendimus, cum pars vulnerata excrementa generet, quæ non conſueverat. Antea duo illa excrementa, tenue videlicet, & craſſum in minori longè quantitate generabantur, tenueque per inſenſibilem halitum diſſolvebatur, craſſum verò obſervari vix poterat: At vulnerata parte non ſolùm in majori copia generantur hæc excrementa, verùm inviſibilis perſpiratio redditur ſubinde viſibilis, & fit ichor, à quo vulnus redditur humidum, ut Gal. dicebat 3. Meth. 3. quod non aliundè contingere poteſt, quam ex coctionis læſione. Hic eſt igitur primus effectus vulneris, operationum ſenſibilis læſio, quod ſi actionibus officit, & uſum quoque partium vitiare, ac tollere poſſe non eſt dubitandum: diſſectum peritonæum, effatu digna exiſtente diſciſſione, non amplius inteſtina, ut prius continebit. Diſſecta veſica contenta urina effluet. Cum etiam à principio, & fonte, à corde ſcilicet ad unamquamque partem influat calor, abſque

Semper naturales actiones læduntur à vulnere.

Uſus partium à vulnere oblæditur.

quo nulla pars ad proprias functiones potens esset, hujus enim gratia dicebat Galenus 5. Loc. af. c. 1. partes omnes peculiari cordis temperie actiones suas perficere, propter vulnus necesse est influxum hunc intercipi; fit enim per partem post partem, atque ita requiritur partium continuitas; soluta igitur continuitate ad proportionem intercipietur influxus, neque in una parte magis, quàm in altera, cum omnes hoc influxu indigeant. Hujusmodi læsionis genus animadvertit Theoph. Paracel. idemque in sua minori Chirurgia lib. 1. cap. 2. his verbis circumscripsit. Quod vulnus in morbum transeat, ex repressione substantiæ, naturæ, cursusque sui contingit, prout in externis elementis, ubi tale quid eis accidit. Ut in ignis firmamento, si fissura lata vulneris instar in cœlo per transversum fieret, quæ comparatione quadam ita pateret, qui possent astra cœli sui circuli cursum perficere? Ab uno labio vulneris ad aliud saltatio non admittitur. Nonne aliàs gradum suum sistere Sol, & Luna cogerentur, si circulus eorum sectus foret? Natura si quidem integro plurimum gaudet, ruptaque prorsus abhorret. Comparatione prout astra cœli stare cogerentur, interna pariter astra corporis humani sisti propter vulnus est necessum, ut integer naturæ cursus perfici nequeat; Et prout per stationem astrorum in cœlo, sphæræ corruptio, finisque fieret, itidem & cordis naturæ casus foret, & extinctio. Præter hæc quid aliud maximi momenti, & maxima consideratione digni à vulnere provenit, hoc autem est vitium in temperamento vulneratæ partis. Paradoxum videbitur: attamen fieri aliter non posse suadent multa. Quod plerique veluti per se notum admittant, posse vulnus ab intemperie separari, & à vulnere temperamentum partis vitiari absurdum existiment, probè novi. Ejusdem sententiæ videtur esse Galenus ut qui vulnus ab intemperie sejunctum concedat 3. Meth. cap. 4. & aliis in locis. Idem ratione haud levi ostendi potest, etenim si à vulnere temperamentum læderetur, tolleretur principium, quod vulnera ad sanitatem perducit, & ex consequenti nullum vulnus sanaretur. Istud enim principium est inculpata vulneratæ partis temperies, ut etiam ex Galeno superius dicebatur, nec ullus reperitur, qui aliter senserit, unde si vulneri semper annexa sit intemperatura, nihil erit amplius,

A vulnere intercipitur influxus vitalis caloris.

A vulnere læditur partis temperamentum.

Objectiones.

amplius, quod vulneratis partibus sanitatem afferat. Præterea temperamentum partis non aliter vitiari potest, quam vi agentis, quod qualitatem in parte introducat illius temperamento contrariam, calidam videlicet, aut frigidam, aut humidam, aut siccam, aut harum plures, nam morbi calidi causæ sunt calefacientes, frigidi refrigerantes, humidi humectantes, sicci exsiccantes, soluta verò unitas neque calefaciendi vim habet, nec refrigerandi, nec humectandi, nec siccandi; igitur neque intemperiem inducere poterit. Nihilominus, si rem exactiùs consideremus, ad vulnus necessariò consequi temperamenti vitium comperiemus: idque non minùs ex Galeno colligitur, inquit enim 3. Meth. 3. quod invisibilis perspiratio subinde fit visibilis, quoties naturalis calor languet, vel nutrimento utitur quam justum sit ampliori, vel motus quispiam vehementior animali contingit. Subjungamus nos, quòd in vulnere invisibilis illa perspiratio fit visibilis, cum fiat excrementum illud tenue, quod ichor dicitur, & ulcus reddit humidum; igitur hoc accidit, aut ob naturalis caloris imbecillitatem, aut quia pars ampliori, quàm justum sit nutriatur alimento, aut propter vehementiorem aliquem motum. At duo postrema in vulnerato locum non habent ut plurimum, nam eis tenuis injungitur victus, & quies imperatur, quare ob naturalis caloris imbecillitatem, id contingat necesse est: ergo vitiatur temperamentum vulneratæ partis. Idem colligi potest ex 3. Meth. 4. ubi vires partium ex vulnere imbecillas reddi accipit. ejus verba sunt hæc: Atque etiam si quod affluit pro justo naturæ modo se habeat, attamen vires ipsæ partium, quæ tum propter dolorem, tum etiam ex vulnere sunt imbecillæ, ne quod justum est ferent: quòd si vires partium ex vulnere redduntur imbecillæ, temperamentum esse læsum necesse est, per vires enim dubio procul intelligit Galenus ipsas facultates, atqui facultas est temperamenti proprietas, ut dicebat Gal. lib. de plenit. c. 3. & facultatum omnium essentia, ut ab eodem determinatur 5. Loc. af. 7. & 1. de Præsag. ex pul. c. 4. in peculiaribus partium temperantiis consistit, siquidem non aliud est facultas, quam relatio ad actionem, ut videre est apud eundem primo de Nat. fac. 4. & id, in quo fundatur relatio hæc, est temperamentum tamquam actionis causa, qua

Probatur ex Gal. lædi à vulnere partis temperamentum.

qua ratione Gal. lib. Quod an. mo, 2. dicebat singulorum, quæ fiunt effectrix quædam causa est, quæ ad aliquid refertur, huic verò causæ tamquam alicui certæ rei privatim ac per se appellatio, quædam indita est, in quadam autem à seipsa ad genitum relatione geniti potestas consistit: quocircà tot potestatibus substantiam, quot etiam actionibus esse præditam dicimus. Facultatum igitur imbecillitas necessariò arguit temperamenti vitium. Sed clariùs adhuc ex 3. de Symp. caus. c. 1. idem ostenditur, inquit enim ibi Gal. Duo prima sunt genera aberrationis, unum cum potentia ipsa affecta est, alterum ab externo quopiam errore nascitur, atque utrumque rursùs dividitur, nam potentia bifariam læditur aut per suam ipsius essentiam aut per aliquem instrumentorum morbum. & paulò post: Jam in propria essentia noxæ intemperies quædam agentium qualitatum sunt, & quamvis Gal. de causis læsæ coctionis ventriculi sermonem habeat, patet tamen, id commune esse omni actioni; quæcumque enim actio lædatur, vel læsa facultate, vel ob externum errorem læditur, quibus de causis contingit, ut à proprio scopo aberret potentia; quòd si facultas lædatur, aut in sui essentia læditur aut ob morbum instrumentorum. Cum ergo ex vulnere vires partium reddantur imbecillæ, ipsas in propria essentia lædi, fateri oportet, non autem ob instrumentorum morbum, per quem potiùs impediuntur, atque ita adesse intemperiem quandam agentium qualitatum, ipsa namque facultatum essentia est temperamentum. Confestim etiam sanarentur vulnera, si temperamentum vulneratæ partis nihil oblæderetur; numquam deest materia pro agglutinatione & carnis generatione, agens naturaliter est dispositum, temperamentum videlicet, supponamus, quòd nihil aliud mali vulneri supervenerit, & illud solummodo detrimentum habeant partes, quod à vulnere primò illatum est, quid igitur impedimento esse potest, quominùs subsequatur statim sanatio? Quid est in causa, quòd per aliquod temporis intervallum facultas veluti ociari videatur? Nulla alia profectò assignari potest causa præter facultatis imbecillitatem, ac temperamenti vitium. In læsam attractionem, vel expulsionem, quas ab unitate soluta lædi diximus, id non est referendum, cum enim hæc semper sit eadem,

Confirmatur ratione.

dem, ſicuti à principio ſanationem impediret, ita quoque in progreſſu. Sed hujus effectus veritatem ex ipſa rei natura, & propriis principiis comprobemus. Tota difficultas in eo ſita eſt, ut rectè, quid ſit temperamentum, intelligatur: hoc habito ſimul reddetur manifeſtum, num à ſola qualitate poſſit vitiari, an potiùs alter ſit læſionis modus. Propterea paulò altiùs exordiri rem hanc oportet; cum præſertim non omnes in ſtatuenda temperamenti natura conveniant, & ex malè intellecta ejus natura multa ignorari ſit neceſſe, & eorum maximè, quæ ad vulnera pertinent, & in multas, atque inextricabiles difficultates incidere.

CAPUT X.

In quo ratio temperamenti ſit conſtituta, & quòd à vulnere lædatur temperamentum partis.

ETſi, qui ex antiquis fuerunt illuſtriores, in aſſignando temperamento convenerint, ex poſterioribus tamen non pauci ab eorum placitis deflectentes, in varias diſtracti ſunt ſententias; alii enim mixtionem eſſe voluerunt, alii concentum, & harmoniam primarum qualitatum, alii earum proportionem. In quibus tamen opinionibus recenſendis non immorabimur, ne à propoſito noſtro longiùs abeamus: Sed brevitati ſtudentes ex rei natura, quid temperamentum ſit, inveſtigabimus. Præmittendum eſt igitur, in quo jam conveniunt omnes, corpus noſtrum ex quatuor elementis non ſecus ac reliqua mixta eſſe conſtitutum: An verò potentia, & virtutibus inſint, an actu, & propriis formis, non eſt hic determinandi locus, & parum ad rem noſtram facit. Ex Hippocrate tamen lib. 1. de Diæta manifeſtè colligitur, elementa non modò virtutibus, ſed & propriis formis manere in mixto, licet refracta, & caſtigata: quaſi elementorum formæ ſint neceſſariæ ad conſtituendum mixtum, ut quæ materiam primam reddant idoneam materiam ipſius mixti, cui muneri citra has formas eſſet inepta. Et Hipprocrati videtur ſubſcribere Gal. 1. de Elementis. Et quod ex primis quatuor eorum qualitatibus ob mutuam actionem refractis poſt activarum actionem in paſſivas,

Primum fundamentum.

Elementa ſunt in mixto actu ex Hipp. & Gal.

veluti artificis in materiam, & earum elaborationem, sicut in mixtis omnibus, ita in corpore nostro alia diversa qualitas exoritur, quæ meritò quinta appellari potest, & temperies dicitur. Duas tamen mixtiones in constitutione mixti excogitare possumus, sicuti & duo licet considerare in ipsis elementis, eorum videlicet substantias, nec non & primas eorum qualitates. Etenim, si constituendum sit mixtum ex elementis, necessarium est, ut elementorum substantiæ usque ad minima dividantur, & misceantur, quò minimum unius tangat alterius minimum; sic enim demum sub una forma, quæ mixti est, coercentur, necessarium quoque est, cum mixtum fiat per mutuam actionem, & passionem contrariarum qualitatum elementis inexistentium, ut tandem istæ primæ qualitates se mutuò refringant, & commisceantur, & in unam quintam qualitatem transeant. Ex commixtione igitur substantiarum oritur modus substantiæ ipsius mixti, & quidem diversus pro diversa proportione substantiarum ipsorum elementorum, & appellatur substantiale temperamentum. Ex commixtione verò primarum qualitatum oritur una qualitas, quæ temperamentum accidentale dicitur. De substantiali temperamento intelligebat Gal. quando primo de Usu partium dicebat, nihil aliud esse esse carnis, quàm temperamentum carnis, & nihil aliud esse esse ossis, quàm temperamentum ossis. & 1. Meth. 6. quod in tantum una pars differt ab alia, in quantum temperamentum unius differt à temperamento alterius. Et unamquamque rem talem esse, qualis est propter calidi, frigidi, humidi, & sicci temperamentum. & 3. de Temp. c.4. idem esse temperamentum, quod universa rei substantia. Hæc si quidem intelligi non possunt de temperamento accidentali resultante ex quatuor primarum qualitatum commixtione: cum enim hoc temperamentum in dies permutetur, sequeretur, quod etiam esse partis permutaretur. Neque os est os propter suam frigiditatem, aut siccitatem, multa namque mixta sunt talia, quæ ossa non sunt, sed propter modum illum substantiæ, & substantiale temperamentum, quod est fundamentum omnium functionum, utens tamen accidentali temperamento, tanquam instrumento.

Temperies Elementalis.

Duæ mixtiones in mixti constitutione, scilicet, substantiarum, & qualitatum.

Temperamentum substantiale

Temperamentum accidentale.

Sed istius temperamenti substantialis considerationem nunc omitte-

omittemus, ut quæ parum ad rem nostram facit, atque ad alterum temperamentum ex commixtione primarum qualitatum resultans sermonem convertemus, quod à dominanti qualitate in mixtione, si quæ dominetur, denominationem accipit: temperatum verò dicitur, si nulla exuperet, & proindè in diversis diversum pro diversitate proportionis eorum, quæ in mixtionem veniunt, de quo dicebat Avic. 1. 1. Tract. 3, c. 1. esse qualitatem, quæ ex actione adinvicem, & passione contrariarum qualitatum in elementis existentium, quarum partes ad tantam parvitatem redactæ sunt, ut cujusque eorum plurimum contingat plurimum alterius, provenit. Non enim est una simplex qualitas, sed ex miscella contrariarum qualitatum, quæ sub una forma coercentur, quasi ad amicitiam, & concordiam redactæ, consurgit: unde subjungebat Avic. Cum enim adinvicem agunt suis virtutibus, atque patiuntur, accidit earum summa qualitas in toto earum similis, quæ est complexio. Rejicienda ergo eorum sententia, qui volunt temperamentum esse calidi, frigidi, humidi, & sicci mixtionem, cum potiùs ad hujusmodi mixtionem consequatur; & eorum similiter, qui existimant, temperamentum esse mixtionis rationem, seu primarum qualitatum proportionem, & harmoniam, seu concentum; hæc enim priora sunt ipso temperamento, & ab eodem præsupponuntur, immo illius sunt causa. Licet enim calidum, frigidum, humidum, & siccum sint prima temperamenti causa, ratio tamen efficiendi est ipsa primarum qualitatum proportio, si enim misceri debent, atque temperamentum efficere, aliqua proportione misceantur necesse est, & illa profectò, quam postulat introducenda forma. Amplius de temperamento dicimus, esse calidum, vel frigidum, vel humidum, vel siccum, quod de proportione illa, & harmonia, ac de mixtione dici non potest. Et facillimè temperamentum corrumperetur, si in harmonia, & porportione consisteret, corrumpitur enim proportio ex cujusvis proportionati mutatione: itaque ex quolibet vel parvo excessu alicujus qualitatis corrumpi proportionem illam esset necessarium, sicuti convenientia, & proportio chordarum citharæ ex quacunque depressione, vel elevatione alicujus chordæ corrumpitur. Et quoniam temperamentum est ultima dispositio ad mixti formam, eo

De temperamento accidentali.

Temperamentum accidentale non est mixtio, neque harmonia, aut concentus.

corrupto, & mixti forma periret, cum tamen & ſub maximo exceſſu calidi, aut frigidi, aut humidi, aut ſicci mixtum permanere conſpiciamus. Sed hæc miſſa faciamus, jam enim ſatis, ſuperque à cordatis viris reprobatum eſt hoc dogma.

Secundum fundamentum. Præmittendum eſt etiam illud eſſe proprium hominis temperamentum, quod eſt cauſa operationum vitæ in ipſo homine, qua de cauſa forſan dicebat Galenus primo de nat. fac. cap. 3. & 2. ejuſdem cap. 8. Singulæ partes agunt hoc, vel illo modo ob certam quamdam temperiem, quam ex primis quatuor qualitatibus ſunt nactæ. Et rurſus, De numero primorum morborum eſſe, inquit, immoderatus calor: niſi actio ex commoda naſcatur temperie. Et rurſus, In omni actione id, quod melius eſt, commodo temperamento referendum eſt acceptum. Et 2. Meth. 6. Affectus, qui actionis eſt cauſa, temperamentum eſt calidi, & frigidi, humidi, & ſicci. Et 5. Loc. af. 7. Tota ſemper particula agit ſecundùm temperamenti, quod ei frequentiùs ineſt, proprietatem. Unde etiam primo de ſan. tu. c. 5. Totidem ſunt temperamentorum diverſitates, quot ſunt functionum differentiæ, ita tamen, ne intelligamus temperamentum eſſe primam operationum cauſam, hæc enim anima eſt, quamvis non ſine facultatibus agat, quæ ab ea emanantes in partibus recipiuntur, tanquam in ſubjectis, ſed ideò temperamentum operationum dicitur cauſa, quod per ipſum partes evadant idoneum inſtrumentum animæ pro operationibus perficiendis, ſeu potentes redduntur ad proprias functiones. *Temperamentum quorum operationum ſit cauſa.* Ex hoc ſequitur, quintam illam qualitatem ex primis elementorum qualitatibus reſultantem non eſſe proprium hominis temperamentum, per eam enim non poſſunt fieri partes idoneum inſtrumentum operationum animæ, quoniam nec per eam vivunt, unde & in cadavere manet, ut commune, & elementale temperamentum omnium mixtorum, quod tamdiu durat, quamdiu ſervatur ipſum mixtum. Hinc eſt, quod ſequitur poſtea cadaveris corruptio, atque putrefactio: neceſſarium eſt igitur, ut temperamentum ſit quidpiam corporis noſtri partibus inexiſtens, quatenus etiam ſunt viventes, ſicuti & actiones illi competunt, quatenus viventes ſunt.

Conſiderandum eſt itaque quodnam ſit illud, per quod partes

tes vivunt, & quod vinculum eſt inter animam, & corpus, non quidem, quod anima, & omninò forma ſubjectum informet per cauſam aliquam mediam, hoc enim abſurdum eſt; ſed illam qualitatem dicimus animam connectere cum corpore, & formam cum materia, quæ materiam præparat ad receptionem formæ, cum non ſub quacunque diſpoſitione forma ſubjectum informet. Hoc eſſe calorem accipunt omnes, eoque nos vivere fatentur; Unde illud vulgatum Philoſophi, calido vivimus, & humido nutrimur. Et quoniam ipſius eſt, corpus reddere ad recipiendam animam diſpoſitum, elaboranda enim, præparandaque materia pro receptione formæ à primordiis generationis extitiſſe exiſtimandum eſt, & proinde non aliud eſſe, quàm innatum illud calidum, quod in ſemine exiſtens facit, ut fœcunda ſint ſemina, ineſt enim, dicebat Ariſtoteles 2. de Gen. animalium cap. 3. in ſemine, quod facit, ut fæcunda ſint ſemina, videlicet quod calor appellatur, idque non ignis, non talis facultas aliqua, ſed ſpiritus, qui in ſemine, ſpumoſoque corpore continetur, & natura, quæ in eo ſpiritu eſt proportione reſpondens elemento ſtellarum; non quidem quod calor hic non ſit elementalis qualitas, procul dubio enim cum ſit in mixto ex elementis, elementalis ſit neceſſe eſt, unde & eum igneum appellat Gal. primo de San. tu. cap. primo. Sed quoniam non agit ut elementalis, ſed cœleſti quadam virtute, & ut animæ inſtrumentum, ea perficiens; ad quæ, ut calor eſt, non pervenit, idcircò cœleſtis virtus vocatur. Verùm hæc alterius ſunt negotii.

Calore humanum corpus eſt idoneum ſubjectum animæ.

Hic igitur ſpiritus ubi efformavit partes, non eas deſerit, ſed in iiſdem permanet uſque ad mortem, ſicuti enim primò diſpoſuit corpus ad receptionem animæ, ita ut in corpore conſervetur anima, & proprias poſſit exercere operationes, ac ad debitam maturitatem perveniat corpus, permaneat neceſſe eſt in omnibus partibus. qua ratione Galenus prima Aph. 15. Nec aliud quicquam animal ab initio formavit, ſicuti neque rurſus adauxit, aut uſque ad mortem enutrivit, præterquam iſte calor innatus. Neque illud obſtat, quod ſpirituoſa pars ſeminis pauca ſit, & ob id extendi nequeat per omnes corporis partes, ac perdurare uſque ad extremum vitæ, eoque minus, cum facilè in auras diſſipetur, &

De calido innato.

corrumpatur; ſicuti & abſurdum videtur, quod pars ſpirituoſa in ſemine cujuſdam magnæ arboris exiſtens, quæ arborem produxit, extendatur per omnem partem arboris jam ad inſignem magnitudinem effectæ. Si enim conſideretur ex tenuiori alimenti parte augmentum recipere partem illam ſpiritalem, dum alimentalem portionem ſua inſigni activitate in propriam naturam tranſmutat, conſpicuum erit, nullam ſubeſſe difficultatem: Verum quidem eſt, cum pars illa alimentalis, quæ ipſi additur, non ſit adeò elaborata, nec eam habeat puritatem, quam ſpirituoſa pars ſeminis ſola & per ſe, quò plus hujuſce alimentalis materiæ additur, eò etiam ſpiritum illum magis de extraneo habere, unde quò longius diſtat homo à generationis principiis eò plus de extraneo habeat neceſſarium eſt calidum ipſius innatum. Hinc Hippoc. prima Aph. 14. Qui creſcunt plurimum habent caloris innati, ſenibus verò modicus eſt calor. Semper tamen dicitur innatum calidum, ſive nativus ſpiritus; non quia totum à principiis generationis ortum habuerit, ſed quia ſemper habet de illius natura, & proprietate. Hanc ex alimentali materia innati ſpiritus aggenerationem videns Galenus dicebat 5. de ſim med. fac. cap. nono. In ſpatiis inanibus non parva ejus ineſt ſubſtantia, immo potiùs veluti materia quædam leviculam etiamnum mutationem expoſcens, ac innati ſpiritus ſuis qualitatibus generationem, nihilominus tamen jam tum etiam admodum ad naturalia opera conferentem.

Innatus calor eſt de temperamenti eſſentia.

Si igitur temperamentum ineſſe partibus debet, ut viventes etiam ſunt, atque operationum inſtrumentum, liceat nobis hoc pacto loqui, neceſſariò dicendum eſt innatum calorem eſſe de ejus eſſentia cum eo & vivant partes, omnium Medicorum conſenſu, & proprias exerceant operationes, qua ratione dicebat Galenus libro de forma fœtus, partes omnes operari proprio, & innato calore. & 2. ad Glauc. cap. 7. Nativum calorem ſubſtantiam virtutum exiſtere, & ſi non hoc, ſaltem primum, & maximè neceſſarium ipſarum inſtrumentum. Sed prætereà & influentem à corde calorem ope vitalis ſpiritus, atque arterioſi ſanguinis, cum ipſe non minus ſit neceſſarius pro vitæ conſervatione, ac pro actionibus obeundis; Etenim innatus calor permanentem non habet eſſentiam, ſed haud difficili negotio diſſipari,

Influens calor eſt de temperamenti eſſentia.

ſipari, & intemperari poteſt. Amplius quodammodo ſopitus eſt, ideò calore illo, cujus cor fons eſt, & origo, fuit opus, qui ad omnes partes influens inſitum illud calidum foveret, roboraret, ac in omnibus ſuis operibus adjuvaret. hinc Galenus 8. de Uſu par. cap. primo, dicebat, nullam partem poſſe vivere ſine venis, & arteriis. Et lib. Art. Med. cap. 2. partes habentes facultates innatas venis, & arteriis ad ipſarum conſervationem indiguiſſe. & primo loc. af. cap. ult. naturalia inſtrumenta & venis & arteriis indigere, quia nutrimento egent, & ſervari oportet intimi caloris ſymmetriam, nam permanens non eſt eorum eſſentia. unde & 5. loc. af. capit. 1. Partes omnes, dicebat, peculiari cordis temperie actiones ſuas perficiunt, & proinde hac pereunte, actiones quoque ipſarum perire neceſſe eſt. & 2. de ſymp. cauſis cap. 5. At quæcunque tandem fuerit (de animæ eſſentia loquebatur) è duobus alterum fateri oportet. aut quod ad omnes functiones, ut primis inſtrumentis utatur ſpiritu & ſanguine, & vel alterius, vel utriusque calore, aut quod in his ipſis conſiſtat. Ut concludere liceat temperamentum partium, quatenus ad naturales functiones ſunt potentes, & quod eſt proprium hominis temperamentum ex elementali illo temperamento, nec non & ex innato, & influente calore conſtitui; illud enim ſolum eſt adæquatum operationum inſtrumentum, & eo ſolo redduntur partes aptæ ad proprias operationes. negandum enim haud eſt, quin & illud elementale temperamentum ad operationes non requiratur, tanta ſiquidem partium varietas, & tam diverſum earum temperamentum in alium finem referri non poteſt, præter quam in varietatem operationum, quæ per partes exerceri debebant, & in varios uſus, quos in humano corpore erant allaturæ. Hoc niſi fateamur, oportebit admittere fruſtrà factam naturaliter fuiſſe aliam partem calidam, aliam frigidam, aliam, humidam, aliam ſiccam, vel ſecundùm harum qualitatum combinationem, aliam verò temperatam. Itaque dicendum eſt potiùs, quia finis partium hic erat, idcircò partes ſic, vel ſic fuiſſe conſtitutas, quin ſi idem prorſus caloris gradus, qui eſt in ventriculo, in altera foret parte, puta in pede, non ob id pars illa ex alimentis chylum generaret, quia elementale temperamentum illius partis nihil facit ad alimenti coctionem. Dixi autem

Quæ ſit natura temperamenti.

tem temperamentum partium, ut ſunt naturalium operationum inſtrumenta, nam de temperamento partium, ut ad animales actiones ſunt potentes, aliter forſan ſtatuendum eſt. Verùm id non eſt præſentis negotii.

Quod à vulnere lædatur temperamentum partis.

Ex his non eſt difficile videre, quomodo à vulnere lædatur temperamentum partis, &, ſi diligenter inſpexerimus, non poteſt non lædi, primò enim facta morboſa aliqua continui ſolutione, ut ſuperiùs dictum eſt, non poteſt ita tranſmitti ad partem illam influens calor, ut priùs, cum ad hanc tranſmiſſionem continuitas partium requiratur, & mutua quædam earum communicatio. At imminutio influentis caloris in parte nihil aliud eſt, quam temperamenti oblæſio. Prætereà caloris naturalis ſubſtantia eſt vaporoſa, & ſpirituoſa, quæ promptè diſſolvi poteſt: ſublato itaque naturali partis tegumento, ac intimis, & reconditis partibus ob ſolutam unitatem ambienti expoſitis, ſubſtantia naturalis caloris diſſipetur, neceſſe eſt, quod nihil aliud eſt, quam temperamenti oblæſio. Eadem etiam naturalis caloris ſubſtantia una cum ſanguine, qui à vulneribus effluit, evacuatur, quamvis enim innatus calor in ſanguine ſedem non habeat, ſed in ſolidis partibus, attamen vitales ſpiritus ſemper ſanguini adjuncti ſunt, & ipſe ſanguis eſt inſiti caloris fomentum; quare evacuato, qui in parte continebatur, ſanguine, non ſolùm influens calor diſpendium patitur, verùm & ipſe inſitus. Sed citra ſanguinis effuſionem propter naturalis tegumenti defectum, à quo fovebatur, diſſipetur ejus ſubſtantia neceſſe eſt. Per ſolutam quoque continuitatem privatur pars communicatione ſibi proximæ, quarè fieri non poteſt, quin ejus temperamentum jacturam patiatur, partes enim mutuam ſibimet operam præſtant, & una ſibi conjunctæ calorem, ac temperamentum conſervat. Tandem per vulnera partes, quæ numquam anteà aërem ambientem fuerunt expertæ, eidem exponuntur. Ambiens autem ſemper ipſius naturalis caloris reſpectu eſt frigidior, quantumvis calidus ſit, veluti ſenſus ipſe judicat; quarè & affici, & hebetari naturalem calorem eſt neceſſe, atque ita temperamentum lædi, quod vitium conſtat eſſe intemperiem frigidam. Hic aëris occurſus eſt momenti maximi, & plurimum animadvertendus, majoreſque ſunt ejus injuriæ, quam excogitari facilè

Aeris occurſus multis

facilè possit: licèt id quamplurimos latuerit: attamen ut ad maleficium faciat, ex quibusdam externis non est arduum intelligere. Ova respiciamus, quæ citam putredinem, si in eorum testa contracta sit rimula, nedum portio testæ detracta, effugere nequeunt, immò adeò naturæ suæ obliviscuntur, ut neque ampliùs excludendis pullis sint apta. Corrumpitur celeriter pomum, si ejus cortex, quantumvis leviter dissecetur. Quis inanimis tàm adversum aerem dixisset? Sed & arbores, detracto Cortice inarescunt. Longior nimis essem, si mirandos ambientis effectus, ubi iis obviat, quæ ipsum nunquam anteà persenserunt, vel malefacta potiùs vellem recensere. Hæc non fuerunt Paracelso incognita, & ideò in sua minori Chirurgia libro primo cap. 2. dicebat, Mox atque datus est ictus in vulnus transiens, adest momento simul accidens; ut ovo contingit, cujus cortex aperitur, hoc ab externo statim aere talem infectionem recipit, ut in priorem statum redire nunquam valeat, & si testa subtilissimam fissuram accepisset, quæ quoquo modo posset accidere momentaneeque possibile foret eam consolidare, nihilominùs in perfectam suam essentiam illud nunquam redit. Latius, quicquid ovo huic accidit, ut putrefactio, exsiccatio, vel arefactio clari, vel albuminis, vitellique resolutio, corticis vastatio, &c. hoc omne contingit humano corpori per apertionem vulnere factam. Ita contrarius est circulus externus interno, prout essentiæ quintæ, quæ quantumvis bona sit, aut nobilis, ubi minimam fissuram firmamentum conciperet, quicquid eo circulo continetur intrinsecus, id est, cœlo, suam essentiam nunquam retineret. Pariformiter omne, quod involutum tela reperitur, cortice, vel pelle, mox atque minimum patuerit includens, ab externo sic inficitur inclusum aere, ut ibidem integra nunquam essentia reperiri valeat ampliùs. Considerate pomum, cui facta sit incisio, putrefit hoc non alio, quam aere solo, qui circulum intravit, &c.

rebus adversus, & maximè injurius.

Sed quid patiatur nativus calor à vulnere, facilè intelliget, qui consideraverit, quidnam inter fracturas, & luxationes, quæ cum ulcere, & eas, quæ sine ulcere contingunt, intersit. Siquidem si fracta sint ossa, & ulcus absit, absque negotio coaptatis partibus restituetur sanitas; & tamen neque mente concipi potest

Quam inimicus sit aer calori naturali.

in intimis partibus à fracto osse non excitatum ulcus fuisse, cum proprium loco egrediatur, absque labore tamen sanescunt, quoniam paucum, vel nullum detrimentum expertus est naturalis calor, neque enim in ambientem ejus substantia fuit dissipata, nec ejus qualitas fuit hebetata. At si ulcus sit adjunctum, quanta negotia facessant, nemini in arte exercitato est ignotum. Sæpè præ manibus habui ossa multipliciter fracta, & in multas testulas difracta, quæ tamen, quoniam cutis erat integra, fœliciter fuere conglutinata. Quod si ulcus accessisset, multa frusta necessariò discessissent, & malè moratum ulcus evasisset. Idem aliis evenisse crediderim. Si verò ad luxationem ulcus accedat, & illud compertum est; non posse os luxatum ad pristinam sedem reduci citra convulsionis periculum, nisi articulus fuerit ex minimis. Sed & suppurationes interdum per insensibilem halitum materiam digerentes absque negotio, & brevissimo tempore sanitati restituimus: quòd si secaretur abscessus, longè difficilior redderetur curatio, tardiusque sanitas subsequeretur. Quapropter fateri cogimur, insignem admodum esse noxam, quam à vulnere contrahit nativus calor.

Solvuntur in contrarium adducta.

Iis etiam suppositis rationes adversæ nullius sunt momenti: quod enim afferunt, reperiri vulnus non rarò absque ulla intemperie, & ut Gal. admittit, verum est, si de intemperie positiva sit sermo, quæ videlicet contingit ob causam adversa qualitate in solidas partes agentem, easque alterantem; Etenim absque hujusmodi intemperie sæpissimè observamus, minus gravia vulnera fœliciter ad sanitatem perduci; hæc non est intemperies, quæ vulnus comitari statuebatur, verùm privativa, quæ videlicet naturalis caloris dispendium sequitur; hebetato enim ejus vigore, cum sit de temperamenti essentia, negari non potest, quin oblædatur temperamentum, & pars frigidior evadat; nec removetur hæc privativa frigiditas, quamvis posteà vulneri superveniat calida intemperies, & inflammatio, posteà quam stat cum caliditate positiva. Et quando communiter dicitur, ad sanitatem perduci vulnera, etiamsi intemperies non accedat, quæ sanitatem remoretur, de illa præsertim intelligitur, quæ affluentes succos causam habet, non semper inflammatio, exempli gratia, aut erysipelas supervenit.

Patet

Patet etiam nihil esse quod objiciebatur, intemperiem videlicet non induci à vulnere, quia non habet vim calefaciendi, aut refrigerandi, &c. ad productionem positivæ intemperiei agens requiritur, quod qualitate agendo refrigeret, aut calefaciat, aut humectet, aut exsiccet, at sine tali agente manifestum est, posse naturalem calorem malè disponi. Neque sanationis vulnerum principium tollitur. Leditur quidem temperamentum partis; at nisi vulnus omninò sit lethale, non penitus pars facultate destituitur edendi opera naturalia, sicuti neque in febricitante actiones istæ tolluntur, licet naturalis calor igneus evaserit. Naturalis calor malè dispositus obire naturalia munia potest, non tamen probè, ut antea. Tunc tantùm ab agendo cessat, quando lethalis penitus est affectio. In vulneribus igitur modò major, modò minor est læsio pro vulneris gravitate, quam natura arte præsertim adjuta paulatim resarcit, unde & paulatim vulnus sanatur, post cujus sanationem aliqua etiam remanet imbecillitas in parte, sicuti neque ad pristinum statum rediit naturalis calor. Hinc non pauci aeris mutationes prædicunt. Non est ergo mirum, si vulnera sanentur, quamvis imbecillitatem aliquam contraxerit calor.

Quomodo sanentur vulnera, cum ab iis lædatur temperamentum, quod inculpatum esse debere à Galeno statuitur.

Ex his etiam manifestum esse potest, cur non statim sanentur vulnera, & cur alia citiùs, alia verò tardiùs: Et cur excrementa generentur, omnium enim causa in vitium temperamenti est referenda. Ut vulnus, quatenus morbifica est causa, temperamento scilicet officiens, majus negotium facessere videatur, quam ut morbus. Si quis tamen non acciperet, calorem innatum, & influentem esse de temperamenti essentia, id solùm credens esse temperamentum partium, quod elementale est, modò concedat utrumque calorem ad operationes naturales esse necessarium, eosdemque propter vulnus dispendium pati quod viri præstantissimi nunc etiam profitentur, non refragabor, non enim de re, sed de nomine erit controversia, & veluti demonstratum accipiemus lædi à vulnere naturalem partis calorem.

CAPUT XI.

De fluxione, & fluentibus humoribus, & quod ex vulnere partes reddantur fluxioni obnoxiæ.

DUra fortassè videbitur prædicta consideranti vulneratæ partis conditio, sed neque hic malorum finis, est enim aliud, quod deteriorem quoque reddit ejus statum, posteaquam & hoc habent vulnera, quod fluxionis periculo partes exponunt. Hoc non erit perdifficile videre, si fluxionis occasiones, & causas percurramus.

Duæ præcipuè fluxionis causæ, attractio, & transmissio. Duæ autem sunt universales, & præcipuæ fluxionum causæ, quarum una in partem recipientem refertur, altera verò in eam, aut eas, à quibus humor profluit: quiescens enim humor in aliqua parte alìò non movebitur, in quo quidem motu, quando concitatior est, & humoris, qui recipienti parti non est ex usu, sita est fluxionis ratio, nisi aut à partibus, in quibus continetur, impellatur, aut à partibus, in quas decumbit, attrahatur. unde Gal. de dif. feb. c. 2. ult. duplicem dicebat esse fluxionis causam, seù occasionem: altera, quando materia inutilis ad imbecilliores partes ab aliis detruditur: altera, quando ab eadem attrahitur. Et appellat Gal. materiam inutilem, quæ fluit, non quia semper ex sui natura sit inutilis, sed quia est inutilis recipienti parti, unde & Hipp. 6. mor. vulg. com. 2. t. 9. Dissimilia, dicebat, si sursum repant deorsum detrahere oportet, in cujus loci expositione dicebat Galenus per dissimilia intelligendos esse humores, qui natura sunt ab eo loco alieni.

Duæ attractionis causæ dolor, & calor. Porrò pars aliqua materiam aliunde trahit vel ob dolorem, vel ob calorem, vel utraque de causa, ideò Gal. loco citato subjungebat: Duæ sunt fluxionis causæ, quæ ex ipsis laborantibus partibus originem trahunt, quarum altera in eisdem est accensa caliditas, altera dolor excitatus. In dolore quidem ab ipsa recipiente parte fluxionis oritur causa, at posteà superpositæ partes fluxionem persequuntur, tum quia dolor imbecillam reddit partem, ex quo, quæ robustiores sunt, propria excrementa ad eam prom-

promptè tranſmittunt: tum etiam, quia natura, quod ſibi moleſtum eſt, ac triſte, expellere aggreſſa, ſi illud quidem reluctetur, & propterea primo aggreſſu nihil proficiat, vehementiori conatu ipſum adoritur, in quo ſanguinem, & ſpiritum ex aliis partibus in affectam ſimul exprimit. Ex his tamen magis dolens pars redditur; nam à ſanguine expreſſo, & ſpiritibus magis repletur, ac diſtenditur: unde cum non eſſet expreſſionis occaſio, neque natura ab hoc opere deſiſtit, & hoc eſt fluxio. Neque mirum videri debet, ſi partes ſanæ occaſione doloris ad expellendum inſurgant, poſteaquàm, ut dicebat Hip. lib. de alim. Confluxio una, conſpiratio una, conſentientia omnia; totum corpus unius particulæ affectum ſentit, & ideò qui ſucci in aliis partibus continentur, non raro ſpeciem irritantis ſubeunt, & ita expelluntur. Hinc. Gal. 13. Metho. 3. In doloribus incipit quidem cauſa ab eo, quod affligitur, ſed quicquid eſt phlegmones id ſuperpoſitæ partes efficiunt. Et paulò poſt modum explicans, dicebat: Excretrix ſuo munere fungens doloris cauſam tanquam contriſtantem ejicere dum properat, phlegmonem interdum concitat; cum enim in primis conatibus nihil proficiat, vehementius aggrediens quod infeſtat expellere, ſanguinis aliquid, & ſpiritus ex ſuperpoſitis partibus in affectam ſimul exprimit. Atque hinc fit ut ex dolore particula proportione confluentis in eam humoris in tumorem attollatur. Duplici autem ratione videtur expreſſio hæc à natura fieri, prima quidem, quia ſit contriſtata ratione dolorificæ cauſæ, & ob id vaſa contrahat, ad quorum contractionem contentorum ſequitur expreſſio: altera verò, quia facultas vitalis ſponte ſpiritum, & arterioſum ſanguinem pro ratione indigentiæ, cuique parti tranſmittit, & cum doloris tempore affectæ, atque languenti parti ſit in propulſione moleſtantis cauſæ laborandum, ſpiritum quoque copioſiorem, & ſanguinem, ut validiùs expellat, ad eam tranſmittit. Et quoniam non operatur intellectu, ſed lege, & inſtinctu naturæ, neque tranſmiſſionem hanc ſemper moderatur, ſed pluſquam par ſit, & à parte regi poſſit, ſanguinis tranſmittit, unde fluxio. Et eò magis, quoniam ſpiritus, & ſanguis copioſius tranſmiſſi, neque moderati à natura partis, eam diſtendunt, ac dolorem augent, & ita fit major, fluxionis occaſio. Et hoc forſan

voluit Avic. lib. de Viribus cordis trac. 2. cap. 1. quando dicebat: Et secunda causa, qua ad membrum dolens confluunt materiæ, est, quia spiritus naturalis procedit ad ipsum ad impugnandam causam nocivam, quem sequitur sanguinis multitudo.

Neque dolor, neque calor re vera attrahunt.

Quod verò caloris ratione pars attrahat, ex eo liquet, quod calidi est attrahere, si communem loquendi modum sequi velimus, quandoquidem, si exactius rem perpendamus, fortasse comperiemus, re vera neque dolorem, neque calorem attrahere, sed calorem esse in causa fluxionis fundendo, & liquando circumstantium partium succos, meatus quæ partis aperiendo, & laxando, ac præterea naturæ molestiam inferendo, & quod calor non attrahat argumento esse potest ignis hic noster, à quo nihil attrahi videmus, etsi calorem habeat in summo. Nec mihi objiciat quispiam flammam ellychnij, quæ videtur oleum in lucerna existens tanquam proprium pabulum attrahere, re vera enim non illud attrahit, sed tamen, quod in extremo est ellychnii absumit, cujus locum consecutione quadam alia olei portio subit, & sic deinceps, donec totum oleum fuerit consumptum. Id autem verum esse manifestè deprehendet, si extincta lucerna oleum quod in extremo est ellychnii extra lucernam exprimatur, protinus enim observabitur oleum, quod est in lucerna, sponte ad ellychnii extremum fluere, & si hoc ellychnii extremum ita collocetur, ut pendeat deorsum spectans, brevi tempore oleum universum effluet. Ita consuevimus liquores per filtri portiones percolare, filtri quidem alteram partem in percolandum liquorem immergimus, inde alteram partem in vase, quod percolatum liquorem debet excipere, ita aptamus, ut deorsum, & vasis fundum spectet, & eodem modo alias filtri portiones disponimus per quas subinde ab uno vase in alterum transfertur liquor. Comperiemus pariter neque ipsum dolorem attrahere, sed ea ratione fluxionem ob ipsum consequi, quod superpositæ partes, dum causam contristantem nituntur expellere, sanguinem, & spiritum in affectam partem simul exprimunt.

Aliæ fluxionis causæ.

Cum dolor sit qualitas intentionalis, non videtur posse vim habere attrahendi, quæ realis est actio. Quod forsan respiciens Gal. 13. Meth. 3. dicebat: In doloribus incipit quidem causa ab eo, quod affligitur, sed quicquid est phlegmones id superpositæ partes efficiunt.

ciunt. Faciliorem verò reddunt fluxionem, eidemque occasionem præstant situs declivis attrahentis partis, communem loquendi formam sectabimur, & viarum laxitas, venarum scilicet, & arteriarum, & aliorum meatuum, qui in partibus intermediis existunt, sive sensibiles sint, sive sensum effugiant; promptiùs namque feruntur succi, & ab imbecilliori facultate propelluntur per ampliores vias, & ad inferas, & in imo loco sitas partes, in quas ut graves suapte natura tendunt. Succi quoque calidiores, ac tenuiores prompti admodum sunt ad motum.

In fluente tamen humore duo licet considerare, qualitatem videlicet, & quantitatem; qualitatem habet humor à partibus, à quibus profluit, talis quippe ab ipsis profluit, qualis in eisdem continetur: quamvis postea ascititiam qualitatem in affecta parte plerumque contrahat. At quantitas fluentis humoris, & à parte attrahente pendet, & ab iis quoque à quibus discedit. quò istæ partes pluribus erunt succis refertæ, ab eisdem humores in majori copia secedere poterunt. Similiter quò major extiterit dolor, & calor in attrahente parte, eò plures attrahentur succi: quando enim non multum redundant succi in partibus, multi tamen attrahuntur, quoniam majori vi, & à pluribus partibus. Qua de causa Gal. loco citato, dicebat: Dolor, & membri, in quo phlegmone residet, calor etiam si purum ab excrementis sit totum corpus, fluxionis causa fiunt. Hanc quoque fluentis humoris qualitatem quantitatemque considerans Gal. 2. de dif. feb. ult. dicebat: Quòd autem vel plus, vel minus, vel melius, vel deterius influat, causa non tantùm in parte fluxionibus obnoxia consistit: sed quod melius sit, aut deterius, ex partibus mittentibus pendet; quod plus, vel minus, tum ex iis, quæ mittunt, tum ex iis, quæ recipiunt.

Qualitas fluentis humoris unde.

Quantitas fluentis humoris unde.

Sed & aliud in fluente humore oportet considerare, scilicet velocitatem motus ipsius, ac tarditatem, alias enim fluxiones veloces deprehendimus, alias segnes, & tardas, & in his etiam alias differentias consideramus. Quod tamen velociùs, aut tardiùs confluat humor, tum ex attrahente pendet parte, quæ velociores concitat, fluxiones, ubi quæ in ipsa causæ fluxionem accersunt, dolor videlicet, & calor, fortiores extiterint; tardiores verò

Causæ velocis & tardæ fluxionis.

rò ubi cædem leviores, tum ex qualitate, & quantitate confluentis ſucci, nam quantò copioſioribus humoribus reliquæ partes erunt refertæ, & quò humores fuerint calidiores, ac tenuiores, & ad motum aptiores, tantò velocius movebuntur: quamvis ſuccorum quantitas eò videatur ad velocitatem motus conferre, quod majorem habet ſpeciem proritantis. Non parum etiam ad velocitatem motus facit ſitus declivis attrahentis partis, cum ad eam propria gravitate ferantur ſucci. Viarum quoque per quas fit fluxio, amplitudo, & laxitas velocioris ſuccorum motus eſt non levis occaſio, per ampliora enim ſpatia faciliùs moventur. Quod ſi plures cauſæ convenerint, velociſſima erit humorum fluxio.

Vacuum an attrahat. Exiſtimant aliqui partes attrahere non ſolùm ob calorem, & dolorem, verùm & propter vacuum. Si per hoc intelligant vacuum inter attrahentes cauſas eſſe connumerandum, cum in rerum natura non detur, prorſus ableganda eſt illorum ſententia. At ſi velint ob inanitionem, partes, ut indigentes, ab aliis magis attrahere, utique non reluctarer: Atqui non hac tantum de cauſa evacuationes ab aliqua parte, veluti ſanguinis profluvia ad eam fluxiones concitant, verum etiam quia, dum pars aliqua inanitur, ne detur vacuum, neceſſariò à ſuperpoſitis partibus in locum ſuccedentis corporis conſecutione quadam aliquid confluit, quo quidem motu anſa datur aliis partibus impellendi ad eundem locum ſuccos, quibus ipſæ ſunt refertæ. Ut commotio illa in ſuccis ſit cauſa, cur expultrix partium ad expellendum proritetur: commoti enim ſucci ſpeciem ſubeunt irritantis. Quod ſi opus aliarum particularum tolleretur, ratione inanitionis nulla ſequeretur fluxio; quantum enim eſt de ratione vacui, nihil aliud habet, niſi ut è proximis partibus aliud ſubeat in locum ejus, quod evacuatur: in hoc tamen non eſt iſta fluxionis ratio, ſed in eo, ut partibus affluat pluſquam ab eis confici poſſit, quod profectò ab aliis partibus pendet, quarum fluxiones, quæ occaſione vacui ſuboriuntur, potiùs ad eas eſſent reducendæ, quæ occaſione tranſmittentium partium concitantur.

Tranſmiſſionis cauſæ. Expellitur porrò materia ad aliquam partem, vel à parte una, vel pluribus, quia hæ illa ſint robuſtiores, ſive quæ recipit ſit imbecillior ſui natura, ſive aſcititia aliqua cauſa. Etenim ſi una pars

pars altera haud eſſet imbecillior, ſed omnes eſſent æque potentes, non eſſet major ratio, quod hæc potiùs reciperet, aut tranſmitteret, quam illa: unde Galenus ſecundo de dif. feb. ultimo. Aliæ verò & propter harum imbecillitatem, & propter earum robur, quæ ſuperfluitates tranſmittunt, conſiſtunt: non enim ſatis eſt, ut partes vim habeant ſupervacui expultricem, ſed inſuper requiritur, adeſſe aliam partem, quæ admittat expulſum humorem; non admittet autem, niſi imbecillior fuerit, vel natura, vel aſcititia cauſa. Verùm ſi alia quæpiam hac fuerit imbecillior, & ad eam aditus habeat, quæ primò tranſmiſſum humorem recepit, utique receptum humorem ad eandem ſeipſa imbecilliorem tranſmittet, & ſic deinceps. Cumque ad eam fuerit deventum, quæ receptam materiam aliò pellere nequeat, in ipſamet fluxio conſiſtit, & morbus ex fluxione oritur, hinc eſt, quod ad cutem, & emunctoria, ut partes omnium imbecillimas plurimæ fluxiones terminentur. Ideò Galenus lib. de Cauſ. mor. 6. & ſecundo de dif. feb. ult. Quoniam ex partibus aliæ ſunt robuſtiores, aliæ minus robuſtæ, in impuris corporibus, in quibus plurimum materiæ inutilis abundat, ad ignobiliores partes aliquid confluit: ſuperfluus enim humor à robuſtioribus partibus expulſus, ac nullibi conſiſtere potens, tandem ad imbecillimam omnium pervenit partem, ſive natura talis ſit, ſive aſcitita cauſa. & 13. Meth. 5. Supervacua, quæ valentioribus partibus ob redundantiam, vel qualitatem expelluntur, in imbecilliores partes decumbunt, & ideò glandulæ facilè fluxiones admittunt. & 6. de ſan. tu. 13. ſingulæ partes facultatem habent, qua, quod ſuperfluum eſt, expellere in vicinam deſiderent, &, ſi quæ vicina particula eſt, corporis habitum firmum habeat, quod ſibi obtruditur, utique non admittit, facitque, ut in ipſa ſola, quæ primùm affecta eſt, dolor ſubſiſtat. Sin imbecillior, quam illa, unde excrementum mittitur, admittit illa quidem, cæterum ipſa quoque ad imbecilliorem quampiam à ſe rurſus tranſmittit, atque hæc rurſus ad aliam, donec in illam procumbat, qua imbecillior nulla ſit. Accidit tamen interdum in aliquam partem fluxionem decumbere, quæ ſuapte natura aliò poterat fluxionem propellere, verùm à qualitate, vel quantitate materiæ adeò afficitur, ut ex hoc ipſo ad eam aliò pellendam fiat

impotens. Non tamen æqualiter ab una parte ad quaſcunque fieri ſolet tranſmiſſio, ſed præſertim fit ad eas, ad quas pars mittens vias habet idoneas. hinc caput ad omnes ferè ſubjectas partes ſolet tranſmittere, quoniam, & ad omnes ferè vias habet: ſic cor, & jecur ad propria emunctoria, & ſic de reliquis.

Fluxiones à toto etiam in nobiliores partes decumbunt

Illud etiam animadverſione dignum eſt, quod non ſemper ab una aliqua parte provenit fluxiò, ſed interdum à toto, & tunc in quamlibet, partem, quantumvis præcipuam, poteſt fluxio decumbere, quoniam totum potentia vincit ſingulas partes, & ideò nec partes præcipuè ſunt à fluxione immunes. Cur verò partes fluxionem in alias tranſmittant, in cauſa eſt multitudo, & malitia ſuccorum, vel utrumque vitium, à copia enim oppreſſæ, & à mala qualitate irritatæ, ad expellendum, quod nocet, inſurgunt, ideò Gal. 13. Meth. 5. ſupervacanea, dicebat, quæ valentioribus partibus ob redundantiam, vel qualitatem expelluntur, &c.

Cur partes tranſmittant.

Objectio.

Dicet fortaſſe quiſpiam, nonne natura cuique parti vim expultricem tribuit, ut quæ infeſtant expelleret, qua etiam ratione inſtrumenta quædam fabrefecit, ut vias, per quæ fieret infeſtantium ſuperfluitatum expulſio? fecit enim veſicam felleam, lienem, inteſtina, veſicam, uterum, & alia id genus, pro diverſorum excrementorum expulſione, ipſique crebro plura emiſſoria paravit, quibus ejus excrementa expurgarentur, veluti Hippocrates dicebat libro de Loc. in hom. Præterea & corpus totum fecit minutiſſimis foraminibus pervium, ut & per inſenſibilem halitum, & ſudoris ſpecie ſupervacua expellerentur; quomodo ergo fiunt iſtæ fluxiones? Negari profectò non poteſt, quin ſagax natura pro redundantium expurgatione varia inſtrumenta fecerit, plureſque vias paraverit, ſicuti & unicuique parti expultricem tribuit, qua infeſtantia ejiceret. Verùm ad cujuslibet ſupervacui eductionem hæc tantùm ſufficiunt, quando naturæ legibus gubernatur corpus, ſi enim delicta contingant, & major excrementorum copia generetur, quam naturaliter fiat, non amplius naturalia illa inſtrumenta ſunt ſatis; tunc enim neque naturaliter gubernatur corpus, &, ut accidit in Republica malè diſpoſita, potentiores partes ad minus potentes, quæ redundant, expellunt, & hæ ad alias adhuc ſeipſis imbecilliores, & ſic deinceps, donec ad eam fuerit

per-

perventum, quæ amplius admiſſos ſuccos aliò detrudere nequeat. Qua de re Galenus libro de cau. mor. 6. Multa, dicebat, ab initio inſtrumenta materiæ inutilis expurgandæ gratia natura molita eſt, & hæc quidem ad ſanitatem tuendam ſufficiuut, cum nullam corpori labem is, qui nobis circumfunditur, aër adjecerit, aut delinquens victus ratio humorum vitioſorum abundantiam immodicam non effecerit, cum enim talis accidit error, non amplius naturalia inſtrumenta ſufficiunt ad multitudinem excrementorum expurgandam, fluxiones proinde a potentioribus partibus depulſæ in imbecilliores irruunt.

Habent verò partes mandantes ſuperflua, quæ transmittunt, aut quia aliundè ea recipiunt, quemadmodum venæ ab hepate ſecundùm plurium ſanguinem habent, aut quia eadem generant, quod dupliciter poteſt contingere, naturaliter ſcilicet, ac præter naturam: naturaliter quidem, ut quando generatur humor excrementitius, ſed per conſuetos meatus, ut qui obſtructi ſeu clauſi ſint, juxta naturæ leges expurgari non poteſt, & propterea pars generans ab illo tandem oppreſſa, & irritata quoquo pacto ad alias partes expellit. Quam fluxionis ſortem tetigit Galenus lib. de cav. mor. 6. his verbis: Atqui evenit interdum, conſtipatis meatibus, per quos excerni conſueverant, ut ad partes alias deriventur. Præter naturam generantur ſuperflua, vel ob intemperiem partis, quæ nonnunquam eſt morboſa, interdum verò nondum eò crevit, ut morboſa appellari mereatur, vel ob alimenti vitium, vel quia parti ſuppeditetur copia materiæ excrementorum, ut ob id pars illa non poſſit non generare excrementa, ſicuti contingit cerebro, quando vaporum copia à ſubjectis partibus ad ipſum fertur, quos in pituitam ſubinde convertit, & ad ſubjectas partes, ſi robuſtum ſit, transmittit. Quandoque etiam in partibus excrementa paulatim congeruntur, eò quòd pars propter imbecillitatem propriam alimentum, etiam ſi ſit optimum, nequeat conficere, ex quo neceſſariò excrementa reſultant, quæ paulatim congeſta, ubi eò devenerint, ut potentiam vel opprimant, vel irritent, expelluntur. In confluente humore occaſione mittentis partis eadem ſunt conſideranda, quæ antea diximus conſideranda eſſe, quando ratione recipientis partis concitatur fluxio, qualitas

Unde habeant partes, quod transmittunt.

videlicet, & quantitas, nec non, & velocitas, ac tarditas motus, qualitas quidem ejus, quod influit, quod videlicet melius sit, aut deterius, ex mittentibus provenit partibus, sicuti & quod major, aut minor humoris copia influat: quamvis quò pars recipiens est imbecillior, eò promptius reliquæ partes ad ipsam propria excrementa transmittant, & plures etiam partes proprium pondus in eam conentur deponere.

Veloces, & tardæ fluxiones.

Velocitas motus, ac tarditas & in qualitatem materiæ est referenda, & in robur mittentium partium; quò enim calidior, ac tenuior est materia, eò velociùs moveri consuevit; quò frigidior, & crassior, eò tardiùs. Pariter quò mittentes partes robustiores, & magis irritatæ, atque coactæ, eò vehementiori impetu irruunt fluxiones. Sed & situs partis declivior, & amplitudo meatuum, ac viarum, per quas humor confluit, sicuti ad facilitatem fluxionis faciunt, ita quoque & ad motus velocitatem, veluti etiam superiùs dictum est. Aliqui, licet nulla pars corporis mittat, vel attrahat nihilominus fieri posse fluxionem opinantur, eò quòd alia sint, quæ ad motum possunt humores excitare, cujusmodi sunt mora in sole, balneum, motus corporis, & animi. quòd à Gal. sumpserunt 2. de symp. cau. c. 4. ubi hæc habet: Sol, balneum, & exercitatio ad motum excitant excrementa alioqui quiescentia, & ex animi affectibus ira. Commoveri quoque succos, & fluxiones concitari dicunt, & ab ambientis frigiditate, & à ventis tùm calidis, tùm frigidis, testemque Hippoc. adducunt, qui 3. Aph. multos morbos ex fluxione ventorum occasione genitos, recenset; & experientiam ipsam, namque à frigidis, & adstringentibus medicamentis repelluntur succi, igitur quæ refrigerant humores ad motum excitant. Idem asserunt de pluribus quæ ingeruntur, cujusmodi sunt vinum, præsertim meracius, & aqua gelida copiosè bibita, & maximè post labores, aromata, acria, & hujusmodi: hinc pleuritide, & alia interna inflammatione laborantibus dicunt, potu interdicimus, neque alia ratione, nisi quia vinum ad partem affectam succos defert, & sic de reliquis. Quinimò à seipsis ad motum excitari nonnunquam humores, asseverant, cum fervent, & liquantur quod visus est voluisse Gal. loco citato, cum dicebat: A seipsis ad motum excitant excrementa, si

An fieri possit fluxio citra actionem partiũ.

vel

vel calefiant, vel extenuentur, vel in ſpiritum degenerent. Medicamenta quoque acria admota partibus, ſuccos ad partem allicere, absque quod pars ad attractionem concurrat, profitentur, idque veſicantium exemplo declarant. Attamen ſi diligenter conſideremus non ſunt hæc primæ & immediatæ fluxionis cauſæ, ſed ad fluxionem faciunt, vel calefaciendo plus quam par ſit recipientem partem, & meatus ejusdem aperiendo, & laxando, & ſuccos in ea exiſtentes digerendo, ac naturæ moleſtiam inferendo, ut acria pharmaca parti admota, vel aptiores reddendo humores ad motum, ut quæ humores calefaciunt, fundunt, liquant, & extenuant, ſic enim fluxiles admodum fiunt; vel eosdem ad eam diſpoſitionem reducendo, cum qua opprimant, vel irritent partes, vel utroque modo afficiant, ut quæ fundunt, atque attenuant ſuccos, & quæ repellunt: nam fuſi, & attenuati ſucci, præterquam quod magis fluxiles fiunt, majorem locum occupant, & cavitates, ac ſpatia magis replent, unde & potentiam partium, in quibus continentur, magis opprimunt; præterea calidiores redditi ſucci, & acriores, partes irritant, ideò mirum non eſt, ſi ad eorum expulſionem inſurgant, & fluxionem promoveant. Sic quæ repellendi vim habent, cujuſmodi ſunt ambiens frigidus, & venti frigidi, & medicamenta repellentia dicta, non alia ratione fluxionis cauſa fiunt niſi quia ſunt in cauſa, ut interiora vaſa, ac ſpatia, & ea omninò, ad quæ repelluntur ſucci, magis repleantur, ac diſtendantur, ita enim oppreſſa earum partium potentia ad expellendum inſurgit, & fluxionis eſt cauſa. Omitto, quòd à frigiditate repellentium malam qualitatem contrahunt, qua partibus ſunt infeſti, & idcircò irritatæ partes, quod infeſtat, aliò tranſmittunt. Quæ autem repellunt, aut extrinſecus occurrunt, & hæc ſuccos à circumferentia ad centrum commovent; aut ingeruntur, ut quando copiosè potantur gelida, & hæc ab iis intimis partibus propellunt, ad quas vis frigiditatis pervenit. Mora in ſole, balneum calentis aquæ, immodicus motus animi, & corporis, mora in aere calido, ut in æſtuariis, vendi calidi, meri potio, aromata, acria, & mordacia ingeſta, calefaciendo, fundendo liquando, & attenuando ſuccos, qua ratione fit, ut magis repleant, ac diſtendant partes, & mala qualitate infeſtent,

 fluxio-

fluxiones excitant. Quocirca licet concludere non sine mittente parte has fluxiones fieri; aliqua forsan humores movebunt, at fluxioem citra partium actionem non concitabunt; aliud est enim succos movere, aliud fluxionem. Minùs credibile est; revera à seipsis humores ad motum insurgere: quomodo enim à seipso moveri potest, quod prorsus inanimatum est, nec dividi potest in partem moventem, & partem motam? Sed cum dicatur id contingere, quando fervent, extenuantur, & in spiritum vertuntur, manifestum est, motionis causam in partem, in qua continentur, referendam esse, tales enim redditi eam opprimunt, & irritant, sed prætereà, & fluxiles facti ad motum sunt faciliores. Dicuntur tamen à seipsis ad motum insurgere, quoniam hujusmodi motus valdè inordinati sunt, & incompositi, ut nihil ad eos natura facere videatur. Exemplo sit materia, quæ à vulgo Medicorum turgens appellatur, quæ effrenata, & veluti furiosa huc, illuc inordinatè movetur, ut propter sui malitiam videatur a seipsa adeò variis, & inordinatis motibus cieri, cum tamen hujusmodi motus ab ipsa natura partium fiant, dum omnes pravitatem materiæ abhorrentes eam nequaquam admittunt, sed vix accedentem expellunt.

An à seipsis moveantur succi.

Mediatæ fluxionis causæ.

Ex his liquidò constat, quæ possint esse fluxionis occasiones, & causæ, nam partis recipientis ratione, quæ aliquam inferunt parti imbecillitatem, & quæ temperamentum ejus evertunt, & substantiam laxant, & quæ dolorem promovent, aut calorem accendunt, & quæ eandem exhauriunt, ea omnia poterunt dici fluxionis causa. Et propterea frictiones asperæ, dolorosæ deligationes, calefacientia, sive per se id faciant, sive per accidens, sanguinis profluvia, & omnia, dolorifica, sivè natura sua sint talia, sive in respectu ad partem, cujusmodi sunt incongruus situs, & incompositus motus, & alia contrectatio dolentis partis, & ejusdem oppressio ab aliquo pondere, atque adstrictio medicamento comparata, & alia id genus possunt humorum fluxum commovere. At ratione viarum, per quas fit fluxio, quæ illas reddere ampliores, ac laxiores valent, ut ambientis caliditas, balneum calentis aquæ, inunctiones digerentes, & laxantes, frictiones, & hujusmodi. Ratione verò mittentium partium, quæ sunt in causa,

ut

ut corpus totum, vel pars aliqua uno, vel pluribus ſuccis ſcateat, ita ut ob quantitatem, vel qualitatem ejuſmodi materiæ incitetur expultrix ad expellendum, vel ut qui præerant vim recipiant irritandi. Et ideò improba victus ratio ad id maximè confert, tum materiam ſuppeditando pro generatione multi, & pravi ſucci, tum etiam, dum eſt in cauſa, ut præexiſtens inficiatur, ſeu malam qualitatem contrahat. Flatus pariter frigidi, & frigidum extrinſecus obvians, præſertim poſtquam ex laboribus, aut mora in ambiente calido quis fuerit excalefactus, repellendo, ſeu exprimendo ſuccos, ut communi utar loquendi formula, faciunt, ut partes iis ptoximæ, ad quas vis refrigerationis pertingit, vel remotiores etiam nimis repleantur, ac diſtendantur. Flatus ſimiliter calidi, & mora in ambiente calido ſuccos calefáciendo, attenuando, ac fundendo, idem præſtant, ſiquidem attenuati ſucci majorem locum occupant, & vaſa magis diſtendunt. Ex parte verò confluentis materiæ quæ ipſam calefaciendi, attenuandi, liquandi, & fluxilem reddendi vim habent, ut corporis, animique motus immodicus occurſus calefaciendis corporis, vini præſertim meratioris potus uberior, uſus aromatum, & acrium, & hujuſmodi. Eadem ratione ſitus declivis recipientis corporis occaſionem præbet fluxioni, eò quòd à proprio pondere ſucci ferantur in decliviorem locum. Tot ſunt fluxionis cauſæ, quarum vis tamen reſpectu ſubjecti eſt dijudicanda, levis enim cauſa, ſi ſecundum ſeipſam conſideretur, alicui adveniens, in quo aliæ ſunt fluxionis occaſiones, & cauſæ, fluxionem facilè promovebit, aut adaugebit, ſicuti unica alii comeſtio, & unica meri potio in graviter vulnerato. Et ubi plures concurrunt cauſæ atque fortiores, tanto magis de fluxione timendum eſt.

Hæc ſi diligenter expendamus, facilè patebit veritas ejus, quod ab initio propoſuimus, videlicet per vulnera partes reddi fluxionibus obnoxias. neque enim unico nomine hoc præſtant vulnera. Primò quidem pars vulnerata ob unum ipſum vulnus à quo proprium temperamentum evertitur, imbecillior facta aliundè tranſmiſſos ſuccos facilè admittit, & ab ejus imbecillitate poſſunt robuſtiores partes anſam arripere, ſeſe in eandem exonerandi, & eò magis, quò vulnus majus extiterit, quia & imbecillitas eſt major. *Cur pars vulnerata ſit obnoxia fluxionibus.*

Accidit

Accidit ſecundo loco dolor, neque tantùm ex vulnerante cauſa, ſed quoniam partes proprio, & naturali tegumento deſtitutæ ex qualibet, vel levi cauſa irritantur, ac dolent. Tertiò ſanguinis fluxus accidit ſectis, aut laceratis vaſis, & conſecutione quadam movetur ſanguis à ſuprapoſitis partibus ad vulneratam, ut ſubeat locum ejus, quod effluxit, & à ſpiritibus etiam pulſus, & eò magis ad eam ſanguinis motus convertitur, quod ex hac ſuccorum commotione moleſtiam quandam perſentiunt aliæ partes, & proindè irritatæ ad id, quod infeſtat expellendum inſurgunt. Tandem & ex continui ſolutione, & ſanguinis, ac ſpirituum effuſione, & aeris occurſu, quem antea ſolutæ partes non fuerunt expertæ, moleſtia infertur non ſolùm vulneratæ parti, ſed & reliquis partibus; omnia enim in corpore ſunt ſibimet conſentientia, atque ſucci irritantis ſubeunt ſpeciem; Ut igitur natura rem contriſtantem expellat, dum vehementiùs nititur, ſpiritus, & ſanguinem ad affectam ſimul exprimit. Has itaque fluxionis cauſas in vulnerato ſtatim ab initio manifeſtè intuemur, quibus ſi altera, vel plures acceſſerint, longè magis augebitur fluxionis periculum, ut ſi ambientis injuriis exponatur pars vulnerata, ejus enim ratione calor naturalis languidior redditur, & pars fit imbecillior, & fluxioni magis expoſita, aut nova doloris cauſa acciderit, ut intempeſtivus, & incongruus motus, ineptus ſitus, contrectatio aſpera, pharmacum aliquod mordax; aut ſi quis partem nimis excalefecerit, aut ipſe vulneratus ita luerit percitus; quæ quidem frequenter evenire conſpicimus. Urgebit adhùc magis fluxionis periculum, ſi præſtita occaſio fuerit generationi multorum, & pravorum ſuccorum, vel ut jam geniti attenuentur, fundantur, aut aliud vitium contrahant; hæc autem à minùs proba victus ratione potiſſimum expectare oportet; ſi corpus fuerit plethoricum, aut cacochymum, jam plures fluxionis cauſæ præter communes, & eæ potiſſimæ in eo concurrunt, & propterea in hujuſmodi corporibus facilè admodum contingunt fluxiones. Hæc ſatis ſint de fluxione, quæ in inflammationem partis terminatur, niſi cohibeatur.

Eſt alius fluxionis modus, qui non in inflammationem, ſed in excrementa deſinit, eo quod humores ſupervacui non confertim, & cum

& cum impetu, seu motu concitato, sed paulatim moveantur, quo fit, ne prorsùs opprimant potentiam partis, sed tantum reddatur vulnus pluribus excrementis scatens. Oritur autem id fluxionis genus, toto corpore, vel parte aliqua propria excrementa in vulneratam deponente, sumpta occasione ab illius imbecillitate. Hæc est fluxio, quæ vulnerum curationem protrahit, facitque ut in ulcera degenerent, neque fieri consuevit, nisi in curationis progressu. Talis est vulneratæ partis status; cujus ratione innumeris periculis expositi sunt vulnerati, de quibus alias.

CAPUT XII.

De Signis Vulnerum.

NOn satis est ad vulnerum curationem nosse vulnus esse talem continui solutionem, qualis superiùs descripta est, & ex ea congruas indicationes depromere, sed cum in particularibus operetur Medicus, necessarium est insuper, ut universale particulari subjecto possit adaptare, determinatam vulneris essentiam in quolibet obvio cognoscere. Et propterea cum propositum sit non solùm universalem viam tradere curandi vulnera, verum etiam explicare, quomodo in particularibus quivis eam exerceat, operæ pretium est notas proponere, quibus omnis vulneris differentia in quolibet subjecto dignoscatur. Est quidem vulnus, ut talis continui solutio, ex sui natura conspicuum, ideòque nec signis indiget, quibus ostendat, nisi ex accidenti ipsum latere contingat; At qua in parte consistat, & quæ partes oblædantur, quod ad specificam essentiam ipsius intelligendam requiritur, non semper sensibus patet, non enim semper manifestum est, quando nervos, aut ligamenta, aut tendines, aut ossa oblædat, minùs etiam, quando aliquod viscus: & ideò in hac generali vulnerum tractatione videndum est, quibus signis haberi possit, quando hæc, vel illa pars sit vulnerata, vel aliter à vulnerante causa malè affecta, idque sensibus haud licet percipere: quæ etiam erunt eadem, quibus latiùs vulnus cognoscitur. Peculiaria verò signa, quibus partium vulnera manifesta fiunt, afferentur, cum de partium vulneribus erit sermo.

Ex quibus innotescat pars vulnerata, quando non est conspicua.

Sicuti ergo pars affecta alias cognoscitur ab actione læsa, cujus vicem subit usus, quando pars actione peculiari careat; excretisque, dum eorum substantia, quantitas, qualitas, locusque per quem excernuntur, & excernendi modus consideratur, dolore, situque aut doloris, aut tumoris, si hæc adfuerint, aut cujuspiam alterius, & propriis accidentibus: ita hæc eadem observando laborandum nobis est, ut in vulneratæ partis latentis cognitionem deveniamus. Plurimum quidem ad affectam partem inveniendam actio læsa conducit, fieri enim haud potest, ut vulnerata sit pars aliqua, & ejus actio non sit aliquo modo læsa. Sic vulnerato diaphragmate, læditur respiratio, vulnerato cerebro, læduntur principes functiones, & sic de reliquis. Usus & ipse læsus non leviter confert, namque si à vulnere pars quæpiam sensum, & motum amittat, unde ejus ratione usum illius partis læsum deprehendimus, cujus est sensitivam, ac motivam qualitatem ad partem illam deferre, protinùs affectos nervos judicamus, quorum est ille usus.

Actio læsa.

Usus oblæsus.

Verùm, quoniam non semper statim à vulnere conspicua fit actionis læsio, & non raró etiam per consensum læditur actio partis, in qua non est vulnus, quod & de usu dicendum est, ad alia signa confugere cogimur. Excreta itaque per vulnus oportet considerare, situm vulneris, & accidentia consequentia: & in excretis quinque alia superiùs commemorata perpendenda erunt. Substantia quidem excreti monstrat, quæ pars sit vulnerata, eò quod excretum vel sit de illius substantia, vel in ea contineatur, aut ei hæreat. Sic si urina per vulnus exeat, vesica est vulnerata; si stercus, intestina crassa; si chylus, intestina tenuia; si ingesta edulia, ventriculus; Si sanguinis copia vel vena magna, vel arteria: Sed an à vena, vel ab arteria exeat, modus, quo egreditur, patefaciet, nam si ab arteria, quoniam pulsat, saliendo egredietur, à vena autem nequaquam. Qualitates quoque egredientis sanguinis idem poterit commonstrare: nam color ejus, qui ab arteria fertur, magis rubicundus est, atque ad flavum vergens, tenuior, ac ferventior, crassior verò qui à vena, & magis obscurus, ac minùs fervens. Locus, per quem fit excretio, non mediocriter confert ad inveniendam partem vulneratam, nam si per anum sanguis

Excreta.

exeat,

exeat, vulnerato abdomine, indicatur inteſtinorum vulnus, ſanguis enim per anum exiens non ab hæmorrhoidibus, ſed occaſione vulneris, aliunde provenire non poteſt, quàm à ſolutis inteſtinorum venis à vulnerante cauſa.

Sed excernendi modus ſemper eſt conſiderandus; idem enim per eandem partem excerni poteſt à pluribus partibus, quarum diſtinctionem excernendi modus patefacit. Sic per os ſanguis excernitur, & à ventriculo, & à partibus ſpiritalibus, & à capite etiam, ſed à ventriculo vomitu rejicitur, à pulmone verò cum valida tuſſi, cum leviori à trachea arteria; absque tuſſi, ſed ſola excretione à capite, quandoque etiam cum aliqua tuſſi, ſicuti & à cavitate thoracis cum valida tuſſi educitur illæſis pulmonibus; unde, ut certior ſit cognitio, qualitas ſanguinis eſt conſideranda; namque à thorace prodiens ater, & grumoſus eſt, à pulmonibus rubicundus, & ſpumoſus, à capite pariter ſæpiùs nigricans eſt, atque grumoſus, tuſſis tamen ſemper eſt levis. Advertendum autem non ſemper ab excretis indicari primariò affectam ſedem, ſed ſæpè ſecundariò adjunctoque diſcurſu: non enim expuitio ſanguinis cum tuſſi eſt proprium ſignum vulneris pulmonis, cum & hujuſmodi fiat expuitio ex eroſione, vel aperitione oſculi, vel diſruptione venæ in thorace, vel pulmone, ſed ex tali expuitione arguitur conſequentia quadam vulneratum eſſe pulmonem. Cùm enim à vulnere thoraci inflicto contigerit, nec alia fuerit prægreſſa cauſa, quæ vas in pulmone diſruperit, aut ejus oſculum aperuerit, & vulnus ſit in promptu, conjicimus id ex vulnere ortum habuiſſe, quia pulmo videlicet fuerit vulneratus: pariter, ſi per anum ſanguis excernatur, non eſt proprium ſignum vulnerum inteſtinorum, ſed tamen ex eo adhibito diſcurſu elicimus vulnerata fuiſſe inteſtina; cum enim vulnus ſit in abdomine, & ab inflicto vulnere contigerit ſanguinolenta excretio, neque alia præceſſerit hujuſque excretionis cauſa, in vulnus referendum eſſe non dubitamus, poſteaquam à vulnerato abdomine non poteſt excerni per anum ſanguis, niſi tota inteſtinorum ſubſtantia ſit diſciſſa.

Situs vulneris maximam vim habet indicandi vulneratam partem, una tamen cum aliis, per ſe enim plerumque parum ad cognitionem facit, quando quidem ſi vulnus ſit in abdomine, atque *Situs.*

etiam in ejus cavitatem penetret, non ob id dicendum est intestina esse vulnerata, nisi adsit signum quoddam proprium. Scimus in hypochondrio dextro ad nothas costas collocatum esse hepar; verùm, licet vulnus ibi fuerit inflictum, atque cavitatem permeet, non est dicendum telum ad jecur pervenisse, nisi quoddam signum ex propriis simul adfuerit. Est ergo situs vulneris signum quoddam commune, quod unà cum proprio, quamvis proprium sit ex iis, quæ non soli competunt, certò affectam sedem ostendit. In arte tamen secandi corpora oportet exercitatum esse illum, qui ex situ vulneratam partem vult deprehendere.

Accidentia consequentia. Accidentia consequentia diligenter observari debent; sunt enim potissima, præsertim si addatur consideratio situs, si enim vulnus sit in abdominis medio, neque chyli egressum potuerimus observare, pulsusque prostratio, & animi deliquium fuerint subsequuta, aut bilis vomitus, aut etiam æruginosus, faciesque talis apparuerit; qualis ab Hippocrate primo Præsagiorum describitur, intestina tenuia fuisse vulnerata non dubitabimus. Si in artus vulnus inciderit, ac sævi dolores supervenerint, nervos convulneratos suspicabimur. Sed de propriis accidentibus vulnerum cujusque latentis partis suo loco pertractabimus.

CAPUT XIII.

De Vulnerum Præsagiis in genere.

DUo sunt, quæ in medicina facienda Medico proposita esse debent: unum est, ut ægrotantis saluti consulat: alterum, ut propriæ famæ, ac existimationis rationem habeat. Saluti ægrotantis consulet congrua præsidia ex arte administrando: propriæ verò existimationi pluribus quidem modis, sed potissimum quæ futura sunt prædicendo; ita enim meritò admirationi fuerit, ut dicebat Hipp. primo. Præsag. & ægrotantium res probè cognoscere existimabitur; & si quid mali, vel etiam mors subsequatur, non ejus errori, quod non levem notam inureret, sed morbi naturæ ascribetur. Quin & hoc in ægrotantis salutem cedet, prævidens enim futura Medicus, & ex multo tempore antea consilium

Medicus futura prædicendo propriæ existimationi consulit.

Medicus futura præ-

lium adhibens, ut ibidem dicebat Hippocrates, ad ſingula, poterit nonnunquam futura mala avertere, vel ſaltem longè minora reddere: ſicque quos ſuperſtites manere poſſibile eſt, eos adhuc magis rectè conſervare poterit. Propterea non ſatis eſt ei, qui vulnerum curationem profitetur, congrua præſidia excogitare, ſed inſuper, quæ futura ſunt, neceſſarium eſt prænoſcere, atque prædicere, & adhuc magis, ſi vulnerum curationem novo hoc modo inſtituere delegerit: vulgus enim res ex eventu dijudicans, poſteaquam fieri non poteſt, ut omnes vulnerati ad ſanitatem perducantur, in curationis modum rejiceret, quod naturam vulneris neceſſariò conſequitur. Unde non ſatis laudari poteſt conſilium Celſi, quod lib. 5. ſuæ Medicinæ cap. 26. his verbis obtulit: In his autem (de vulneribus loquebatur) ante omnia ſcire Medicus debet, quæ inſanabilia ſint, quæ difficilem curationem habeant, quæ promptiorem; eſt enim prudentis hominis primùm eum, qui ſervari non poteſt, non attingere, nec ſubire ſpeciem ejus ut occiſi, quem ſors ipſius peremit: deinde ubi gravis metus ſine certa tamen deſperatione eſt, indicare neceſſariis periclitantis in difficili rem eſſe, ne ſi victa ars malo fuerit, vel ignoraſſe, vel fefelliſſe ſe videatur. Hiſce de cauſis antequam vulnerum curationem pertractarem, æquum viſum eſt de præſagiendi in ipſis ratione ſermonem habere.

videns rebus ægrotantis consulit.

In primis igitur, quoniam non ſanatur vulnus, ut & plebi ipſi notum eſt, niſi mediante unione ſolutarum partium, prænoſcat oportet, num partes omnes ſimilares ex ſui natura unionem admittant, ſitque idem in omnibus unionis modus; numque omnes ejuſmodi ſint, ut ſi portio ſubſtantiæ ipſarum fuerit deperdita, regenerari poſſit: norunt enim omnes organicam partem, ſi fuerit abſciſſa, & materiæ, & formatricis defectu regenerari non poſſe, ſicuti neque coaleſcere, quæ penitus abſciſſa eſt, ut in qua principium vitæ non reperitur: qua ratione dicebat Gal. lib. Art. med. cap. 9. unionem in partibus organicis eſſe impoſſibilem. Hæc enim ſi præſciverit, quodcunque ſibi obtulerit vulnus, ipſo diligenter inſpecto, prævidere, ac prædicere poterit, quæ unio in diſciſſis partibus ſit expectanda, atque ita aſſiſtentibus ſatisfacere, qui non ignorantes vulneris ſanationem perfici per unionem ſolu-

Quæ ſint prænoſcenda primum.

tarum partium, atque per regenerationem ſubſtantiæ, quæ deficit, vel ejus loco alterius cujuſpiam, ſæpè ſciſcitantur, videntes, e. g. venam, aut arteriam diſſectam, vel nervum, vel os, aut portionem cutis, vel carnis, aut nervi, vel oſſis eſſe deperditam, futurum ne ſit, ut coaleſcant diviſæ partes, & quis ſit conjunctionis modus, poſſitque, quod ex ſubſtantia deperditum eſt regenari. Nec incautus decipietur, quod futurum non eſt expectans, aut id aſſequi contendens, quod fieri nequaquam poteſt.

Secundum. Prænoſcat ſecundò oportet, atque prædicat, num oblatum vulnus ſanabile ſit, vel inſanabile; & ſi ſanabile, num facilis & prompta, an difficilis futura ſit ejus curatio, & an inculpata ſanitas ſit expectanda, an potiùs cum alicujus functionis diſpendio; non pauci enim ex artuum vulneribus in reliquum vitæ manci ſunt redditi; & ex cerebri vulneribus alii muti, alii immemores facti, alii etiam fatui.

Tertium. Inſuper brevi nè, an longum poſt tempus futura ſit ſanitas. Si vero inſanabile, num ad mortem ſit terminandum, an ad ulcus incurabile: & ſi ad mortem, quando, & quomodo ſit ſequutura.

Utilitates provenientes ex præcognitione. Hac ratione deploratis auxiliares manus denegare poterit, niſi aliter ſuaſerit Chriſtiana pietas, poſteaquam, ut admonebat Celſus, non eſt attingendus, qui ſervari non poteſt ne occaſionem mortis illi dediſſe videamur, quem ſors ipſius peremit? eorum verò, qui in periculo ſunt conſtituti ſine certa tamen deſperatione, cum cautione, ut infamiæ periculum fugiat, curam ſuſcipiat. Neceſſariis quoque vulnerati, quid de ipſo futurum ſit ſcire cupientibus, vel expoſcentibus, licebit, quis ſit rei ſtatus, & quæ ſanitas ſperari poſſit, indicare. Nec in tractandis vulneratis aſſiduè ſollicitabitur animus, quòd iis evenire ſolet, qui haud probè tenent, quid, & quando ſit timendum, unde vel hæſitant, & timent, atque anxii ſunt pluſquam par ſit, ubi timendum non eſſet; vel nimis ſunt audaces, ubi etiam timendum foret? utrumque enim, ut dicebat Hippocr. in lege, eſt imperitiæ ſoboles; nam timiditas impotentiam arguit, ut ibidem aſſerebat, quæ ab ignorantia puræ negationis provenit: audacia verò eam artis ignorantiam, quæ pravæ exiſtimationis dicitur.

Poſtremum. Prævideat tandem oportet, atque prædicat futuras permutationes

tiones in vulneribus, ſive ad bonum tendant, ſive ad malum, futuraque ſymptomata : ſic enim futuris malis ire obviam poterit, contra ipſorum cauſas acriter pugnando, & ſi quid adverſi prohibere in ejus poteſtate non fuerit, ſuſpicionem ſaltem omnem, atque calumniam effugiet, omneſque intelligent ſibi ſatis perſpectum eſſe vulnerati ſtatum cum nihil ipſo inſcio contigerit.

CAPUT XIV.

Quæ unio in ſolutis partibus ſit ſperanda, & in quibus deperditæ ſubſtantiæ regeneratio ſit expectanda.

AB eo igitur, quod primo loco propoſitum eſt, exordium ſumamus. Partes omnes ex ſui natura uniri poſſe cenſendum eſt; experientia enim conſtat, & oſſa, & carnem uniri, quòd ſi quæ duriſſimæ ſunt, ac ſicciſſimæ uniuntur, & pariter quæ molliſſimæ, intermedias & ipſas ſui natura uniri poſſe neceſſariò inferendum eſt. Unde neque hepatis ſubſtantia, neque cordis ſui natura unionem refugit, & ad ſanitatem perduceretur cordis vulnus, niſi quid aliud obſtaret, ideò Gal. 5. Loc. af. 6. dicebat: Si verò in cordis ſubſtantia vulnus conſiſtat, ex ita affectis aliqui non ſolùm eadem die, qua vulnerati ſunt, ſed ſequenti quoque nocte vivere potuere, qui inflammationis ratione extincti ſunt. Sui autem natura dixi, quoniam ob aliam rationem accidit multoties unionem impediri; poteſt enim eam interpellare actio partis, uſuſque, ac ſitus, & ſubſtantiæ tenuitas; item quid intra uniendas partes exiſtens, & ſuperveniens pravus affectus. Actionem, ſitum, & uſum propoſuit Gal. 3. Meth. 1. Tenuitatem autem ſubſtantiæ 6. Aph. 18. Quòd labris conjungendis intercedit lib. Art. med. cap. 90. recenſens enim, quæ Medico agenda ſunt, ut unio rectè ſuccedat, tertio loco, dicebat, cavere opus eſt, ne quid labris ulceris intercidat. Supervenientem pravum affectum 3. Meth. 4. his verbis: Hæc ſi feceris, fueritque ulcus ſolùm citra vitioſum ſuccum, aut temperiem, aut phlegmonem, aut aliud quodlibet vitium, procul dubio coibit.

Partes omnes ex ſui natura poſſunt uniri.

Quæ unionem impediant.

Quantùm poſſit actio ad unionem impediendam diſſecta arteria

Actio quomodo unioni obſtet.

teria demonstrat, quæ ob pulsationem uniri non potest, efficit enim motus, ut agglutinanda ora distent, quæ ad mutuum contactum adducta esse, atque ita permanere necesse est, si sint unienda. Quod si fortè citra dispendium intercipi posset actio illa, ut nonnunquam usu evenit; nec aliud impedimento esset dissitarum partium unio procul dubio sequeretur. Arteriam enim in brachio graviter sauciatam coaluisse observatum est, intercepto ipsius arteriæ motu, quæ anteà nullis præsidiis uniri potuerat. Propter usum vesica usque ad cavitatem dissecta, si effatu digna sit divisio, non coalescit; nam urina quam continet, assiduò discissas partes alluens, ne uniantur prohibet. Et bilis, quam jejunum intestinum recipit, in causa est, ne, si vulneretur, discissæ partes coeant. Situs partis unioni sæpè reluctatur: aggludinanda siquidem labra proxima esse debent, unde cùm discissæ partes distantes sint, ut ad mutuum contactum reducantur, necesse est; quod ob situm sæpè non assequimur, eò quòd pars manualem operationem refugiat. Hinc est, quòd intestinorum vulnera, nisi excidant, raro agglutinantur, præsertim si per transversum fuerint dissecta; intra cavitatem enim abdominis contenta manualem operationem refugiunt. Et omninò distantes partes quandiu distant uniri non possunt: quare si ipsarum adductio qua de causa fieri nequeat, spes agglutinationis nulla remanet. Tenuitas substantiæ non semper unionem impedit, sed tunc tantùm, quando substantia illius partis est exanguis; cùm enim exanguis sit, ac tenuis, non potest tantùm sanguinis ad ora vulneris ferri, quantùm ad unionem requiritur. Hinc Gal. 6. Aph. 18. Quòd verò partes ipsæ divisæ agglutinari non possint, in corde quidem, ac septo transverso ex jugi eorum motu contingit, in vesica autem, quia nervosa, tenuis, & exanguis. Tollitur tamen hoc impedimentum, quando tenui membranæ subest pars, ex qua pullulare possit caro, & propterea vesica ad ligamenta, quibus dorso adnectitur, vulnerata, nisi ampla nimis sit dissectio, solet coalescere. Substantiæ tenuitas hac etiam ratione coalitum impedit, quod diffidentia labia rectè adduci non possunt.

Usus. *Situs partis.* *Tenuitas substantiæ.*

Quid agglutinandis labiis interponitur, quando unionem prohibeat, satis superque notum est: & hoc quidem non solùm est quid

Quid interpositum inter labia.

quid extrinſecus occurrens, ut pilus, oleum, telum, & hujuſmodi, verùm etiam aliquid intra uniendas partes genitum, ut ſanies. Tandem adnexus pravus affectus unionem prohibet, quoniam aut eſt partis intemperies, aut quid partis temperiem, cujus eſt unionem perficere, deſtruens; vel materiam, qua mediante fieri coalitus debet, vitians. Unde non immeritò dicebat Gal. Fueritque ulcus citra vitioſum ſuccum, aut fluxionem, aut intemperiem, aut phlegmonem, aut aliud quodlibet vitium, procul dubio coibit. Si igitur partes non coaleſcant, quodpiam ex his erit in cauſa, cum ſui natura uniri omnes poſſint. *Adnexus pravus affectus.*

Veruntamen non eſt idem in omnibus unionis modus, aliæ ſiquidem vera unione, quæ eſt per medium ejuſdem generis, non alterius ſubſtantiæ interventu coaleſcunt, namque ex nutrimento in extremitatibus vaſorum diviſarum partium exiſtente, & à poris reſudante, generatur portio quædam ſubſtantiæ parti agglutinandæ ſimilis, quæ eſt gluten ſolutas partes conjungens, & ad priſtinam unionem reducens: aliæ verò medio extraneo, & heterogeneo connectuntur, eò quòd ſubſtantia ſolutæ parti ſimilis generari nequeat, unde Gal. 3. Meth. 4. duplicem hunc diviſarum partium coalitum his verbis tradidit; Porrò bifariam ſimul manent, quæ commiſſa ſunt, cum alia per ſe, alia ope aliorum maneant; per ſe quidem, quæcunque ſecum concreſcunt, ac coaleſcunt, aliorum ope, & quæ colligantur, & quæ glutino aliquo tenentur. Unionem priorem communiter appellant Medici ſecundùm primam intentionem, quoniam talis unio à Medico principaliter intenditur; vellet enim partes omnes per ſe, & medio homogeneo, ac ſimili coaleſcere: alteram verò ſecundùm intentionem ſecundam, quoniam cum non ſemper poſſibilis ſit prior unio, hæc ab eò ſecundariò quæritur. Et hanc appellationem à Gal. deſumpſerunt lib. Art. med. c. 91. ubi fracturam oſſis, quantùm ad primam intentionem (κατὰ πρῶτον σκοπὸν Græcè) inſanabilem eſſe aſſerit; quantum verò ad ſecundam (κατὰ δεύτερον Græcè) quodammodò ſanabilem. Quæ igitur partes vera unione coaleſcant, & quæ non vera coeant, ipſarum natura docebit, licèt enim, & per experientiam, ut aſſerit Gal. 3. Meth. 1. haberi id poſſint, quia tamen huic longo uſu eſt opus melius eſt ex rei natura id inveſtigare. *Quot modis uniantur partes.* *Unio vera.* *Unio per medium extraneum.*

Partes verè conglutinandæ cujus naturæ sint.

Mollities.

Natura igitur partium hoc ostendet; quoniam quæ verè sunt conglutinandæ, molles sint oportet, humidum enim continuationis est causa, siccæ verò, & duræ ob humidi defectum verum coalitum non admittunt, sed extraneo medio indigent, quo connectantur sejunctæ ipsarum partes. Unde Gal. 3. Meth. 4. Quæ concrescunt, mollia sint naturaliter oportet, talis sanè est tum caro ipsa, tum quæ ex carne consistunt, quæcunque verò dura, siccaque sunt, eorum divisæ partes coire simul nequeunt, sed glutinum aliquod vinculumve, quo commissa maneant, requirunt. Et 6. Meth. 5. Quòd igitur coalescere nequeat tam durum os, quàm id, quod in juvenibus & adolescentibus, & viris, multòque magis in senibus cernitur, id profectò, vel cuivis patere potest; potest certè illud tantùm unitionem recipere, quod abundè molle est, cujusmodi aspicitur in puerulis; quòd autem alia quapiam interveniente substantia, seu glutino quodam agglutinari, colligarique secum separatæ fracti ossis particulæ queant, hinc maximè speret quispiam, &c. Præterea, quæ juxtà primum scopum coalescere debent, ex tali materia constitutæ sint oportet, quæ solutionis tempore præsto esse possit, nec deficiat pro novæ substantiæ generatione. Non enim satis est subesse materiam pro nutritione, & incremento, si adhuc augeatur corpus, cum insuper nova substantia pro glutine divisarum partium requiratur, ac tandem, ut valida facultate, copiosoque calore sint præditæ, quoad novam formationem sufficiat: si quidem facultas in partibus divisis existens, ut dicebat Gal. 1. de sem. c. 13. Opifex est ejus substantiæ, quæ innascitur. Materiæ largæ, & copiosæ necessitatem proposuit Gal. 1. de sem. c. 11. eandemque una cum agentis robore eodem c. 13. In quibus ergo partibus aliquid horum deficit, non est, cur veram agglutinationem speremus. In carnosis nullum ex his desiderari manifestum est; molles enim sunt, calore abundant, & ex consequenti validam facultatem obtinent, & ex sanguine constant, qui copiosus in corpore reperitur; ex quo, quia admodum affinis est naturæ carnis, levi mutatione caro concrescit; qua de causa dicebat Gal. 1. de sem. c. 12. facillimum esse sanguini carnem fieri. Hinc fit, ut quolibet tempore vera unio perfici in ipsis possit, nisi quid aliud impediat.

Materiæ copia.

Facultatis robur.

Immò

Immò & ſi quid ex earum ſubſtantia deperdatur, haud multo negotio propter dictas cauſas regeneratur. Unde Gal. 1. de ſem. c. 11. Quæ ex ſanguine generata ſunt, ſi corrumpantur, quandoque facilè rurſum generantur, ut quæ materiam generationis largam habeant.

An ſeminales partes poſſint regenerari, & uniri.

De ſpermaticis autem partibus eſt non levis controverſia; videtur enim nonnullis, & qui etiam magni ſunt nominis, non ſolùm ex ſui natura vera unione poſſe coaleſcere ſeminales partes, verùm etiam ſi portio earum deperdatur, iterum poſſe generari, ſiquidem dicunt, & materia idonea adeſt, & agens, igitur & uniri, & regenerari poſſunt. Quòd verò adſit materia, ex eo colligunt, quòd usque ad vitæ extremum proprio alimento nutriuntur partes, & ex iiſdem nutrimur, ex quibus ſumus. qua de cauſa in Hippoc. & Gal. doctrina, ut 14. de Uſu partium, eſt videre, necnon & primo de ſem. c. 12. Partes omnes ſpermaticæ vim habent ſeminis generativam, ex quo neceſſe eſt, ut nutriantur, ſicut ex illo ſunt conſtitutæ. Hinc Gal. 1. de ſem. 12. Nequaquam igitur unaquæque primarum partium animalis à principio quidem ex ſemine nata eſſe videtur, aliud autem eſſe ipſarum ultimum, & familiariſſimum alimentum. Et rurſus: Nutritio partes generat eorum, quæ nutriuntur, ſimiles, ſed non ex alia materia generatum eſt totum vas. ex alia nunc generantur ipſius partes. Si ergo unaquæque pars ſpermatica vim habeat ſemen generandi, ob materiæ defectum dicendum non eſt, quòd neque agglutinentur, neque regenerentur. Non deeſſe autem efficiens, ex eo demonſtrant, quòd idem calidum, quod à principio partes efformavit, in iiſdem, ut ex Galeno colligitur prima Aph. 15. poſt generationem permanet, ut eaſdem adaugeat, & uſque ad mortem enutriat, atque conſervet. Neque enim, dicebat Galenus 1. de ſem. 11. reliquit natura animal, neque oblita eſt virium ſibi inſitarum: quas enim à nullo acquiſivit, ſed ex ſemine habet, eas impoſſibile eſt eam abjicere, undè inferiùs ſubjungebat: Itaque putas, quòd arteriæ tunica, aut nervi corpus gubernantem ipſam facultatem non ampliùs habeat, talis ſubſtantiæ effectricem, qualem ipſum poſſidet? Atqui ſi quid aliud, & hoc naturis ineſt, ut ſibi ipſis ſimilia faciant. Quomodò namque aliàs nutrietur cor-

pus, si ejusmodi facultas non semper ipsi permaneret? Ex his inferunt, posse partes omnes sui natura non solùm verè coalescere; verùm etiam si quid ex eis deficiat, regenerari: neque duritiem, & siccitatem obstare, quia quantumcunque siccæ, & duræ sint, vivunt, & nutriuntur, & sic in sui naturam sanguinem mutant. Et sic hoc est, & ex his, quæ similia sunt, rationi consonum est, fieri posse non solùm nutritionem, verùm etiam regenerationem, ut in carne, & si quid siccitatis ratione interturbetur, non ad rem, sed ad tempus attinebit. Et quoniam experientia constat in adultis non fieri hujusmodi coalitum, atque regenerationem, causam potissimum hujus esse dicunt carnem, quæ interponitur, antequam vera generatio, aut agglutinatio fiat. Cùm enim sanguis nimis absit a natura seminalium partium, & in semen vertendus sit, antequam in earum substantiam abeat, multis profectò transmutationibus indigebit, ut assimiletur; & propterea ægrè admodum ex eo fiet novæ alicujus substantiæ generatio; quemadmodum enim dicebat Gal. 1. de sem. 11. Non ex omni in omne similiter transmutationes fieri dicere licet, in id enim, quod naturæ ejus, quod transmutatur, propinquiùs est, facilis transmutatio est, & propterea sanguini facillimum est carnem fieri, difficillimum verò membranam, & nervum, & venam, & arteriam, & tunicam. Multo igitur tempore ad id opus erit, cum præsertim ex sanguine a partibus paulatim semen generetur, ideòque multum etiam temporis requiretur, ut sufficiens ejus quantitas coacervari possit. In hac ergo temporis mora carnem, cujus prompta est ex sanguine generatio, exoriri, interponique dicunt, qua interposita, patet, fieri ampliùs non posse regenerationem deperditi. Galenumque adducunt, qui primo de sem. 13. hæc habet: Tantum enim nullibi acervatim contentum semen reperire licet, quando unumquodque eorum, quæ deperdita sunt, indiget ad generationem, quin & cum per multum tempus coacervari possit, à præoccupante carnis generatione impeditur. Quòd etiam regenerentur seminales partes, ex eo persuadere insuper conantur, quòd ulcera cava carne implentur, etiam si multa carnis quantitas deficiat, quæ quidem aggenerata caro non minùs sentit, & nutritur, ac reliqua, ut fateri oporteat, & nervis, & venis, atque arteriis esse præditam; & ex conse-

consequenti has partes unà cum carne regenerari, & Galenum adducunt primo de sem. 13. quo in loco testatur Galenus, se observasse in ulceribus venas renatas, licèt nunquam arteriam, & nervum. Dentes quoque, qui omnium consensu ex semine generationem habent, regenerari constat, igitur sui natura regenerari possunt spermaticæ partes, quamvis sæpiùs hæc generatio impediatur. Quòd si regenerari possunt, & per se suaptè natura coalescere, tantò magis existimandum est, unde & Galenus sæpè observavit agglutinatas arterias, & in adultis, ut videre est 5. Meth. 7. & 14. Meth. 16.

CAPUT XV.

Quod seminales partes in adultis neque verè coeant, neque regenerentur.

ET si apud nonnullos tanti sint momenti allatæ rationes, ut iis penitùs aquiescant; attamen si rem magis ad vivum resecemus, non solùm non regenerari, sed neque perfectè agglutinari posse facilè apparebit. Quod quidem ex hoc licet conjicere: Cutis cæteris spermaticis partibus mollior est, atque calidior, ut quæ non ex semine solo, sed etiam ex sanguine constet, & tamen in dies observamus eam in adultis non solùm non regenerari, qua ratione dicebat Gal. 3. Meth. 5. Cutis talis omninò, qualis erat, quæ periit, prorsus restitui non potest, sed simile quiddam cuti, & quòd ejus vicem suppleat, potest, verùm neque perfectè, & per medium homogeneum conglutinari, sed per heterogeneum, & extraneum solummodo, cicatricem scilicet, tantò minùs igitur cæteræ spermaticæ partes regenerabuntur, & coalescent. Quòd enim cicatrix sit à natura cutis diversa, ejus densitas demonstrat, & illud etiam, quod in ea non oriuntur pili, unde Gal. 14. Meth. 16. Cicatrix verò, quæ in hac tali modo indurata gignitur, ea cuti quidem est quàm simillima, cutis tamen non est, quando, & densior ea visu, tactuque sentitur, & ratione, ex eo, quòd pilos non edit, intelligitur. Neque mirum videri debet, posteaquam in omnibus materia deest, & efficiens: in plurimis etiam nimia

Partes seminales, nec regenerantur nec verè coalescunt.

Defectu materiæ, & agentis non

 siccitas

regenerantur, neque coalescuut seminales partes, & propter siccitatem.

siccitas obest, ob quas causas superiùs dicebamus partes neque regenerari, neque coalescere. Siccitas manifesta est in arteriis, nervis, ligamentis, membranis, & ossibus, qua ratione dicebat Gal. lib. Art. med. c. 91. Fractio est continuitatis in osse solutio, quæ quantum ad intentionem primam insanabilis existit, quò verò ad secundam, quodam modo sanabilis.

Prima igitur intentio est coalitus partium, qui ob ossis duritiem fieri non potest. Et 6. Meth. 5. Quod igitur coalescere nequeat tam durum os quam id, quod in juvenibus, & adolescentibus, & viris, multòque magis in senibus, id profectò, vel cuivis patere potest. Et 5. Meth. 7. Siquidem arteriæ natura difficultatem quidem durioris tunicæ suæ conglutinandæ prorsus indicat, non tamen ejusmodi, quæ evinci omninò nequeat; neque enim ita sicca est, & dura, ut os, vel cartilago. Deesse verò in omnibus materiam, & efficiens negari non potest, licèt enim calor, qui à principio partes efformavit, in iis usque ad mortem permaneat, nec propriis viribus sit destitutus (neque enim natura, dicebat Gal. 1. de sem. c. 11. reliquit animal, neque oblita est virium sibi insitarum. Et quomodo aliàs nutriretur corpus, si ejusmodi facultas non semper ipsi permaneret?) & sanguinis semper subsit copia, commune omnium partium alimentum, ex quo etiam ipsum semen generatur, attamen non est tantus, quantus erat, cum primò partes constituit, nec ea vi præditus, cùm semper reddatur impurior, & propterea non est sufficiens ad novam generationem, seu fomationem; satis est, si possit partes nutrire, & augere in ætate augmastica, & omninò eas conservare. Sanguis verò non est immediatum alimentum seminalium partium, sed, ut ab adversariis quoque afferebatur, necesse est, ut priùs semen fiat, vel semini simile, si ex eis nutrimur, ex quibus constamus; quare in substantiam seminalium partium non convertitur, nisi difficillimè, multisque transmutationibus mediantibus, ut notavit Gal. 1. de sem. 11. satisque materiæ præparabitur, si tanta fuerit, quanta sufficiat pro nutritione, & incremento, si augeatur corpus. Eoque magis cùm præparatio hæc fiat à facultate nutriendæ partis, quæ solummodò ad nutritionem, & augmentum sufficit, nec uberiorem materiam præparare potest, quàm pro dictis operibus requiratur.

Defectus materiæ, & agentis.

Ex semine nutriuntur seminales partes.

ratur. Quòd autem sufficiens materiæ quantitas possit coacervari, si efficiens desit, absurdum est dicere. Dato etiam quòd tanta seminalis materia possit congregari in loco deficientis partis, quanta sufficeret ad ejus restaurationem, neque tamen ob id ex ipsa reficeretur quod deperditum est, eò quòd vi formatrice destitueretur: prolificum enim semen in membris generationi dicatis tantummodò gignitur, quod verò in spermaticis fit partibus pro earum nutritione non est prolificum, neque enim potest alterius esse naturæ, ac illud fit, ex quo constitutæ sunt ipsæ partes, quæ ex sola crassa portione seminis, non ex tenui, & spirituosa, in quavis formativa recidet, suam habent generationem. Non ergo spiritus ille formationis auctor per totam illam materiam esset diffusus, quemadmodum erat à principio generationis, nam in materia, ex qua generandum os erat, residebat spiritus, qui ipsam elaborabat, & in ossis naturam transmutabat, & sic de reliquis seminalibus partibus: qua de re tunc facili negotio formabantur, & adhùc magis, quoniam eo tempore alter aderat opifex, ut dicebat Gal. 1. de sem. 13. facultas videlicet existens in uteri vasis, quibus allapsum est semen, sed ad naturalem calorem, seù implantatum spiritum ipsarum partium, quibus ad mensuram datus est, & ita ad facultatem, quæ extra ipsam materiam existit, elaboratio materiæ, ac formatio pertineret. Constat autem eam vim nunquam id munus expleturam, quod formator spiritus materiam totam penetrans. Omitto sine mulieris semine fieri conformationem non posse. Defectus hic ex parte agentis, cum non possit opifex efficaciter agere, est maxima consideratione dignus, & eum tetigit primo de sem. 11. cum diceret: In generatione verò animalis in utero larga erat materia, & adest sibi opifex alius, non solùm tangens materiam, sed & per totam ipsam perambulans.

Neque tamen ob id rejiciendam censeo calli, carnisque interpositionem, namque & hæc per se prohibere regenerationem, & agglutinationem posset. Cùm enim sanguis multis egeat transmutationibus, ut fiat nervus, aut membrana, vel os, eò quòd nimis ab istarum partium natura recedat, & priùs in semen verti debeat, ob idque non possit hoc, nisi longo tempore consequi, eòque

Interpositio calli, & carnis.

eòque magis, cùm ſenſim generetur ſemen, quòd futurum eſt ſubſtantia ipſarum partium, & tamen larga ejus debeat ſubeſſe copia, ne carnis generatio locum præoccupet, aut aliud quodpiam, ut vix longo temporis ſpatio coacervari ſufficiens quantitas poſſit; in hac mora excrementum, quod ab alimento reſultat, inter diviſas partes ſeſe interponit, & fit callus, vel generatur caro, quæ facilè ex ſanguine concreſcit, in id enim natura ſtudet, ut quamprimùm repleatur vacuum, quod maximè abhorret, ſicuti unionem maximè deſiderat; palam autem eſt, ob interpoſitionem hanc, & regenerationem, & agglutinationem impediri, qua de cauſa dicebat Gal. 1. de ſem. 13. ut & adverſarii animadverterunt; Tantum enim nullibi acervatim contentum ſemen reperire licet, quantum unumquodque eorum, quæ deperdita ſunt, indiget ad generationem, quin & cùm per multum tempus coacervari poſſit, à præoccupante carnis generatione impeditur. Quòd verò ea ſit potiſſima cauſa, cur neque regenerentur, neque perfectè uniantur ſeminales partes, ut quidam accipiunt, probare nunquam potui; Oſſa enim fracta in adultis, & callo firmata, ſi diligenter conſpiciantur in cadaveribus, comperientur extrinſecus ſolùm callo eſſe circumalligata, in interiori verò parte minimè agglutinata, quamvis nec ibi callus reperiatur, ut in ſolis labiis fracturæ circumcirca ſit alligatio, de quo nos admonuit Galenus primo de fract. com. 50. & ſexta Aph. 19. dicens: Quòd igitur neque cartilago, neque os generetur, eſt in confeſſo, an verò agglutinentur, nonnulli dubitant, inquiunt enim perſpicuè videri oſſa perfracta agglutinari. Hi verò aberrant, & doceri poſſunt in brutis, quorum pars aliqua fracta contraxerit callum; hæc enim ſeu viva, ſeu mortua ſi quis velit inſpicere diſſecando, videbit manifeſtè à callo quodam, veluti vinculo circumſcripto, partes oſſium diſciſſas eſſe conſtrictas, quas ſi abraſerint, fracturæ profundum videbunt non glutinatum, & proptereà etiam libro Art. med. c. 91. dicebat: Secunda intentio (qua videlicet oſſis fractio eſt quodammodò ſanabilis) eſt alligatio, quæ fit callo ſupernato partes fractas circumalligante: At ſi calli interpoſitio eſt potiſſima cauſa, cur non agglutinentur verè oſſa, in intima fracturæ parte, in qua non reperitur callus, longo ſaltem tempore

perfecta

perfecta unio fieri deberet, & tamen nunquam fit; referenda igitur potiùs causa est in materiæ inopiam, & agentis imbecillitatem, nec non & siccitatem. Tot igitur sunt, quæ in adultis spermaticarum partium regenerationi agglutinationique reluctantur, sed pro vera unione eam efficit natura, quæ est per medium heterogeneum, & per secundam intentionem, prout vulgo dicitur. Verùm quidem est, cum ex partibus spermaticis aliæ sint molliores, aliæ verò ficciores, & aliæ ex solo semine constent, aliæ verò etiam ex sanguine, prout molliores sunt, vel ficciores, & magis, vel minùs de sanguine participant, medium illud, quod solutas partes conjungit, magis vel minus à natura illarum partium differre; hinc est, quod in cute non multùm à natura cutis recedit, at in osse callus, qui fractas partes connectit, tantùm abest à natura ossis, ut nec etiam sit pars vivens, sed merum excrementum, quamvis in duritie, & ficcitate ossi non sit parum similis. Ferè autem in omnibus medium hoc heterogeneum eundem præstat usum, ac si homogeneum foret; cicatrice enim in cute inducta, ita subjectam carnem defendit, ac tegit cutis, ac si cicatrix illa vera cutis foret: & callus ossa fracta alligans æquè idonea ea reddit ad sustentandam, & fulciendam partem, ac si verum os esset: cicatrix venæ, vel arteriæ adeò sanguinem continet, ac propria venæ, vel arteriæ substantia. In nervis tamen, & ligamentis secus res se habet; medium enim, quod nervorum discissas partes conjungit, non admittit irradiationem qualitatis animalis à cerebro, & proindè resoluta semper manet pars illa, ad quam ferebatur nervus, quod etiam ligamenti partes connectit, non facit, ut ligamentum æquè ad motum conferat, ac priùs; causa autem est, illic quidem crassities, & densitas medii illius heterogenei; in ligamento verò medium hoc ipsum alligat proximis partibus, ut ob id moveri pars ea, veluti priùs, nequeat. Sed rarissima est in his partibus, & quæ ex illis constat, agglutinatio, etiam per heterogeneum medium, eò quod discissæ partes hùc, illucque se recipiunt, & propter situm adduci ad mutuum contactum nequeunt, eòque minùs, cum non sint consuendæ, ut suo loco demonstrabitur; & ita, cum distent, agglutinari non possunt, quam legem etiam subeunt venæ ipsæ, atque arteriæ, si penitùs

Medium heterogeneum uniens eundem præstat usum ac si foret homogeneum præterquam in nervis, & ligamentis.

L dissecen-

diſſecentur; protinùs enim diſſectæ partes in carnem ſe recipiunt, veluti notavit Gal. 5. Meth. 3. tota enim per tranſverſum præciſa vena, dicebat, retrahitur ex utraque parte pars utraque. Hoc voluit Gal. 6. Aphor. 19. quando dicebat: Quæ nunc Hippocrates inquit non coaleſcere, non ob id tantùm, quòd nervoſa ſunt, & tenuia; ſed quoniam etiam ex eo, quòd talem habent materiam, labia vulneris non ſunt parum diſtantia. Et profectò ſi committi adamuſſim poſſent diſſecti nervi partes, ſperarem in adultis etiam, mollioribus tamen, & efficaci calore præditis, agglutinationem per tale medium, quod licet heterogeneum, aliquam tamen irradiationem admitteret, & hoc experientia confirmat. Idem dicendum eſt de eo, quod loco deperditi in adultis regeneratur; in aliquibus enim partibus non admodum recedere videtur à natura deperditæ ſubſtantiæ, ut patet de cicatrice cutis: in aliis verò recedit quidem valde à natura ejus, quod periit, ut patet in eo, quod loco deperditi nervi, vel ligamenti, vel cartilaginis, vel oſſis regeneratur. Sed tamen, & in accidentibus eidem non parum ſimile exiſtit: callus enim, qui pro oſſe generatur, oſſi in calore, ſiccitate, & duritie aſſimilatur. Præterea in aliquibus eundem uſum præſtat, ut cicatrix, quæ cutis loco genita eſt; ſi enim, quod ad decorem attinet excipias, eundem habet uſum, quem vera cutis, & propterea dicebat Gal. 3. Meth. 5. Cutis talis omninò, qualis erat, quæ periit, prorſùs reſtitui non poteſt, ſed ſimile quiddam cuti, & quod ejus officium ſuppleat, poteſt, & lib. Art. Med. c. 87. Licet tamen aliquando loco eorum alia facere, quæ uſum haud diſſimilem præſtent, quandoque etiam loco deperditæ venæ, ſi parva tamen fuerit, regeneratur corpus, non ſolùm valdè ſimilè, ſed quod & ejus vicem, & officium ſuppleat, cujus ſimilitudinem reſpiciens Gal. 14. Meth. dum loqueretur de iis, quæ loco eorum, quæ perierunt, generantur, ac de ſimilitudine, quam habet cum iis, dicebat: Quòd autem venas quoque ſenſibiles regeneratas aliquando vidimus, priùs dictum eſt, verùm has non tam ſimiles iis, quæ perierunt, quàm eaſdem renaſci dixeris, veluti in cavis ulceribus carnem. Quamvis & de vera regeneratione venæ intellexiſſe Galenum nonnulli contendant, id inſuper ex eo elicientes primo de

ſem.

ſem. 13. ubi hæc habet: Fortaſſis igitur dixerit quiſpiam magis durum, & obſcurum nobis factum eſſe ſermonem; ſi enim arteriæ, & venæ ſemen generare poſſunt, cur amputatis partibus ipſorum non aliàs pro ipſis producunt? Duplex autem fuerit, & ad hoc reſponſio, altera quidem, quòd jam aliqui viderint venas in magnis ulceribus natas, quemadmodum & nos ipſi, tum juxtà alias quaſdam partes, tùm juxta caput ſatis memorabiles, & multas, &c. voluntque Galen. quando 3. Meth. 7. dicebat, ſe vidiſſe in mulieribus, & pueris conglutinatas arterias, & in juvene etiam agreſti, de verò coalitu intellexiſſe, qua de cauſa ſubjungebat: Arteriæ natura difficultatem quidem durioris tunicæ ſuæ conglutinandæ prorſus indicat, non tamen ejuſmodi, quæ vinci omninò nequeat: neque enim ita ſicca eſt, & dura, ut os, vel cartilago, immò longè his mollior, ac magis carnoſa, quo utique minùs de unienda ſectione ejus eſt deſperandum, ubi tum ipſa ſit parva, tum hominis corpus natura molle, quòd ſi agglutinari poteſt arteria, tanto magis coaleſcent partes, quæ arteria molliores ſunt, & magis carnoſæ. Idem confirmant ex Avicenna 4, quarti tractat. primo, capitulo primo, qui à Galeno deſumens, concludit partes medias inter carnem, & cartilagines, ac oſſa, veluti ſunt venæ, arteriæ, & nervi, mediam quoque habere diſpoſitionem, & ideo minùs quidem agglutinari, quàm carnem, magis vero, quam cartilagines, & oſſa; ut ſi ſectio ſit minima, & parva, & corpus humidum, ac leve, agglutinari poſſint, nequaquam autem, ſi magna ſit diviſio, & corpus ſiccum, ac durum; quarè & prima primi, doct. quinta, capitulo primo, dicebat. Membra autem, quæ ex ſpermate ſunt creata, cum ſolutionem continuitatis patiuntur, certa continuitate non reſtaurantur, niſi pauca ex eis, & in paucis habitudinibus, & in ætate pueritiæ videlicet. Idque iſti non eſſe præter rationem volunt, poſteaquam neque rationi repugnat, reperiri talem corporis habitum, in quo ſaltem quorumdam partium reſpectu, nec ſiccitas obſtet, nec materia deſit, nec opifex, eo quod efficaci adeo calore ſit præditus, ut priusquam agglutinandis partibus aliquid extranei interponatur, vel deperditi loco quid aliud exoriatur, tam largam materiam præparare, ac efformare poſſit, quantam exigit agglutinatio, vel deperditi reparatio. Sic

igitur robustissima facultas, antequam caro in locum deficientis venæ subeat, copiosam materiam præparat, & ex ea substantiam venæ generat: hinc Gal. primo de sem. 13. Si itaque neque caro præoccupaverit, in osculo præcisæ venæ orbiculatim enascens, neque larga materia humoris destituetur, poterit utique regenerari. Oportet igitur simul robustissimam reperiri in præcisis venis facultatem; hæc enim est opifex ejus, quæ innascitur: simul autem, & materiam seminariam tantam ut ne à præoccupante carne, quæ excrescere solet, osculum claudatur. Sed quoniam huic determinationi obstare videbatur, quod rarissimè ab iis, qui viderunt renatas venas, hoc observatum est, nunquam alias seminales partes ipsa vena sicciores, subjungunt hujusmodi causam esse, quòd corpora eo habitu prædita rarissima sunt, & idcircò rarissimè parvi venarum rami regenerantur, reliquæ verò partes vena sicciores numquam. Si enim in venis hoc ita raró contingit, in reliquis subinde partibus, quæ minus ab ossis natura distant, quàm venæ ipsæ, regenerationem omninò fieri non posse asserendum est. Quod & Gal. voluit loco citato; reddens enim rationem, cur vena ràrò visa sit regenerata, & reliquorum nullum, dicebat: Vas namque quod præexistenti venæ innutritur, non in omni corporis natura largam, & copiosam materiam ad generationem habet: & inferius. Rarissimè autem contingit ambo hæc simul in unum concurrere (robustissimam videlicet facultatem, & copiosam materiam) si igitur in vena, quæ simplicem, & tenuem habet tunicam rara est generatio, nihil utique mirum est in arteria, quæ sextuplam respectu venæ crassitiem habet, non rarum, sed impossibile esse generari; propterea quod & tantæ materiæ præparatio impossibilis extet. Hic autem, & singula alia, quæ ex semine generationem habent ob largæ materiæ penuriam rursus non nascuntur. Hæc èst causa, dicunt cur Gal. loquens de agglutinatione, & regeneratione spermaticarum partium, absolutè impossibilem haud pronunciaverit, sed difficillimam solùm, & ferè impossibilem; dicebat enim primo de sem. 11. Quæ verò ex semine generata sunt, aut nec prorsus, aut valde raró generantur. & libro Art. Med. capit. 87. Deficientes partes, quæ ex semine ortum habuerunt corrigi propemodum impossibile existit.

Hæc

Hæc etsi spernenda minimè videantur, nihilominus adversæ rationes adeò urgent, ut in adultis neque veram agglutinationem, neque veram seminalium partium regenerationem sperandam esse prorsus existimem; & si cutis neque verè agglutinari potest, neque si deperdita sit reparari, veluti sensu ipso deprehendimus, sed cicatrice coit, & cicatrix cutis vice generatur cum tamen non ex solo semine, sed magna ex parte ex sanguine quoque sit constituta, quid sentiendum de reliquis seminalibus partibus, quæ aut ex solo semine, aut ex minori seminis portione fuerunt, conflatæ? Equidem quamcunque agglutinationem à Galeno relatam non veram agglutinationem fuisse existimo, sed per medium heterogeneum. Et quod ad venas, quas renatas tradit satis memorabiles, & multas, non veras venas fuisse conjicio, sed quid venis simile. Sicuti enim censeo in adultis non regenerari deperditam venæ portionem, ita persuasum habeo, aliquid interdum fieri, quod simile sit venæ, atque officium ejus suppleat, Sanguis enim impetu quodam latus per venam, cujus portio deperdita est, progressu saltem temporis parat sibi viam per novam carnem, & fit veluti canalis quidam, qui interdum etiam cum altera venæ portione conjungitur, & si fiat in superficie, videtur regenerari vena. Quod vero tale quidpiam generetur, ab ulceribus evidens argumentum deduci potest: quandoque enim ingens carnis moles deficit & usque ad subjecta ossa, & regeneratur caro, impleturque cavitas; non apparet autem quomodo nutriri possit tanta novellæ carnis quantitas, nisi per canales quosdam in penitiores ejus partes flueret sanguis. Sed & si vulneretur caro illa, id erit conspicuum; copiosa siquidem profusio sanguinis à vulneratione sequitur, quæ nisi vas quodpiam sauciatum esset, procul dubio non eveniret.

Seminales partes neque verè regenerantur, neque verè coeunt.

Objicient nihil esse argumentum à cute desumptum propterea quod substantia cutis est crassa valdè, & idcirco materia copiosa opus est, ut regeneretur, aut verè agglutinetur, quæ tamen præparari nequit, cum priùs generetur caro, cujus prompta est ex sanguine generatio; at venæ tunica tenuis est, & propterea etiam pauca materia satis est ad ejus reparationem. Sed objectio nulla est, quamvis enim pauca materia requiratur pro venæ generatione, non leviores tamen difficultates habet hujus paucæ materiæ præparatio, quam

Objectio.

Solutio.

quam habeat præparatio copiosæ pro cute: pauca enim illa materia præparanda est etiam à tenui vi formatrice, à formatrice videlicet in tunica venæ existente: quæ vis autem formatrix in tenui adeò parte reperiri potest? at uberior materia pro cutis restauratione à facultate quoque robustiori præparatur. Præterea tota materia, ex qua regeneranda est vena, seminalis esse debet, at ea, ex qua regeneranda esset cutis, etiam sanguinea existit. Sed concedamus portionem venæ regenerari a formatrice in vena existente, ex Galeni sententia prima Aph. decimo quinto, calor, qui à principio partes efformavit, eas non deserit, sed usque ad mortem easdem nutrit, & conservat; necessarium igitur erit, ut calor, qui novellam venam formavit, in eadem permaneat, & ita priorem deserat, quòd ne excogitari quidem potest. Quod vis formatrix totam materiam non perambulet, sed extrinsecus posita sit, probè novimus. Præterea generet vis formativa aliquid venæ, puta quanta est digiti latitudo, quidnam quod deinceps est generabit? non enim dici potest ejusdem formatricis esse munus, cum non è operveniat, aut pertingat, mediat siquidem regenerata venæ portio. Neque ergo materiam præparare, neque ex genita materia partem fingere poterit, cum eam nec tangat. Quod vero dicitur reperiri posse talem corporis habitum, in quo nec siccitas obsir, nec materia desit, nec opifex, saltem quarumdam partium respectu, ad placitum est. Si daretur tale corpus, neque negarem ego prorsùs veram agglutinationem, & regenerationem seminalium partium. Sed figmentum esse non dubito. Depictus est profectò hic corporis habitus. Galenus ipse corpora hujusmodi habitu prædita rarissima esse confitetur, neque hoc ipsi negant; At de raró contingentibus non sunt artes, ut prorsus statuendum sit in adultis neque regenerari, neque verè coalescere seminales partes. Hæc respiciens Hipp. lib. de mor. tex. 7. & lib. de Coacis Prænot. dicebat: Si quod præcisum fuerit tenuium intestinorum, non coalescit. Nervus dissectus, aut quod in gena est tenue, aut præputium, non coalescit. Si quando in corpore, vel os exectum fuerit, vel cartilsgo, nunquam augetur, & 6. Aph. 19. Cum discissum fuerit os, aut cartilago, vel nervus, aut genæ particula tenuis, vel præputium, neque augetur, neque coalescit.

Per

Per augeri enim, ut animadvertit Gal. in com. illius Aph. intelligit talem aliquam substantiam generari, qualis est abscissa; per coalescere autem verum coalitum significavit, quorum neutrum admittunt seminales partes, ut jam ostensum est.

Rationes verò, quibus probare conati sunt, posse ex sui natura spermaticas partes, & regenerari, & coalescere, patet nullius esse momenti. Quod enim ad primam attinet, desumptam à materia, & opifice, jam demonstratum est, & largam requiri materiam, & robustissimam facultatem, quæ rarissimè, vel nunquam simul reperiuntur in adultis, cum sola illa materia præparetur, quæ ad nutritionem partium, earumque augmentum, si adhuc augeantur, necessariò requiritur, efficiens verò calor nutriendis, augendisque partibus vix sufficiat: Immò substantiæ, quam deperditæ loco reponit, non est omninò illi similis. Quoad ad alteram, quæ à carne in magnis ulceribus genita desumebatur, posteaquam talis caro non minùs vivit, sentit, & nutritur, ac reliqua, ut necessariò videatur asserendum, unà cum carne regenerari venas, quæ alimentum deferant, & arterias, per quas vitalis calor à corde influat, & nervi, per quos animalis qualitas à cerebro ad novam carnem ducatur, cum ei vis sentiendi sit deferenda, dicendum est, non in quacunque vivente particula necessariam esse venam pro nutritione, & arteriam pro vitæ conservatione, nec in quacunque sentiente nervum; oporteret enim totum corpus esse venosum, & arteriosum, & quamcunque sentientem particulam esse nerveam, sed pars, in qua vena non reperitur attrahit alimentum à vena proxime partis: Similiter arteria proximis partibus vitalem calorem impertit, & irradiatio nervi ad proximas se diffundit. Ad Galenum, qui parvarum venarum regenerationem admittit, ex supradictis patet responsio. Neque par ratio est de dentibus, & aliis seminalibus partibus plurima enim materia seminalis à generationis principio in cavitatibus utriusque mandibulæ asservatur, & ideò, si deficiant, semel regenerantur, & pluries etiam; quoniam adest locus, in quo asservari diutiùs potest alimentalis materia, cavitas videlicet mandibulæ. Non sic est de reliquis seminalibus partibus, & propterea non est mirum, si reliquæ non regenerentur. Quod ad reliqua, patet ex enarratis, quid dicendum.

Solvuntur contrariæ rationes.

Quis

Quis igitur coalitus, quæve reparatio in divisione, atque defectu partium omnium in adultis sit speranda, manifestum est. In pueris verò secus res se habet, eorum enim innatus calor, quia generationis principio sunt proximi, est plurimus, ac robustissimus, & seminales partes adhuc materiam seminalem in seipsis continent ab utero acceptam, ut faciliùs augeri possint, & partes omnes sunt mollissimæ, ut ossa ipsa caseo nuper coagulato sint similia, & propterea coalescere possunt omnes medio homogeneo, & juxta primum scopum, unde Gal. lib. Art. Med. c. 91. Molle vero, & puerile os coalescere potest, & 6. Met. 5. Potest certè illud tantum unitionem recipere, quod abundè molle est, cujusmodi conspicitur in puerulis. At si os in pueris coalescit, tanto magis coalescent reliquæ seminales partes. Avic. quoque prima 1. Doct. 5. c. 1. & quarta 4. Tract. 1. c. 1. spermaticas partes, tradens, vera unione non coalescere, excipit infantes, & pueros. Hoc tamen intelligendum est, nisi quid aliud obstet, ut labiorum distantia, superveniens pravus affectus, & hujusmodi. Pari ratione si deficiat portio alicujus seminalis partis, præsertim quando defectus non est multus, & pars non est ex durioribus, regenerari potest, si enim insignis portio earum, quæ duriores sunt, defecerit, & secundum totam partis substantiam, non est expectanda reparatio. Sæpiùs observavi in valdè pueris, immo in lactentibus ob ulcus gangrænosum gingivarum os mandibulæ corruptum discessisse, dentem vero ex ea parte nunquam erupisse.

In pueris seminales partes verè coalescunt.

CAPUT XVI.

Unde elicienda sint præsagia in vulneribus, & num ex parvo vulnere mors possit subsequi.

QUid autem de vulnerato sperandum, magnitudo vulneris indicabit; propter magnitudinem enim periculosum est vulnus, & lethale, & quo majus est, eo magis augetur periculum, eo quod natura majores defectus cum difficultate corrigat, & non raro etiam corrigere nequeat; sicuti quod parvum est periculo vacat, & quo levius est, eo facilius sanatur, quia natura exiguos lapsus

lapſus non ægrè corrigit. Quod in morbis omnibus apertè conſpicitur, nullus enim inferre mortem poteſt, niſi corporis vires exceſſerit, & eas, niſi fuerit magnus, dubio procul nunquam exuperabit.

Hæc tamen veritas à nonnullis fuit in dubium revocata, qui & propria, & aliorum obſervatione ducti, poſſe ex parvo vulnere mortem evenire profitentur: Nemo eſt, dicunt, qui diu curandis vulneribus operam dederit, à quo id non fuerit aliquando obſervatum, unde Hip. 2. Proreth. Evenit autem non rarò vulnera quædam locis vilibus, & non malis eſſe, ac nulla in re gravia videri, ſic tamen dolorem affligere plagam, ut reſpirare ægri nequeant. Quidam in vulnere, quod grave nulla in re erat, dolore, & febre affecti, mortui ſunt. Hinc 7. Epid. nonnullos recenſet, qui ex parvis vulneribus mortui ſunt. Namque Theodori filius ex denudatione juxtà os nullius momenti 23. obiit. & Philes filio ex denudatione in fronte facta contingit nona die febris, deindè livefactum eſt os, & mortuus eſt; Atque ut aſſerit quoque Hip. l. de Vul. c. Sæpè cutis capitis ſola contuſa ferro, aut aliqua alia re, ſi non diligenter, & cum quadam cautione curetur, ulcus incrudeſcens non parum moleſtiæ exhibet, & aliquando etiam febrem inducit, & Medico quidem negotia, ægroto verò non minùs periculum affert. Refert Augen. 1. tom. ſuar. Epiſt. l. 9. Ep. 2. plures hiſtorias eorum, qui ex parvo vulnere perierunt, inquit enim ſe audiſſe Ludov. Vivem ex vulnere exiguo, & planè deſpicabili accepto in vola ſiniſtræ manus, quod vix ſubditam cuti carnem contigerat, convulſione derepente oborta interiiſſe. Et Marc. Sobrirantium ex plaga in calcaneo admodum exigua inflicta præter omnium ſpem decima quarta mortuum. Et Marcum Anton. de Luna Bonon ex leviſſimo vulnere cubiti periiſſe. Inquit etiam ſe obſervaſſe ex vulnere minimi digiti Io. Baptiſt. Argentin. deceſſiſſe. Et Petrum quendam ſutorem ex acus punctura inter unguem, & carnem pollicis dextræ manus inflicta obiiſſe. Vidi, & ego Bononiæ Scholarem quemdam Brixienſ. ex levi inciſione in majori articulo minimi digiti dextræ manus ſeptima die convulſum periiſſe. Et Scandiani quemdam ex levi acus punctura in domeſtica parte indicis inter primum, & alterum articulum

Poſſe ex parvo vulnere mortem contingere probatur.

lum vix evasisse. Et Ferrariæ plures ex levi capitis vulnere in manibus primarii Urbis Chirurgi delirantes, & convulsos animam egisse. Petiit à me quidam Chirurgus Ferrariensis cum levissimè vulneratum in manus digito procurasset, qui delirans, atque convulsus circa undecimam obiit, num ex illo vulnere mortuus fuerit. Videtur itaque haud negandam esse casus veritatem.

Nonnulli igitur existimant re vera hujusmodi vulnera parva esse, sed nihilominus mortem contingere ob malam corporis dispositionem, malam videlicet temperaturam, vel totius, vel saltem partis, & vitiosorum succorum exuberantiam. Nec posse aliter statui Senis auctoritate confirmant, qui lib. de Coac. Prænot. vulnera, quæ carnem dumtaxat efficiunt, carere omni periculo affirmaverit: quarè si ad carnis vulnera mors sequatur, non ob id dicendum est vulnus magnum; siquidem non sequitur mors, quia natura vulneris sit talis sed ob solam corporis dispositionem. Hæc fuit sententia doctissimi Augen. 1. tom. suar. Ep. l. 9. Ep. 2. Idem sensit Manard. 6. lib. suar. Epist Ep. 1. Attamen distinguendum censeo de morte vulneribus iis, quæ parva judicantur, superveniente; namque aut occasione ipsius vulneris per se provenit, utputa, quando vulneri succedit putredo, seù corruptio, gangræna, inflammatio, convulsio, & hujusmodi, aut ex accidenti, ut si contingat vulneratum febre ardente, aut mali moris corripi, seu quia, etiam si non fuisset vulneratus, in ipsam tamen incidisset, aut quia morbificus apparatus ob causas vulneris, & vulnus ipsum tanquam quidpiam affectus etiam animi movens, & hac prætereà ratione succos exagitans, ac spiritus, putredinem malam concipit, ad quam erat proclivis. Si prima de causa mors accidat, vulnus illud parvum esse non potest, & quomodo parvum esse potest, si corporis naturam superat? apparet quidem parvum, sed re vera est magnum; sicuti enim cæterorum morborum non una est magnitudo, sed triplex, alia videlicet, quæ ex læsæ actionis præstantia, seu præstantia affectæ partis, alia quæ ex propria affectus essentia, & tertia quæ ex facultate, quæ læsum corpus gubernat, æstimatur, quemadmodum licet colligere ex Gal. 4. Meth. 6. 7. Meth. 12. & com. 1. in lib. de Hum. tex. 12. ita, & vulneris.

Duplex mors in vulneribus.

Vulnus parvum non potest ex se mortem inferre.

Triplex magnitudo vulneris.

Delitescit igitur quandoque magnitudo aliqua, & ita parvum judica-

judicatur. Cum cute quandoque punctus est nervus, & vulnus videtur parvum, quia re vera parvum est ratione propriæ essentiæ, patvum etiam à principio non rarò est ratione facultatis, sed ratione dignitatis magnum est, cum adsit nervi punctura, & facili negotio sibi insuper associat aliam magnitudinem majorem, dignitatis scilicet, cùm in consensum trahatur cerebrum, & tandem magnitudinem ratione facultatis, unde mirum non est, si mortem inferat. Quandoque non adest magnitudo ratione propriæ essentiæ, parvum est etiam vulnus ratione dignitatis, quia nulla præcipua pars afficitur, sed ratione facultatis magnum est, quamvis id lateat, & hujus ratione mortis est causa, non enim existimandum est vulnus parvum ratione propriæ essentiæ, & ratione etiam dignitatis non posse esse magnum ratione facultatis, cum id non rarò accidat, quod ostendo; Vulneratus quandoque est valdè cacochymus, & vitiosis succis, ac ferè malignis refertus, saltem putredini valde obnoxiis, puta quia in pravo aere diutiùs moram traxerit, & omninò pravæ victus rationi per longum tempus se dederit, quod solet belli tempore, & in maximis penuriis evenire; repletum igitur corpus tam pravis succis, & malo nutrimento alitur, quo fit, ut naturalis calor in omnibus partibus langueat, & quamvis vulnus sit parvum, si essentiam spectes vulneris, & partis præstantiam, nihilominus calor naturalis languidus regere ipsum nequit, hinc pravorum succorum affluxus, inflammatio, corruptio, & mors; quod suis temporibus evenisse tradit Paræus in Rothomagensi expeditione sub Carolo nono; licet enim vulnera non admodum magna viderentur, nihilque quod ex arte esset vocati Chirurgi omitterent, attamen plerique, vel interibant, vel vix, & multo labore ex vulneribus resurgebant. Quis negabit hæc vulnera, etsi ratione essentiæ, & dignitatis sint parva, facta tamen collatione ad virtutem esse dicenda magna, cum naturæ illius subjecti vires exuperent? pondus, quod alicui leve, alteri grave nimis ob virium imbecillitatem videbitur: febris, quam robustus vir sperneret, senem tollit: ob id ne ergo exigua, levique febre senem laborare dixerimus? à levi, & contemnendo morbo tolletur homo? Quando igitur Hip. 2. Proreth. dicebat, ab omnibus cujusvis generis vulneribus mortem homini contingere, quem locum

Vulnera quæ videntur parva, & interficiunt, sunt magna ratione facultatis.

locum adducit Augenius in propriæ ſententiæ confirmationem, non ſignificavit à parvis vulneribus poſſe mortem contingere, ſed admonere nos voluit, fieri poſſe, ut omnibus vulneribus inſit talis magnitudo, quamvis lateat, quæ mortem inferre poſſit: ut nunquam eo ſimus contenti, quod ſenſui apparet. Hinc ſubjungebat Hip. loc. cit. multæ enim venæ ſunt, & tenues, & craſſæ, quæ ſanguinem fundentes occidunt, ſi gliſcere, ac eò ferri ipſas contigerit, quas alia temporis occaſione ſi quis pertundet, corporibus prodeſſe ſentiat.

En detecta magnitudo ratione partis affectæ, cui tandem aſſociatur magnitudo ratione facultatis. Non eſt ergo dicendum, vulnus, quod videtur exiguum, & aliàs exiguum foret, parvum eſſe, & prava ſequi ſymptomata ob corporis diſpoſitionem; cum enim ſymptomata ex eis ſint, quæ vulneris naturam conſequuntur, cur in corporis diſpoſitionem ſunt referenda? niſi ea ratione referantur, quòd propter corporis diſpoſitionem vulnus illud, quod parvum foret in alio ſubjecto, in propoſito magnum eſt, ut non poſſint niſi magna ſymptomata ſubſequi. Quòd etiam ſubjungit Augenius, corpora malè diſpoſita, & quæ vires habent imbecillas, ex quavis leviſſima cauſa concidere, ac ob id ab exiguis vulneribus ob malam corporis diſpoſitionem, & vires imbecillas mori quotidiè quamplures, nihil aliud probat, niſi quod cauſa illa ſecundùm ſuam eſſentiam eſt leviſſima, ſed facta ad illud ſubjectum collatione, evadit maxima, & ita vulnus illud ſaltem eam habebit magnitudinem, quæ ratione facultatis æſtimatur. Namque, ut dictum eſt, magnitudo ratione affectæ partis, non rarò deliteſcit ſicuti rariſſimè, quæ penes eſſentiam ſpectatur, occulta manet. Filii ergo Theodori, & Philes ab Hippocrate enarrata vulnera magna erant ratione facultatis, & fortaſſis etiam ratione dignitatis, ideòque mors ſequuta eſt, quibus convulſio ſupervenit, eorum vulnera magna erant ratione dignitatis partis affectæ nervus enim, aut nervoſa pars erat affecta; ſæpè etiam ratione facultatis, cum naturæ vires dejicerent. quæ etiam recenſet Manardus 6. Epiſt. Epiſt. prima, nequaquam parva extitiſſe perſpicuum eſt, ſed magna fuere ſi non propriæ eſſentiæ ratione, aut dignitatis, ſaltem ratione facultatis, qua de cauſa mortem ſubſequutam eſſe dicendum

dum eſt: quamvis mortis cauſam referat non in magnitudinem vulneris, ſed in malitiam humorum, & capitis imbecillitatem.

Sed & magnitudinem, quæ ex præſtantia, partis affectæ judicatur, illis vulneribus arbitror fuiſſe adnexam, delituiſſeque; accidentia enim, quæ ſupervenerunt, videlicet eryſipelas in facie, febris, paralyſis dextræ manus, & linguæ, id evidenter demonſtrant. Nec obſtat, quòd ab ictu non ſupervenere prava illa ſymptomata, quæ læſionem membranarum, & cerebri ſequi conſuevere, videlicet caſus, obcæcatio, vomitus, delirium, & hujuſmodi, quòd enim ſemper non ſuperveniant, experientia me docuit, licet aliqui id fieri non poſſe exiſtiment. ſed de hoc aliàs.

Valdè differt ictus ab ictu, & corporis natura una ab alia. Forſan aderat in oſſe contuſio abſque rima, aut aliqua cæca rimula in ipſa ſutura: nam duo erant vulnera duobus catenæ ferreæ annulis inflicta in caput, alterum ſupra ſupercilium ſiniſtrum, aliud in eodem latere parum infra angulum, ubi ſutura ſagittalis dicta coronali jungitur, quæ duo, vel oculatiſſimis medicis ſolent imponere. Forſan etiam diſrupta fuit, aut adaperta parva aliqua venula ſub oſſe, ex qua paulatim refudans ſanguis colligitur, & putrefactus febrem accendit, & alia demum ſymptomata inducit.

Poteſt ſanguis, & pus aliquo tempore ſub cranio contineri abſque pravis ſymptomatibus.

Quòd ſanguis, aut pus in modica quantitate poſſit ſub cranio contineri aliquo tempore, licet prava illa ſymptomata non concitet, eventus comprobavit: poſſemque in hujus rei confirmationem multas adducere hiſtorias, ſed hoc ſit ſatis, quòd quis capite vulneratus citra febrem omninò decumbens, uſque ad quartam, vel ſeptimam, vel undecimam repentè febre corripitur, eique ſi ſtatim terebratio adhibeatur, ſæpè ſub cranio pus graveolens reperitur; num ergo à febris principio collecta fuit materia illa, an potiùs dicendum, paulatim exudaſſe ab aliqua venula ſanguinem, qui ubi ad ſufficientem quantitatem collectus eſt, putrefactus prava illa ſymptomata intulit? At ſi loquamur de morte, quæ ex accidenti vulneratis ſupervenit, poteſt dubio procul, vel leviſſimè vulneratis accidere: ſicuti ſanus corripi poteſt febre, eaque mali moris, & lethali; ita & vulneratus, & ſic de aliis lethalibus morbis, & eò magis, quoniam ira, timor, & alii immodici

animi affectus vulneratos torquent, spiritusque ac humores exagitant, & maximè in imbecillibus, & quibus debilis suaptè natura animula est; undè si succi fuerint pravi, & putredini obnoxii, putredinem contrahunt, ex qua febris mala, & mors, vel ex diuturniore, & perseverante affectu pravi fiunt, aut etiam dejiciuntur adeò vires, ut neque probos succos possint regere, hinc putredines, quia humor, quem proprius calor non obtinet, nihil habet reliquum, dicebat Gal. 2. de dif. feb. capitulo ultimo, nisi ut ad putredinem convertatur.

Sed & ipsi animi affectus per se inducere mortem possunt, quibus enim vitale robur infirmum est, ut dicebat Gal. primo loco af. capitulo primo: Animi vero affectiones ob imperitiam fortes, his animæ essentia facilè dissolvi potest, & in dies observamus, aliquos proprii, vel etiam alterius sanguinis guttam conspicientes, statim in animi deliquium, & syncopem incidere. Hisce de caussis Hippoc. secundo Proreth. dicebat: Sed neque mirari oportet (loquebatur de vulneribus ad sensum parvis, à quibus mors sequitur) neque formidare, illud expendendo, quod & animæ, & corpora hominum plurimum differunt, & vim maximam habent.

Tota ars præsagiendi in vulneribus consistit in cognitione magnitudinis eorum.

Concludamus igitur, ex solo vulnere magno mortem contingere, & proinde totam artem præsagiendi futurum eventum in vulneribus, in cognitione eorum magnitudinis consistere.

CAPUT XVII.

In quibus consistat Vulneris magnitudo, & quotuplex ea sit.

Triplex magnitudo vulnerum.

CUm igitur ex magnitudine vulneris futurum eventum conjectari oporteat, videndum est, quotuplex sit hæc magnitudo, & penes quæ sit attendenda. Ut autem superiùs dictum est, sicuti in reliquis morbis, ita quoque in vulneribus triplex est, una quæ ex præstantia læsæ actionis, seu partis dignitate spectatur, alia quæ ex propria vulneris essentia, tertia quæ ex facultate, quæ læsum corpus gubernat, æstimatur. Liceat enim nobis facilioris doctrinæ gratia triplici hac magnitudine uti, quod etiam facit Gal.

Unica est magnitudo

Gal. locis supra citatis, & alibi pluries, quamvis unica sit magnitudo affectuum omnium, quæ attenditur penes quantitatem declinationis à statu naturali, cum tantus sit affectus, quantus est recessus à naturali statu, qua ratione Gal. septima Aph. 63. dicebat: Unumquodque eorum, quod est præter naturam, quantum recessit ab eo, quod est secundùm naturam, tantum habent pravitatis. Et Hip. lib. Prænot. in principio: Itaque nosse oportet talium affectionum naturas, quantum corporis vires excedunt, quantitas enim hujusmodi recessus aliquando magis innotescit, si consideretur propria affectus essentia, aliquando verò magis, si dignitas partis perpendatur, nonnunquam etiam magis considerando ipsius facultatis robur, aut imbecillitatem.

omnium affectuum, sed facilioris doctrinæ gratia triplicem excogitarunt medici.

Ut autem notum fiat, penes quid attendenda sit vulneris magnitudo, animadvertere oportet, vulnera non inferre mortem, veluti solent plerique morborum, per se videlicet corporis vires demoliendo; sed quia ad ipsa alius affectus sequatur, qui vel mediatè, vel immediatè facultatem prosternit; alia enim mortem inferunt, quia partem ad vitam necessariam tollunt, vel actionem ejus, aut usum, sive mediatè, sive immediatè; alia propter sanguinis effusionem, & spirituum evacuationem, alia propter supervenientem inflammationem, quod plerumque contingit, modò vulnus statim non interimat; alia quoniam occasio sit intemperantiæ præcipuarum partium; alia propter supervenientem convulsionem: alia propter supervenientem febrem, vel putridam, vel hecticam, vel aliquem alium immedicabilem affectum, qui ad rem vulneris non pertinet, sicuti ureterum vulnus: si enim dissecentur, aut lacerentur ureteres, hydrops insanabilis succedit: alia denique propter putredinem, & corruptionem, quamvis neque sine febre hæc interimant, aliqua enim pluribus rationibus interficiunt. Et propterea vulneris magnitudo, quæ ratione facultatis æstimatur, penes ea, quæ superveniunt, attendi debet, ut vulnus magnum ratione facultatis dicatur, quando adjunctum est aliquid ex eis, quæ facultatem prosternunt, sive mediatè, sive immediatè, ut capitis vulnus, cui supervenit inflammatio, & convulsio, capitis vulnus cum ossis introcessione membranas, & cerebrum comprimentis, vel impediri non potest, quin aliquid superveniat

Ut inferant mortem vulnera.

Magnitudo vulneris ratione facultatis penes quæ attendatur.

perveniat ex eis, quæ facultatem dejiciunt, ut vulnus in ſubſtantia cordis, quod ab inflammatione funeſta, & ſpirituum diſſipatione præſervari non poteſt, aut ſaltem cum difficultate, & labore, ne ſuperveniat malum, obtineri poteſt, ut vulnus etiam leve in parte carnoſa, ſed in corpore valde cacochymo à facultate regi nequit, & propterea nec præſervari facilè poteſt à lethifera calamitate.

Plures ſunt gradus magnitudinis vulneris ratione facultatis.

Et quoniam ex eis, quæ vulneri accidunt, alia auferri nullo modo poſſunt, ut quando cordi ſupervenit inflammatio; alia verò aliquando auferuntur, raro tamen, & ſumma cum difficultate, ut quando capitis vulneri ſupervenit membranarum, & cerebri inflammatio; alia verò, licet multo adhibito ſtudio, non raro tolluntur, patet non unicum eſſe gradum magnitudinis vulneris, quæ ratione facultatis dijudicatur, ſed plures, deſumptos à vario exceſſu eorum, quæ ſunt præter naturam ſupra naturæ vires; in omnibus enim minatur vulnus vires demoliri, illas tamen non deſtruit, niſi ad ſupremum magnitudinis gradum perveniat, quem ubi acquiſierit, artem, & naturam deludit. Nil mirum igitur ſi ex vulneribus, quæ facultatis ratione magna exiſtunt, alia penitus ſint lethalia, alia verò plerumque, alia verò ad utrumlibet ſe habeant: unde & vulnus, cui magis imminet ultimus ille magnitudinis gradus, eo periculoſius judicari debet: & ad hunc gradum perveniunt vulnera, aut quia ſunt magna ratione propriæ eſſentiæ, aut ratione partis affectæ, aut quia facultas ſit imbecilla, vel propter horum plura.

Magnitudo propriæ eſſentiæ penes quid attendatur.

Magnitudo ratione propriæ eſſentiæ penes profunditatem potiſſimum attenditur; vulnus enim ſuperficiale, ſive longum ſit, ſive latum, non meretur dici magnum vulnus ratione propriæ eſſentiæ, at ſi profunditati addatur longitudo, & latitudo, eò majus extiterit.

Profunditas autem judicari debet habito reſpectu ad vulneratam partem; quod enim in carne ſuperficiale foret, in hepate, aut cerebro profundum erit: idem de longitudine, & latitudine dicendum eſt, non adnectitur huic vulneri, vel raro magnitudo ratione facultatis, niſi propter facultatis imbecillitatem, aut dignitatem affectæ partis; quamvis ſi vulnus magnum ratione dignita-

tis,

tis, aut facultatis fuerit etiam magnum ratione propriæ essentiæ, longè majoris momenti sit æstimandum.

Dignitas partis, quæ constituit magnitudinem vulneris ratione partis affectæ, judicanda est, aut penes principalitatem membrorum, & nobilitatem, vel penes eorum ad vitam necessitatem, vel penes actionem eorum, aut usum, aut situm, aut substantiæ modum, qui sanationi repugnat, ut ob id necessarium sit tandem adnecti magnitudinem ratione facultatis, vel penes comitantia symptomata, vel propinquitatem, aut consensum alicujus partis præcipuæ: atque hisce de causis facilè adnectitur vulneri magnitudo ratione facultatis. Propter principalitatem membrorum vulnera cordis, cerebri, & hepatis sunt magna, quamvis in essentia sint parva: propter necessitatem partis ad vitam, vulnera etiam cordis sunt maxima, quia maximè omnium ad vitam est necessarium. Propter tertium propositorum vulnera pulmonis sunt magna, continuus enim ipsius motus sanationi repugnat, & promptè sequuntur putredines, ac tabes. Ob irrequietum etiam cordis motum, & si nihil aliud obstaret, ejusdem vulnera sanari non possunt. Ratione comitantium symptomatum vulnera cum læsione venarum jugalium sunt magna valdè, supervenit enim incompescibilis sanguinis fluxus: pariter & nervorum, ac nervosarum partium, quia supervenire solet convulsio, & articulorum, quia facilè admodum recipiunt superfluitates omnes, ac fluxiones, ob quas pravi affectus subsequuntur, magna sunt judicanda. Sæpiùs autem plura ex his conjuncta vulnus reddunt magnum ratione dignitatis. Videns igitur Hip. non satis esse ad futurum eventum prænoscendum, si quantitas ratione propriæ essentiæ vulnerum consideretur, verùm, & maximè necessarium esse perspectam habere etiam magnitudinem, quæ dignitatis ratione spectatur, nec non etiam, quæ penes facultatem æstimatur, secundò Præd. num. 17. hæc protulit: Qui porrò de ulceribus cognoscere volet, quomodo singula finient, eum primùm hominum species, id est, diversas hominum naturas, perscrutari oportet, tùm eas quæ meliores sunt ad ulcera, tùm quæ deteriores: deindè ætates nosse, in quibus singula ulcera curatu difficilia existunt, (quæ omnia qualis sit facultas docent) locos item in corporibus perspectos habere,

Dignitas partis in quo consistat.

 quan-

quantùm alii ab aliis differant (quibus magnitudo ratione digni-tatis partis tangitur) ſed & alia, qualia in ſingulis accidunt tum bona, tum mala noſſe oporteat (hæc peculiarem cujuſque naturam oſtendunt, quæ à Gal. 3. Meth. ſeptimo, cujuſque naturæ proprietas ineffabilis appellatur, & propterea etiam ſignificant quantùm ſit vulnus ratione facultatis) ſi quis enim, ſubjungit, omnia hæc noverit, is ſanè ſciet etiam, quomodo ſingulorum eventus contingent.

CAPUT XVIII.

Ex varia magnitudine vulneris eliciuntur varii eventus.

QUàm neceſſaria ſit ad præſagiendum cognitio magnitudinis vulneris, manifeſtum eſt; reliquum eſt, ut videamus, quomodo uti oporteat hac magnitudine ad ferenda prognoſtica, & quomodo ea, ut decet, intellecta, faciles ſint captu omnes antiquorum ſententiæ de futuro vulnerum eventu prolatæ. Ad magnitudinem enim ratione affectæ partis reſpiciens Hip. 6. Aph. 18. dicebat: Veſica diſciſſa, aut cerebro, aut corde, aut ſepto, aut aliquo ex tenuioribus inteſtinis, aut ventriculo, aut jecore, lethale eſt. Quamvis, & magnitudo hujuſmodi vulnerum ratione propriæ eſſentiæ faciat, ut aliqua, aut pleraque ſint lethalia; ſolum enim cor vulneratum, ut dicebat Gal. in com. ejus Aph. mortem affert neceſſariò, reliqua verò non item, ſed tunc ſolùm, quando etiam ratione propriæ eſſentiæ ſunt magna, quam quidem magnitudinem ſignificavit Hip. verbo illo, diſciſſa, ut enim Gal. notat, conſuevit Hippoc. magna vulnera diſciſſiones, διακόπτας Græcè nominare, unde, & in com. Aph. 19. ſextæ ſectionis, diſciſſa, dicebat, habere diviſionem uſque ad finem penetrantem, immò, & propter facultatis robur aliqui ex magnis vulneribus iſtarum partium evadunt, præſertim cerebri, & hepatis etiam; unde & Gal. 6. Aph. 19. Cerebrum autem vulneratum ſæpiùs ſanatum vidimus, & ſemel in Smyrne Ioniæ, vivente adhuc præceptore Pelope, & erat vulnus ſatis effatu dignum, & 8. de Uſu partium, Nam admirabile illud ſpectaculum, atque incredibile, quod

Vulnera lethalia ratione dignitatis partis.

quod Smyrne in Ionia accidit, aliquando ſumus conſpicati, adoleſcentem, vulnere in alterum anteriorum Ventriculorum accepto, ſuperſtitem fuiſſe, Dei, ut pleriſque videbatur, voluntate: ſed ne temporis quidem momento vivere potuiſſet, ſi utrumque ſimul vulnus violaſſet. Avic. & ipſe leviora vulnera harum partium ſanari poſſe profitetur, ideoque quarta quarti tract. 1. cap. 2. Membra, in quibus, cum cadit vulnus, magnificatur ejus nocumentum, & interficit ſecundùm plurimum, & non interficit raro, ſunt ſicut veſica, renes, cerebrum, inteſtina minuta, & hepar, quamvis ſit poſſibile, ut ſalvetur ſuper ea, quando eſt leve, in corde autem non ſuperatur ſalus. Hinc clariùs rem proponens Hipp. lib. de Coac. Prænot. tex.3. Moriuntur maximè ex vulneribus, dicebat, ſi quis in cerebrum ſauciatus fuerit, aut ſpinalem medullam, aut hepar, aut ſeptum tranſverſum, aut cor, aut veſicam, aut venam craſſam. Moriuntur autem etiam, ſi in arteriam, & pulmonem valdè magnæ plagæ fiant, ita ut pulmone percuſſo paucior ſpiritus per os procedat, quàm is eſt qui ex vulnere illabitur. Moriuntur autem qui in inteſtina vulnerati ſunt, ſive ex tenuibus aliquod, ſivè ex craſſis fuerit vulneratum, ſi per tranſverſum fiat plaga, & magna, ſi verò parva, & recta quidam evadunt. Minimè verò moriuntur, ſubjungebat, vulnerati in partibus corporis, ubi hæc non ſunt, aut ab his quàm longiſſimè abſunt. Idem propoſuit 2. Proreth. 19. dicens: Vulnera magis lethalia ſunt, quæ in venas craſſas in collo, ac inguinibus infliguntur, deinde quæ in cerebrum, & hepar, poſteà quæ in inteſtinum & veſicam. Sunt autem hæc omnia pernicioſa valdè, non tamen ita, ut nemo ex his evadat, velut putatur, nam & loci, qui hæc nomina habent, multum inter ſe differunt, & itidem modi. Multùm etiam differt corporis ipſius hominis ſtructura; aliquando enim neque febricitat, neque inflammatur ſauciatus, aliquando etiam citra cauſam febricitat, & aliqua corporis pars omninò inflammatur.

Dignitatis quoque magnitudo, quæ ſibi facilè magnitudinem ratione facultatis aſſociat, facit, ut periculoſa ſint vulnera nervorum & nervoſarũ partium, quando non ſunt penitus præciſi nervi, promptè ſiquidem ſuperveniunt prava ſymptomata vires proſternentia, do- *Vulnera nervoſarum partium cur periculoſa.*

 lores

lores videlicet, vigiliæ, convulsiones, neque vulneratæ partis tantùm, sed & totius unà cum delirio, eò quòd affecto cerebro, cui continuatur, tandem communicetur. Unde Gal. 4. Meth. 6. Ubi tendines, nervi, carne vacua, & ossea loca sunt, hic doloris, vigiliarum, convulsionis, & delirii periculum instat. Idem est de articulorum vulneribus, qua ratione ibidem dicebat, Cacoethe statim fiunt vulnera in articulis accepta.

Vulnera penetrantia cavitatem thoracis, & abdominis cur periculosa.

Periculosa etiam sunt vulnera cavitatem abdominis, aut thoracis penetrantia, quia habent dignitatis magnitudinem, non quidem quòd aliqua pars præstans sit vulnerata, sed quoniam contentæ partes, & malè affici ambientis ingressu, & in consensum trahi possunt; ideò Gal. 4. Meth. 6. Vulnus, quod intra thoracem, aut peritonæum penetravit, non parvum periculum affert, quamvis magis si quid interiorum unà sit vulneratum. Celsus l. 5. suæ Medic. c. 26. magnitudinem hanc ad gradus quosdam redegit, ideòque dicebat, servari non potest, cui basis cerebri, cui cor, cui stomachus, cui jecinoris portæ, cui spinalis medulla percussa est, cuique aut pulmo medius, aut jejunum, aut tenuius intestinum, aut ventriculus, aut renes vulnerati sunt, cuive circa fauces grandes venæ, vel arteriæ præcisæ sunt. Vix autem ad sanitatem perveniunt, quibus ulla parte pulmo, aut jecinoris crassum, aut membrana, quæ continet cerebrum aut lien, aut vulva, aut vesica, aut ullum intestinum, aut septum transversum vulneratum est. Hi quoque in præcipiti sunt, in quibus usque ad grandes, intusque conditas venas in alis, vel poplitibus mucro descendit. Periculosa etiam vulnera sunt, ubicunque venæ majores sunt, quoniam exhaurire hominem profusione sanguinis possunt, idque evenit non in alis tantùm, atque poplitibus, sed etiam in his venis, quæ ad anum, testiculosque perveniunt. Præter hæc malum vulnus est, quodcunque in alis, vel femoribus, vel inanibus locis, vel in articulis, vel inter digitos est. Item quodcumque musculum, aut nervum, aut arteriam, aut membranam, aut os, aut cartilaginem læsit. Tutissimum verò omnium, quod in carne est, & hæc quidem loco vel pejora, vel meliora sunt, modo verò periculum facit, quodcumque magnum est.

Propter

Propter magnitudinem ratione facultatis, quæ novam magnitudinem ratione dignitatis inducit, a qua rursus, & ipsæ vires malè afficiuntur, Hippocrates quinta Aph. 66. & 2. Epid. sec. 3. Si in vulneribus fortibus, & pravis tumor non appareat, ingens malum, vulnera enim prava sunt, ut notat Gal. in com. ejus Aph. quæ sunt in capitibus, & finibus musculorum, præcipuè nervosorum, & in aliis etiam nervosis, & dolorosis partibus, & propter ipsum dolorem rationi consonum est, attrahi materiam ad locum vulneris, ex quo deberet pars elevari in tumorem, quòd si tumor non appareat, signum est naturam deficere, & ob defectum irregulariter operari, non enim ad extimam, partem eam expellit, quia tumor esset, apparens, sed vel ad penitiores, & nobiliores partes loci vulnerati, nervosas scilicet, unde convulsiones, tunc enim tumor non apparet, sed delitescit in intima parte, vel non ad vulneratam partem, sed ad aliam quampiam ex præcipuis, in qua inflammationem efficit, & ea symptomata excitat, quæ naturæ partis proportione respondent. Quam materiæ transmissionem notavit Gal. 5. Aph. 66. his verbis: Sicut igitur priùs damnabat omnes tumores de repentè evanescentes, ita nunc illos, qui neque omninò adveniunt vulneribus pravis; nam & in his suspicandum est, ne humores ad vulnera fluentes ad partes principaliores transmittantur, & ab eo desumens Avic. 4. quarti tract. 1. cap. 2. dicebat: Et quando vulnus est in loco, in quo oportet, ut vehemens fiat dolor, & apostema, sicut sunt capita lacertorum, & posteriora eorum, & propriè illorum, qui sunt nervosi, & non accidit apostema, significat illud nocumentum intrinsecum, ad quod convertuntur materiæ, & non perveniunt ad vulnus.

Vulnera magna ratione facultatis periculosa.

Explicatio Aph. 66. quintæ partis.

Retrocedit etiam materia, quæ ad vulneratam pàrtem potius, quàm ad aliam fluere deberet, quoniam extincta est facultas vulneratæ partis, quo fit, ut nec admittat alimentum, quod ad ipsam transmittitur. Præterea cum non amplius sit in potestate naturæ, sed ut destituta, nec ad ipsum subsidium quidpiam mittetur. Quia ergo in vulneribus pravis tumor non apparens est signum magnitudinis ratione facultatis, si tumor in eisdem apparuerit, procul dubio signum erit roboris ipsius facultatis, & quòd regulariter operetur, & proindè bonus eventus est sperandus: nec

nec rarum eſt, à ſuperveniente morbo vitæ periculum tolli. Hac ergo de cauſa Hip. 5. Aph. 65. & 2. Epid. ſec. tertia: Quibus tumores in ulceribus apparent, non convelluntur maximè, neque inſaniunt, quod quidem cum ratione accidit, materia enim, ex qua per decubitum ad nobiliores partes inflammatio cerebri, vel nervoſarum partium ſubſequitur, extra propellitur ad ſummas partes: de tumore enim, qui ſummas tantum partes, & vulneri circumſtantes occupat, dictum Hip. eſt intelligendum, non de eo, qui ſimul etiam penitiores occupat; hic enim maximè periculoſus exiſtit, quia non ſolum extimæ partes tument, ſed & intimæ, & in nervis imbibitur materia, quæ eosdem diſtendens, vel mala qualitate afficiens convulſionem excitat. Celſus lib. 5. cap. 26. brevibus quidem, ſed aureis planè verbis rem hanc explicavit, dicens: Nimis intumeſcere vulnus periculoſum, nihil intumeſcere periculoſiſſimum. Illud eſt magnæ inflammationis indicium, hoc emortui corporis. & Gal. in com. ejusdem Aph. Nonnulli quidem ex ipſis convelluntur, & inſaniunt (ex iis videlicet, quibus tumores in ulceribus apparent) ſed raro hoc patiuntur, quando videlicet magnitudinem effatu dignam, vel malignitatem aſſumpſerint; magnitudo enim effatu digna eſt, quæ intimas quoque corripit partes. Et quoniam materia quandoque ſola quantitate diſtendens nervoſas partes, convulſionem efficit, quandoque verò in pauca quantitate exiſtens, ut tumorem effatu dignum nequeat excitare, mala tamen qualitate nervoſas partes infeſtat adeò, ut convulſionem pariat, idcircò Gal. & tumorem effatu dignum, & materiæ malignitatem adduxit.

Explicatio Aph. 65. quintæ partic.

De hujusmodi igitur tumore intelligendum eſt, quando dicitur, malum eſſe, ſi vulnera inflammentur, & propter inflammationem pleraque vulnera interficere, & ob id laborandum præſertim medico, ut inflammationem prohibeat, cum ea præſente nunquam ſanetur vulnus, eademque prava ſymptomata concitans mortis ſit cauſa. Cujus etiam ratione dicebat Gal. lib. Art. Med. cap. 90. Opus medici eſſe, ipſam partis ſubſtantiam ſalubrem conſervare. & 3. Meth. 4. Si phlegmone, cavitas, & ulcus, & ſordes in eadem ſint particula, primùm phlegmone, ſecundo loco ſordes; tertio cavitas, quarto ulcus eſſe curandum. & Avic. quar-

ta

ta quarti tract. primo capitulo tertio: De melioribus, cum quibus intendimus in vulneribus est, ut prohibeamus eorum apostemationem; quoniam, quando non accidit apostema, possibile est, ut vulneris fiat curatio; verùm cum illic est apostema, aut attritio, aut contusio, aggregatur in vacuitate ejus cum vulnere sanguis, qui vult fieri apostema, aut pus, & non est possibilis curatio vulneris, dum non regitur res illa, & curetur apostema. Et Celsus loco citato: Ubi aliquis ictus est, qui servari potest, protinus prospicienda duo esse, ne sanguinis profusio, neve inflammatio interimat. Idem periculum, quod à vulneribus pravis imminet, quando tumor non apparet, propter eandem magnitudinem ratione facultatis subest, si tumor apparere incipiat, & posteà de repentè delitescat; signum est enim naturam deficere à recta operatione, quam inceperat, & propterea materia, quam cœperat ad summas, & circumjacentes vulneris partes propellere, in penitioribus partibus vulnerati membri absorbetur, unde in nervis, & nervosis partibus imbibita eos replens distendit, aut mala qualitate afficit, & sic convulsionem facit; vel in præstantiores partes decumbens in maxima discrimina vulneratum adducit. Observamus enim, quando derepentè delitescunt tumores in pravis vulneribus, aliis supervenire delirium aliis convulsionem, aliis lateris dolorem, aliis hepatis inflammationem, aliis dysenteriam sanguinolentam, prout in hanc, vel in illam partem ferri materiam contigerit, ac diversa fuerit materiæ sors, atque conditio. Idcircò Hippocrates cum in principio 65. Aph. sextæ sectionis, sperari posse bonum eventum in pravis vulneribus proposuisset, quando tumor apparet, subjungebat: Verùm his evanescentibus de repentè, quibusdam à tergo convulsiones, & distensiones fiunt, quibusdam ante insania, vel dolor lateris acutus, vel suppuratio, vel difficultas intestinorum, si tumores sint rubicundi & Gal. in com. ejus Aph. Quando igitur ab ulceratis partibus humor, qui fecit tumorem ad aliquam principem partem se contulit, in partibus quidem retrò nervosis convulsiones fient, ac distensiones, in anterioribus autem insania, si feratur ad caput, lateris autem dolor, si ad thoracem humor convertatur. Sæpius verò, & hi suppurantur, si humor non dissolvatur. Difficultatem verò intestinorum

norum fieri inquit, si tumoribus rubentibus conversio repente fiat, illam quidem intestinorum difficultatem, quam sanguineam nominant, quæ est sanguinis evacuatio per intestina absque exulceratione. Nonnunquam tamen, quemadmodum experientia docuit, etiam propriè dicta intestinorum difficultas sequitur, corpore acribus, & mordacibus succis referto. Non est autem universaliter verum, quod dicitur in Aph. si à tergo vulnus constiterit; sequi convulsiones, & distensiones; si verò in anterioribus; reliquos affectus; contrarium enim interdum accidit, ut Gal. animadvertit in com. ejus Aph. Posset tamen aliter interpretari Aphorismus, ut illæ duæ dictiones ante, & retro, non ad locum, in quo vulnus consistit, sed ad eum, in quem materia decumbit, referatur, & ita erit universaliter verum, quod dicitur.

Unum tamen animadvertendum est, non semper malum esse, quando in vulneribus pravis non supervenit conspicuus tumor, nec quando apparens de repentè delitescit, quando enim justa de causa tumor non supervenit, vel apparens evanescit, profectò non est malum, ut quando per evacuationes, & alia auxilia tumoris causa tollitur. Curavi ego sæpissimè vulnera gravia, quibus nullus omninò supervenit tumor, aliquando etiam, quibus conspicui tumores derepentè evanuerunt, neque tamen pravum aliquod symptoma sequutum est, sed fœliciter, & brevi tempore ad sanitatem pervenere, eo quia congruis auxiliis omnis tumoris causa sublata fuerat. Ideò divinus Senex volens hoc nobis significare, mira brevitate id fecit, cum dixit: Si in vulneribus fortibus, & pravis tumor non appareat. dicens enim tumor non appareat, supponit adesse tumoris causam, licet tumor non sit conspicuus, quo loquendi modo usus est etiam 2.Aph. 6.dicens: Quicunque dolentes aliqua corporis parte dolorem non sentiunt, his mens ægrotat; per dolentes enim, dolorem autem non sentientes, eos intelligit, qui habentes dolorificam aliquam causam, dolorem tamen non sentiunt, quod ægræ mentis est signum. Quando igitur non supervenit tumor, non est simpliciter malum signum, sed tunc tantum, quando non apparet, hoc est quando præsens est tumoris causa, & nullus apparet tumor. Sicuti nec quando qui supervenit, simpliciter evanescit, sed quando delitescit, hoc est, quando manet causa.

Sed

Sed neque ſemper, cum repentè evaneſcit tumor vulneratæ partis, ſequuntur prava ſymptomata, quamvis ope medica non fuerit ſublata tumoris cauſa; fieri enim poteſt, ut materia retrocedens feratur non in digniores partes, ſed in aliquam aliam externam, & ignobiliorem, quod erit omninò ſine periculo, quantum eſt ex parte ipſius tranſmiſſionis, neque prava illa ſymptomata ſubſequuntur. Quare concludendum erit, ingens malum eſſe, quando tumores apparere cœperint, & poſteà derepentè delituerint, niſi juſta de cauſa id contingat, hoc eſt, quia omnis tumoris cauſa medicis auxiliis tollatur, aut quia materia in aliam partem externam, & ignobiliorem feratur.

Non ſemper retroceſſus tumoris malum portendit.

Sed non immeritò dubitabit aliquis, quomodo, ſi quis ſanus exiſtens vulneretur, fieri in eo poſſit materiæ tranſmiſſio ad partem aliquam principem, potiùs quàm ad vulneratam, cum ſemper ad imbecilliores partes conſueverit natura ſuperflua, & noxia propellere, & tunc temporis rationi conſonum ſit, partem pravè vulneratam reliquis eſſe debiliorem: & cur magis tunc materia moveatur, quam prius, & quid ipſum ad motum concitet, quòd enim à ſeipſa moveatur abſurdum eſt dicere, ſicuti nec dici poteſt, calore exagitatam, & veluti ebullientem huc, & illuc ferri, cum febris hoc potens nondum ſupervenerit, à natura ergo moveatur neceſſe eſt, ſed cur ad nobiliores partes eam tranſmittit, & non ad vulneratam infirmiorem? In hac difficultate dicendum eſt, evenire procul dubio, quod ait Hippocrates, & motorem eſſe ipſam naturam, quæ tamen perperam, & contra proprium inſtitutum operatur propter imbecillitatem; imbecillis eſt enim facta collatione ad materiam, quæ vel quantitate, vel prava aliqua qualitate naturæ vires exuperat: verùm ſanitatis tempore, cum quieſceret, minùs erat naturæ infenſa; vulneris poſteà occaſione fit humorum unà cum ſpiritibus exagitatio, & quoniam cauſa mota quieſcente eſt deterior, materia illa naturæ moleſta eſſe incipit, quapropter natura irritata ad expulſionem inſurgit, ſed impar exiſtens perperam ob imbecillitatem operatur, & materiam, ut contingit, expellit. Non raro etiam ad quamcunque partem potiùs fertur materia, quàm ad vulneratam, quoniam facultas, quæ regit vulneratam, ferè ſit demortua; & ideò neque attrahit conveniens alimentum,

Quomodo & cur per vulnera tranſmittatur materia ad partes nobiliores.

mentum, neque quod ad eam tranſmittitur, admittit, non admiſſum autem aliò propellitur, & quando ad nobiliorem fit tranſmiſſio, totum eſt quod expellit, totum enim vincit potentia ſingulas partes. Sed de his hactenus.

Explicatio 4. Aph. 6. partic. Propter magnitudinem etiam ratione facultatis 6. Aph. 4. dicebat Hippocrates: Vulnera circumglabra prava eſſe; natura enim nequit humorum malitiam corrigere, & 5. Aph. 68. Crudos tumores, hoc eſt, rebelles, & contumaces, ſupervenientes pravos eſſe, ſignum eſt enim naturam imbecillam eſſe; nec poſſe ob imbecillitatem materiam concoquere, quemadmodum contrariis de cauſis ait eodem loco, molles tumores eſſe bonos, & libro de loc. in hom. 44. Vomitus atræ bilis in vulnere lethalis & 4. Aph. 23. Quibuſcunque ex morbis acutis, aut diuturnis, vel ex vulneribus, aut quovis alio modo extenuatis nigra bilis, ſive ut ſanguis niger de ſubter exierit, poſtridie moriuntur, ſi enim hic vomitus ſit illius atræ bilis, quam ſuccum melancholicum, ſeu fæcem ſanguinis dicunt, exolutum robur hepatis, & lienis cauſam habet; unde accidit, ut non fiat ſeparatio, & expurgatio ipſius ſanguinis, quæ anteà conſueverat, ſed hepar perperam operans coacervatum ſuccum ad ventriculum, nonnunquam etiam ad inteſtina demittit. Si verò atræ bilis propriè dictæ, quæ ex ſanguine, vel ſucco melancholico, vel bile flava aſſatis gignitur, exuſtiones viſcerum, & proſtratæ ob id facultatis eſt comes. Patet igitur fundamentum artis præſagiendi in re vulnerum eſſe cognitionem eorum magnitudinis, & quoniam, quæ ratione propriæ eſſentiæ ſpectatur, facilis eſt cognitu, nec admodum difficilis, quæ penes dignitatem partis attenditur, nam licet oculis intueri, & ſpecillo explorare, quouſque pervenit telum, & illud idem ex iis, quæ ſupervenerunt colligere, ſineque oculis, neque immiſſione ſpecilli rem aſſequamur, difficillima autem, quæ ratione facultatis æſtimatur, & tamen omninò ad præſagiendum neceſſaria, propterea nullius conſideratio eſt prætermittenda, quod ad ejus cognitionem poſſit nos ducere. Itaque & magnitudo vulneris ratione propriæ eſſentiæ, & quæ etiam penes dignitatem partis æſtimatur, exactè perpendenda; quò enim majus eſt vulnus ratione propriæ eſſentiæ, ceteris paribus exiſtentibus, eò etiam magis afficitur faclutas, & quò nobilior

Explicatio 68. Aph. 5. partic.

nobilior eſt pars, quæ vulneratur, eò etiam majorem aleam ipſa ſubit facultas.

Sed & quæ ſupervenerunt ſymptomata conſiderare oportet, eorum enim alia facultatis imbecillitatem conſequuntur, ut eſt nigrorum dejectio, pravus vulneris color, & hujuſmodi; alia verò etiam facultatem proſternunt, ut eſt convulſio, & inſuper omnia diligenter perpendere, quæ in cognitionem ſtatus naturæ nos ducant, cujuſmodi ſunt ætas, temperatura, ſexus, conſuetudo, regio, tempus anni, aëriſque conſtitutio, præcedens victus ratio, & ſimilia. Si quis enim, dicebat Gal. primo ad Clauc. primo, primùm diſtinxerit eam, quæ ſecundùm ætates differentiam, poſteà eam, quæ ſecundùm temperaturas, atque potentias, & cætera, quæ hominibus inſunt, colores dico, atque calores, habitudineſque, & pulſuum motus, & aſſuetudines, atque induſtrias, & animi mores, his quoque adjunxerit eam, quæ maris à fœmina differentiam, & quæcunque ad regiones, & temporum pertinent ſtatus aliaſque ejus, qui nobis circumfunditur, aëris temperies recto modo conſideravit, hic ad propriam laborantis naturam agnoſcendam proximè accedet.

Magnitudo ſecundum quid vulneris oſtendit quid de vulnerata parte ſit futurum.

Sicuti autem magnitudo ſimpliciter vulneris, quam reſpectu facultatis totum corpus gubernantis dijudicamus, quid de vulnerato futurum ſit, oſtendit, ita magnitudo ſecundùm quid, quid de vulnerata parte, hanc enim reſpectu facultatis affectæ partis æſtimamus, vulnus illud magnum dicentes, quod partis interitum minatur, aut ejus functionis abolitionem, vel inſignem ſaltem læſionem, & quod à facultate non niſi ægre corrigi poteſt, aut omninò etiam illam deſpicit. Patet enim hujusmodi vulnera vires affectarum partium excedere. Quòd ſi inde proveniret læſio facultatis totum corpus gubernantis, non eſſet ſecundùm quid vulnus magnum, ſed ſimpliciter. Hujus magnitudinis conſideratio non eſt præſentis loci, mox tamen conſiderabitur; inquirendum enim eſt, quæ ſanitas ſit expectanda, ubi non ſit intereundum vulnerato, & hujusmodi magnitudine ad id indigemus.

CAPUT XIX.

Num integra sanitas sit expectanda, an vitiata? quando ex vulnere non sit intereundum.

SIcuti ex magnitudine ratione facultatis totum corpus gubernantis, quando tanta fuerit, ut necessarium sit virtutem succumbere, vulnus mortem allaturum judicamus, ita ex particulari magnitudine, quæ videlicet æstimatur facta collatione ad facultatem affectæ partis, conjicimus, num integra sanitas sit expectanda. Interdum enim accidit, ut evadat quidem vulneratus, sed cum alicujus partis, vel portionis ejusdem amissione, vel læsione cujuspiam actionis semper duratura, vel etiam cum ulcere incurabili, aut difficilis, & longæ curationis, vel cum atrophia alicujus partis, vel alio quodam vitio; neque alia de causa, nisi quia facultas est imbecillior, quam ut corrigere vulnus possit.

In quo sita sit partis imbecillitas ob quam non, est secutura integra sanitas.

In eo autem sita est hæc imbecillitas, quòd non potest partes divisas per ejusdem naturæ medium copulare, quod tamen ad actionis integritatem, & partis conservationem est necessarium, vel loco deperditæ substantiæ alteram generare, quæ tantumdem valeat, vel in proprium locum reducere partem, quæ ab eo recessit, prout requirit ejusdem actio, & naturalis ejus status, aut pati, ut ab ipso medico reducatur, vel etiam nullo modo possit divisas partes agglutinare, aut substantiam generare, quæ vacuum repleat, eò quòd impedimenta removere nequeat. Etenim ratione primi si ob dissectum nervum pereat voluntarius motus alicujus partis, non potest sperari nisi vitiata sanitas cum jactura videlicet illius actionis, cum non possit natura, ut superiùs explicatum est, nervum dissectum agglutinare, nisi per heterogeneum medium, quod irradiationem qualitatis animalis, qua pars redditur idoneum subjectum sensus, & motus, non admittit; unde sicuti in posterum pars, ad quam fertur dissectus nervus, qualitate hac privabitur, ita & actione, ad quam necessaria est illa qualitas. Ratione verò secundi, si vulneretur oculus, ita ut effluat, exempli gratia, humor albugineus, quia hunc in adultis natura regenerare

nerare non poteſt, nec aliud ſubſtituere, quod officium ejus ſuppleat, non ſequitur integra ſanitas, ſed viſione in poſterum carebit oculus. Propter tertium autem, ſi fuerit luxatio cum vulnere, mancus erit ex illa parte vulneratus, licet ſanetur vulnus, quoniam nec per ſe poteſt natura os, quod à proprio loco receſſit, in eundem reducere, nec pati, ut à medico reducatur, quemadmodum ſuo loco explicabitur. Et propter quartum, ſi vulnus in ſubſtantia veſicæ contingat, ita ut ad cavitatem penetret, etiamſi tale non ſit, ut ratione facultatis totum corpus gubernantis magnum dici poſſit, aut etiam magnitudo hæc receſſerit, attamen ulcus omne genus auxilii contemnens remanebit, eo quod natura nequeat vulnus veſicæ conglutinare, non ſolùm quia exanguis eſt, & pauco calore prædita, & quòd propter ſitum, & ſubſtantiæ tenuitatem adduci labia ad mutuum contactum nequeunt verùm etiam, quia urina per vulnus aſſiduè percolans, coalitum impedit. Sic ſi cariem os contraxerit, nunquam vulnus carne replebitur, niſi, quod carioſum eſt, ceſſerit, & propterea periculum eſt, ne remaneat ulcus diuturnum, fiſtuloſum ſcilicet: raro ſiquidem natura ſua ſponte carioſum os expellit, niſi à prudente medico ſuccurratur. Quocircà ſi manualem operam ſubterfugiat, actum eſt.

Ex his tamen manifeſtum eſt, impotentiam hanc facultatis partis non ſemper pendere ab eſſentiale ejus imbecillitate, verùm & non raro ab accidentali: nervum enim diſſectum propter eſſentialem imbecillitatem per medium homogeneum agglutinare non poteſt, at veſicam diſſectam propter accidentalem, propter ſitum ſcilicet, ſubſtantiæ tenuitatem, ac uſum ipſius. Similiter, & inciſam arteriam, motus enim ipſius efficit, ut naturæ fruſtretur actio, unde remanere ſolet aneuriſma agglutinata cute, non autem arteria.

Quæ ſignificent particularem imbecillitatem partis.

Magnitudinem hanc particularem vulneris oſtendunt ſubſtantia partis, ſubſtantiæ modus, actio ejuſdem, & uſus, ac ſitus, necnon & ſuperveniens affectus: eam quidem, quæ pendet ab eſſentiali imbecillitate, ſubſtantia partis, & ſuperveniens affectus; eam verò, quæ ab accidentali, ſubſtantiæ modus, tenuitas ſcilicet, actio partis, ſitus, & uſus: Quia enim ſubſtantia partis eſt

exanguis, & pauco calore prædita, imbecillium quoque eſt virium, unde vel nequit neceſſarium coalitum efficere, aut deperditam ſubſtantiam, ut decet, reparare, vel ſinit, ut quid ſuperfluum colligatur, quod actioni partis impedimentum eſt allaturum, ut in articulorum vulneribus accidit, in quibus quandoque generatur tophus. Pariter ſuperveniens gangræna eſſentialem imbecillitatem facultatis ſignificat cum temperamentum partis deſtruatur.

Signa futuri interitus partis. Quomodo actio, uſus, & ſitus partis accidentalem imbecillitatem facultatis oſtendant, ex his, quæ in ſuperiori capite dicta ſunt, ſatis patere poteſt. Futurum partis, vel portionis ejusdem interitum ſuperveniens affectus demonſtrabit, ut corruptio, & gangræna, quæ compeſci nequit, deſtruitur enim naturalis partis calor, cujus deſtructio eſt partis interitus.

Signa læſionis actionis incorrigibilis. Actionis læſionem, & ex vulnere contingentem, & ob ſupervenientem affectum remanſuram, differentia vulneris oſtendet, & natura ſupervenientis affectus, namque ſi ob vulnus, vel quid ei adnexum deficiat, quod ad actionem ſit neceſſarium, & ejus reſtitutio ſit impoſſibilis ob jam allatas cauſas, actionis vitium vulnere ſanato remanebit. Si ob nervi diſſectionem amittat pars aliqua ſenſum, vel motum, vel utrumque, quoniam per medium homogeneum agglutinari nequit, quod tamen neceſſarium eſt, ut pars recuperet deperditam actionem, non eſt ſperandus priſtinus partis ſtatus. Similiter, ſi affectus ſuperveniens, qui actionem vitiat, fuerit incorrigibilis, vanum eſt, ſperare partis reditum ad naturalem ſtatum.

Signa ulceris remanſuri. Ulcus remanſurum, vel incurabile, vel difficilis, & longæ curationis, & ſubſtantia vulneratæ partis oſtendet, & ejus actio, ac uſus, & ſitus, necnon & quæ ſuperveniunt, quando enim hæc ſanationi reluctantur, & ſola adeſt magnitudo particularis, ratione ſcilicet facultatis partem gubernantis, ulcus remanebit: quod alius affectus conſequi poteſt pro natura partis affectæ; ad inciſionem enim arteriæ in adultis effatu dignam, quæ unitionem non admittit, ſequitur aneuriſma. Hæc à magnitudine vulneris ratione facultatis partem gubernantis expectare oportet. Quòd ſi hujusmodi magnitudinem non habeat vulnus, integra ſanitas expectetur.

CAPUT

CAPUT XX.

De tempore ſalutis & mortis.

QUando autem futura ſit ſanitas, ſi ſervandus ſit vulneratus, differentia vulneris oſtendet, & quæ cum vulnere complicantur. Quibus addere debemus ex Celſi præſcripto libro 5. capit. 26. conſiderationem corporis, ætatis, temporis, regionis, conſuetudinis, & hujuſmodi: ſicuti enim ad faciliorem, & difficiliorem ſanationem faciunt; ita ad citiùs, vel tardiùs conſequendam ſanitatem conferunt.

Quoad ad vulneris differentiam, vulnus in carnoſa parte exiſtens, cæteris paribus citiùs ſanatur, quàm in ſpermaticis, facillimum enim eſt, ut ſuperius dicebatur, ex ſanguine carnem fieri. Et omnino ſanatur tardiùs vulnus, quod eſt in parte, cujus ſubſtantia, vel actio, vel uſus, vel ſitus ſanationi repugnat, ſi tamen cætera ſint paria, quod ſemper ſubintelligi debet. Quò majus etiam extiterit vulnus ſecundum propriam eſſentiam, & pro ſanatione pluribus operibus indiguerit, eò tardiùs ſanari ſolet, citiùs verò, quò fuerit minus, & paucioribus indiguerit: vulnus enim carnoſæ partis, quod ſolùm agglutinationem requirit, brevi ſanatur, & eò citius, quò minus fuerit; ut aliqua viginti quatuor horarum ſpatio, & citius etiam fuerint agglutinata; plurima autem intra quartam; perpaucorum ſanatio ad ſeptimam extenditur ſi ut decet, tractentur. At vulnus, pro quo ſanando neceſſaria eſt carnis non exiguæ generatio, tardius ſanatur, unde Celſus loco citato: Pejus etiam vulnus, ex quo aliquid exciſum eſt; niſi tamen quid aliud obſtiterit, intra decimam quartam, ut plurimum ſanantur; pauca ad vigeſimam perveniunt. Vulnus verò contuſum tardiùs ſanatur, quàm inciſum tantùm, quoniam contuſam carnem ſuppurare neceſſe eſt, antequam nova regeneretur. Unde pejus eſt, quod etiam colliſum eſt, dicebat Celſus, quàm quod tantùm diſciſſum eſt, adeò ut acuto quoque quam retuſo telo vulnerari ſit commodius. Tardiùs quoque ſanatur vulnus, ex quo portio aliqua partis abſciſſa, aut lacerata fuerit, vel ita exciſa,

Quæ vulnera tardius ſanantur.

cisa, ut etiam ex parte pendeat, quàm si sola adesset sectio cum substantiæ defectu; hinc Celsus loco citato: Pejus etiam vulnus est, ex quo aliquid excisum est, ex quove caro alia parte abscissa, alia dependet. Vulnera item orbicularia, ut ibidem Celsus dicebat, tardiùs sanantur, cum enim angulis careat circulus, undique labia circularis plagæ à se invicem distant; quare quò propinquius fuerit vulnus orbiculari figuræ, eò tardiùs sanabitur. Vulnus item, quod difficulter expurgatur, tardiùs sanari solet, quoniam sanationis impedimentum non æque promptè tollitur, & ob id, quod inæquale est, tardiùs sanari solet, quam æquale. Vulnus etiam in parte existens, quæ facilè superfluitates recipit, tardiùs sanatur: qua de causa articulorum, & vulvæ vulnera, tardè sanantur. Vulnera pariter omnia, quæ præstantem aliquam partem lædunt, & sunt cum periculo vitæ, tardè sanitati restituuntur, nec solùm quia pejus afficiunt, verùm etiam quia cogimur, ut futura mala arceamus, tenui victu, & evacuationibus uti, unde penuria alimenti inducitur, & virtus imbecillis evadit, & ex consequenti partim materiæ, partim agentis defectu deperdita substantia, vel quid aliud ejus loco regenerari citò non potest.

Quomodo autem, quæ cum vulnere complicantur, sanationem protrahant, facilè est videre; Natura enim faciliùs, & citiùs unicum affectum corrigit, quàm plures, & à pluribus pejus habet, quàm ab unico, & Medicus ab iis, quæ accidunt, cogitur non rarò posthabito vulnere aliorum habere rationem. Hinc videmus, ubi inflammatio supervenit, vel corruptio, vel gangræna, non parum remorari sanationem. Et quantò magis, quod supervenit, partis temperamentum malè afficit, & magis fuerit rebelle, eò etiam tardius subsequuturam sanitatem non est dubitandum: qua de causa Hippocrates 5. Aph. 68. dicebat, tumores laxos esse bonos, crudos verò malos; sub his enim malè disponitur natura partis, unde Gal. in com. ejus Aph. Neque enim fieri potest, ut sit tumor renitens benè concoquente membri natura humores ad ipsum fluentes. Ossis fractura vulneri adnexa sanationem valdè protrahit, & si recedere os oporteat, longius etiam protrahitur, ut ad quadragesimum, & sexagesimum,

immo

immo & ad menſes, & annos quandoque producatur integra vulneris ſanatio. Sed de hoc aliàs.

Extranea intra vulnus contenta, quæcunque ea fuerint, ſi educi à principio nequeant, aut incuria non fuerint extracta, ſanationem & ipſa impediunt, potiſſimum, quæ non citò putreſcunt; tarde enim expelluntur à natura, & ſymptomata invehunt: quòd ſi quid inſuper oſſi infixum fuerit, longè admodum protrahetur ſanatio, imbecillima enim eſt expultrix oſſis. Plumbum tamen quamdam habet affinitatem cum ipſa natura, & propterea coalitum vulneris non impedit. Ætas, & ipſa non parum facit ad citam, vel tardam curationem; nam pueri, ut dicebat Celſus, & adoleſcentes citius, & facilius curantur, ob virtutis robur, tardius, & difficilius ſenes ob innati caloris penuriam. Similiter & corporis ſtatus; nam, ut dicebat Celſus, citius, & facilius ſanatur valens, quàm infirmus, & neque nimis tenuis, neque nimis plenus, quàm ſi alterum ex his eſt, integri habitus, quàm corrupti. Aliquid etiam facere videtur conſuetudo, nam facilius ſanatur exercitatus, quam iners; ſobrius, & temperans, quam vino, Venerique deditus; quamvis id contingat potiùs, quoniam conſuetudo integrum, & vitiatum reddere habitum corporis poteſt, ſicuti & præcedens victus ratio, ideoque conſuetudo conſideranda nobis eſt, ut quæ ad ſtatum corporis cognoſcendum non parum conducat, quod etiam de ætate dicendum eſt. Aëris temperatura & ipſa non parum habet momenti ad citam, & tardam curationem, tardius enim ſanantur hiberno tempore, & in frigido aere, quàm in calido, & temperato. Inæqualis conſtitutio aeris malè vulnera afficit; repentinas enim mutationes non fert natura. Calida, & humida conſtitutio peſſima eſt, in ea ſiquidem fiunt putredines, quæ primo pericula afferunt, deinde etiam curationem protrahunt. Idem eſt de regione.

Plumbum affinitatem quamdam habet cum humano corpore.

Quò tamen determinatum magis tempus futuræ ſalutis prævideri, & prædici poſſit, vellem, qui curam habet vulnerum, cum in operibus naturæ non mediocriter verſatum eſſe. Hinc etenim, quanto indigeat tempore natura ſic ſe habens, ut agglutinationem talem faciat, vel tantam carnem generet, vel talem ſuppurationem moliatur, intelligens; dein eorum vim, quæ

Ad præcognoſcendum determinatum tempus futuræ ſalutis.

ad citam, vel tardam ſanationem faciunt, ſecum perpendens, quando expectanda ſit ſanitas ad amuſſim cognoſcet. Ex iisdem ferè cognoſcitur, num citius, an tardius futura ſit mors, quando intereundum ſit vulnerato; namque cum vulnera interficiant, quia ad ultimum illum magnitudinis gradum facultatis ratione perveniunt, ea vulnera celerius interiment, quæ celerius magnitudinem hanc ſibi aſciſcent, tardius verò, quæ longiori tempore; at quibus citius, aut tardius accidat hæc magnitudo, differentia vulneris oſtendet, quæ connectuntur, ſtatus corporis, ætas, conſuetudo, aëris temperies, regio, & hujuſmodi; vulnus enim, quod principem afficit partem, aut ea, quæ principem trahit in conſenſum, citius ſibi hanc magnitudinem aſſociat, & eo etiam citius, quo in ſui eſſentia fuerit majus. Similiter & vulnus, cui aſſociatur convulſio, gangræna, ſphacelus, immoderata ſanguinis profuſio, Syncope, nigrorum dejectio, celeriter ſibi hunc magnitudinis gradum adnectit. Sed de ſupervenientibus affectibus deinceps pertractabitur. Citiùs etiam moritur infirmus, quàm valens, & cacochymus, quàm bonis ſuccis præditus, & omninò mali habitus, quàm boni, & tempore calido, quàm frigido, & prava aeris conſtitutione, quàm ſalubri, in regione calida, quàm frigida. Citiùs etiam moritur ſenex, quàm juvenis, niſi ex fluxione, aut putredine mors accidat: horum enim occaſiones in juvenibus ſunt fortiores; calidiores enim ſunt, & calidis ſuccis abundant, quibus de cauſis dicebat Hip. lib. de Vuln. cap. Et ſi aliàs ex vulnere moriturus eſt, junior ſeniore citiùs perit. Attamen ſi diligenter intueamur, quoniam vulnera per ſe non interficiunt, ſed ſolùm ob ſupervenientem, aut connexum affectum, ut ſuperiùs dictum eſt, ſufficeret ad præcognoſcendum tempus mortis adnexi affectus magnitudinem conſiderare, quantum videlicet corporis vires exuperet; ſed quoniam magnitudo hæc non poteſt & ipſa niſi ex aliis fieri manifeſta, cogimur & reliqua conſiderare, quæ non ſolùm eſſentialem affectus magnitudinem oſtendunt, verùm etiam ipſius virtutis ſtatum: unde non ignoranda erunt, quæ ab Hip. lib. Præſagiorum, & alibi de futurorum præſagatione traduntur. Ad pulſus quoque, & ad excreta attentos eſſe oportebit. Hæc tamen ab aliis Medicinæ partibus ſunt petenda.

Quæ ſignificent, quando vulnus ad ſummum magnitudinis gradum ſit perventurum.

Ex quibus luce clariùs apparet, ſimplicem Chirurgum non poſſe eſſe perfectum vulnerum curatorem. Plurimum etiam confert ad futurum eventum præcognoſcendum tempus, & eventus dierum criticorum conſideratio, de quibus, quoniam in re vulnerum multas continent difficultates, & plerique difficultatem videntes ſubterfugerunt, aliquid omninò dicendum eſt.

CAPUT XXI.

Quomodo computandi ſint dies critici in vulneribus, & qua ratione natura in vulneribus moveat.

NIhil magis vulgatum eſt in vulneribus, quàm computatio dierum, adeò ut etiam barbitonſores frequentiſſimè quartæ, ſeptimæ, decimæquartæ, & aliorum criticorum dierum ſermonem habeant; Verùm cui fundamento innitatur hæc dierum computatio in vulneribus, paucos reperias, qui id determinent, vel quia, qui de ipſis tractatus inſtituerunt, id non animadverterint, vel quia rei difficultas eos deterruerit; A ratione ſiquidem aliena videtur hæc dierum obſervatio in vulneribus, quoniam morbi non ſunt, qui criſi terminentur, ſi criſis, ut communiter ſtatuitur, eſt ſubita alteratio ad ſalutem, aut mortem, vel diſpoſitionem, cum qua accidit ſalus, vel mors, per materiæ expulſionem, aut permutationem: & ideò in ſoliis materialibus morbis contingit, atqui vulnera immateriales ſunt morbi.

A ratione videtur aliena computatio dierum in vulneribus, ut quæ non ſunt materiales morbi.

Altera ex parte docet experientia, quantum tribuendum ſit criticis diebus in re vulnerum, cum inſignes permutationes in ipſis contingant, & certa ſigna appareant tùm ad bonum, tùm ad malum, & ideò etiam Hip. eos obſervaſſe viſus eſt, nam lib. de Coacis Prænot. dicebat: Incipere febrem in capitis vulnere quarta die, aut ſeptima, aut undecima, valde lethale: judicatur autem plerumque ſi quarta vulneris die incæperit, ad undecimam; ſi ſeptima, ad decimamquartam, aut decimam ſeptimam; ſi undecima ad vigeſimam. Et lib. de cap. Vuln. Ubi commiſſum fuerit erratum in curatione, ut plurimum in hieme febrem ſupervenire ante decimam quartam aſſerit, æſtate verò poſt ſeptimam: item aliquos

Experientia comprobat obſervationem dierum in vulneribus.

perire aut æstate ante septimam, hieme verò ante decimam quartam. 4. Popul. refert, filio Metrophanti capite vulnerato duodecima febrem supervenisse, & circa vigesimam quartam mortuum esse. Et 5. Pop. refert, Autonomum ex capitis vulnere mortuum decima sexta die: & famulam in Omila decima quarta, cui febris octava die supervenerat: & filiam Nerei ab amica ludente percussam lata manu in sinciput, quæ tunc vertigine capta est, & sine spiritu erat, & cum domum venisset, statim vehementi febre correpta est, & capitis dolore, ac rubore circa faciem, nona periisse, cum septima die circa aurem dextram pus processisset graveolens subrubrum amplius cyatho ex qua evacuatione videbatur sibi melius habere, & allevatam esse, sed paulò post aucta est febris, & alia symptomata supervenerunt: & filio Philes ex vulnere capitis nona die febrem supervenisse, & dein mortuum esse: & Aristippum in supernum ventrem violenter, & graviter sagittæ ictu percussum septem diebus mortuum. Multos alios casus recenset in lib. Epid. quibus apertè colligitur, ab ipso hujusmodi dies fuisse observatos. Idem 4. de Morb. elici potest, tex.enim 22. dicebat: Liberantur autem ulcera ab inflammatione quinta die, & juxtà horum dierum rationem, prout etiam vulnera fuerint magna, & tertia, & quinta, & septima, & nona, & undecima, deinde absoluto primo circuitu rursus secundi principium tertia sequens hinc est, quæ à prima decimaquarta est. Maxima verò ulcera decimaquarta die ab inflammatione liberantur. Libro etiam de fracturis ejusdem sententiæ deprehenditur; inquit enim text. 33. com. 3. Qui verò prima, aut altera die lana deligandum censent, tertia verò, & quarta linteis deligantes adstringunt, at tunc maximè extendunt, loquebatur de ulceribus cum ossis fractura, hi in arte medica, atque in re magni momenti ingens peccatum committunt, nunquam enim vulnera tertia, vel quarta die sunt vexanda, ita ut in universum cavendum sit etiam ab admotione scalpelli his ipsis diebus, & ab omnibus præterea aliis, quibus vulnera irritantur; plerumque enim in tertia, & quarta die vulnera solent recrudescere, in quibus tum inflammationes, tum sordes excitantur, quæque febres afferunt. Libro etiam de carnibus horum dierum meminit, dicebat enim: Ulcera magna in capite, aut reliquo corpore quarta

die

die incipere inflammari, & ſeptima die ſedari, ſin aliter, homines eo tempore mori.

Neque tollere difficultatem videtur, quod aliqui dicunt, obſervandos criticos dies in vulneribus propter confluentes humores, ſi enim ita res ſe habet, cur fit dierum computatio etiam in vulneribus, quibus nulla ſupervenit fluxio? aut cur incipienda potiùs computatio à die vulneris, quod Hippocratem voluiſſe, ex ſupra allatis patet, quàm à fluxionis principio?

Pro hujus difficultatis ſolutione ſupponendum in primis eſt, Criſim eſſe ſubitam alterationem ad ſalutem, vel mortem, vel ad diſpoſitionem, cum qua accidit ſanitas, aut mors: qua ratione dicebat Gal. 2. Aph. 13. Judicatio eſt ſubita in morbo vel ad ſanitatem, vel ad mortem permutatio. Et Hip. 1. Epid. ſec. tertia, cùm dies decretorios enumeraſſet, ſubjungebat: Oportet autem advertere, ac noſſe in his temporibus judicationes futuras eſſe ad ſalutem, vel perniciem, aut inclinationem ad melius, aut deterius; quamvis Gal. 3. Criſ. 1. ſtrictiùs ſumens criſis nomen, & per excellentiam, veram criſim tantùm appellet ſubitam ad ſanitatem mutationem. Quoque hujùſmodi alteratio præſupponit naturæ actionem in materiam morbificam, & materiæ evacuationem, aut ſaltem permutationem, unde Gal. 2. Aph. 13. Fit autem, de alteratione hac loquebatur, natura ſeparante à bonis mala, & ad excernendum præparante. Per hoc autem, quod ait natura ſeparante à bonis mala, non eſt intelligenda actualis ſeparatio, ſed conatus ad ſeparandum; non enim ſemper ſeparationem aſſequitur, ut patet in criſi mala. Quoniam ergo ſeparationem boni à malo, & mali expulſionem quandoque integrè aſſequitur, quandoque verò imperfectè, & ex parte tantùm, aliquando etiam unà cum malo bonum evacuat, vel pro malo id, quod bonum eſt, nil mirum, ſi ſint criſes perfectæ, imperfectæ, & bonæ, & malæ, ſemper tamen perturbatio præcedit propter pugnam, & expulſio ſubſequitur, inde alteratio, quæ omnia quandoque criſis nomine appellantur. In ſolis itaque materialibus morbis criſis eſt expectanda, ideoque ad coctionis ſigna reſpicimus, qua ratione dicebat Gal. 3. Criſ. 4. Si effatu dignæ tranſmutationes in coctionibus

Primum ſuppoſitum. Criſis quid.

Criſis per excellentiam.

Criſis præſupponit actionem naturæ in cauſam morbificam.

Criſis differentiæ.

fiant in diebus indicatoriis, indicia ſunt, quòd ſequentes indicatorii dies ægrotum à morbo liberabunt.

Secundum fundamentum. *Dies contemplabiles.* *Radicales indicantes.* *Intercidentes.*

Sit ſecundum fundamentum, quòd quamvis decretorii dies dividi ſoleant in principes, & radicales, cujuſmodi ſunt ſeptimus, decimusquartus, vigeſimus, vigeſimus ſeptimus, trigeſimus quartus, & quadrageſimus, & indicantes, qui & contemplabiles dicuntur, cujuſmodi ſunt quartus, qui ſeptimi eſt index, & undecimus, qui eſt index decimi quarti, & decimus ſeptimus, qui vigeſimi, & vigeſimus quartus, qui vigeſimi ſeptimi, & trigeſimus primus, qui trigeſimi quarti, & trigeſimus ſeptimus, qui quadrageſimi: nec non & in intercidentes, ſeù intercalares, cujuſmodi ſunt, tertius, quintus, ſextus, octavus, nonus, decimus tertius, decimus nonus, vigeſimus primus, & trigeſimus, verè tamen decretorii illi tantùm ſunt habendi, veluti dicebat Gal. lib. de Hum. com. 2. tex. 20. in quibus frequenter ſolent contingere veræ, ſecuræ, & perfectæ vires, cujuſmodi ſunt, qui radicales appellantur, inter quos etiam pefectiſſimi ſunt, qui vigeſimam non excedunt, & radicalibus proximi ſunt indices: licet enim ſui natura futuræ criſis in proxima radicali ſint prænuntii, quandoque tamen, & perfectè indicant, Intercidentes appellati, quamvis in eis nonnunquam fiant criſes, quia tamen rariſſimè fiunt veræ, ſecuræ, & perfectæ, ſed ut plurimum imperfectæ, infidæ, & malæ, verè decretorii non ſunt dicendi; non poteſt enim mors, & ejus ſigna dies verè decretorios ſtatuere, ut quæ ex actione materiæ morbificæ in naturam proveniant, ad quam quidem ſtatum tempus haud requiritur, cum inordinatè agat materia morbifica. At natura in ſuis operibus ordinatè procedit, & ideò non quocumque tempore ad expellendum inſurgit, ſed diebus ſtatutis, qui ob id critici appellantur. Parùm poſtea refert quantum ad præſentem tractatum attinet, ſive ſtatuatur, idcircò hoſce dies decernendi vim habere, quia corpora cœleſtia, potiſſimum autem Luna, (nam Sol illis ſolùmmodò decretoriis diebus vim tribuere videtur, qui menſibus, & annis procedunt) quæ his inferioribus proximior eſt, & humida gubernare videtur, ita materiam diſponat illis diebus ob certam diſpoſitionem, quam recipit ob varium ſitum, quem tunc habet in Zodiaco ab eo, in quo reperiebatur à principio morbi,

Dies verè decretorii. *Natura ordinatè agit.* *Unde vim recipiant dies critici.*

morbi, ut illis diebus naturam ad expellendum maximè proritet, pariterque ita naturam afficiat, ut illis diebus maximè insurgat ad expellendum, unde necessariò magnæ tunc temporis contigunt in morbis mutationes, & modò ad bonum, modò ad malum, prout benevolos planetas, aut malignos aspexerit, sive ob certam dispositionem materiæ morbificæ, & ipsius naturæ, seclusa cœlesti radice, eò quòd natura morbificam causam nitatur expellere, ipsa verò modò magis, modò minus reluctetur; ad unamquamque autem actionem statutum tempus requiratur, quod est critica dies; nam in morbo peracutissimo tempus requisitum est quartus dies, in simpliciter peracuto est septimus, in acuto exquisitè decimus quartus, & sic de reliquis; posteaquàm non expellit natura statim ac adest materia offendens, sed quando ipsa cedit, non semper autem cedit, ideoque natura priùs materiam vincit, concoquit, & ad expulsionem præparat, inde expellit; Parum inquam refert, sive hoc, sive illud accipiatur, hoc tamen verissimum est, & longa experientia confirmatum, naturæ tantopere amicam esse hanc motionem in decretoriis diebus, ut in illis non solùm veras crises moliatur, verùm etiam alias motiones, & operationes tentet; ut se à re molestante liberet; nam modò coquere, & suppurare conspicitur, modò discutere, aut alio aliquo pacto infestantem materiam expellere, etiamsi veram crisim non faciat. Sic apoplexia terminari solet, sic angina, & convulsio, sic tumores ad suppurationem, & ruptionem terminos habent, & his Hippocrates decretorios dies assignavit, ut in Præsagiis, & Aph. videre licet. *6.* enim Aph. *51.* dicebat: Quicunque sani dolore capitis repentè capiuntur, & statim muti fiunt, & stertunt, in septem diebus pereunt, nisi febris apprehenderit. Et 5. Aph. *6.* Tetano correpti in quatuor diebus pereunt, si verò hos effugerint, salvi fiunt. Et lib. Præsag. de angina loquens; Si verò neque in diebus indicatoriis dissipetur erysipelas, neque tuberculum ad externam partem convertatur, neque pus tussiendo ejiciat, facileque ac sine dolore degere videatur, mortem significat, aut ruboris recidivam. Et eod. At verò aliæ suppurationes rumpuntur plurimæ quidem vigesimo die, aliæ vero trigesimo, aliæ quadragesimo, aliquæ vero ad sexaginta dies perveniunt. Considerare verò futuræ suppurationis

tionis principium oportet ſuppuratione facta ab ea die, qua primùm homo febricitavit, aut ſi fortè ipſum primum rigor apprehenderit, & ſi pro dolore gravitatem ſibi eſſe factam dixerit in eo loco, in quo dolebat, hæc enim in principiis ſuppurationum fiunt. Ut concludere liceat conſiderandos eſſe criticos dies in morbis, non ſolum gratia veræ criſis, verùm etiam, ut omnes naturæ actiones perpendi poſſint; & à malis bonæ ſejungi, nam, ſi quid boni apparuerit in die critica, majorem fidem à die accipit; propter diei enim virtutem, ſperandum eſt, id eſſe naturæ opus non coactæ, & à materia tumultuante irritatæ, ſed vincentis. At ſi in ea præexiſtens malum non minuatur, aut etiam quid mali ſuperveniat, à die majorem malitiæ ſuſpicionem recipit, poſteaquam natura non potuit ea die, qua ab aſtris ſolet beneficium, & gratiam ſuſcipere, utilem actionem præſtare: Et ſi quo tempore maximè ſolet eniti, ut ſe à re moleſtiam inferente liberet, id non facit, aut etiam perperam operatur, ut malum adveniens prohibere nequeat, magnum profectò eſt mali argumentum, naturamque defecturam vereri oportet.

Cur conſiderentur dies critici in morbis.

Tertium fundamentum.

Sit tertium fundamentum, quòd ex vulneribus quædam ad ſanitatem fœliciter perveniunt, nullo etiam ſuperveniente ſymptomate, quædam verò ad ſanitatem tendunt ſatis aptè, ſed cum interventu alicujus ſymptomatis à principio, quædam etiam tandem ad ſanitatem perveniunt, ſed per multos caſus: alia verò in mortem terminantur, atque vel cito, puta inter primos tres dies, vel pluribus interpoſitis diebus. Quæ verò ſuperveniunt vulneribus, alia vi vulneris ſuperveniunt, & in parte vulnerata, vel in alia, ſed ejus cauſa, alia verò alibi ob apparatum morbificum; Si enim vulneri ſuperveniat inflammatio, putredo, gangræna, &c. Similiter ſi conſentiente nervorum principio, convulſio vulneri manus, aut pedis ſuperveniat, vi vulneris hæc ſuperveniſſe non eſt dubitandum. At ſi corpore exiſtente cacochymo, aut plethorico, occaſione vulneris, commotis ſuccis, concitetur in venis putredo, febris hæc ad rem vulneris non attinet, ſed eſt affectus ſeparatus.

Superveniential vulneribus.

Quartum fundamentum.

Sit quartum fundamentum, quòd in iis vulneribus, quæ fœliciter ad ſanitatem perveniunt, non interrupta naturæ actione

ne ab ullo ſuperveniente ſymptomate malo, ut plurimùm nulla apparet in quovis die mutatio, ſed omnes dies ſunt æquales, ut plurimum dixi, quoniam obſervavi quandoque in vulneratis die critica ſudorem copioſum erupiſſe, quandoque etiam alvi fluorem contigiſſe cum infirmi alleviatione, ita ut diceret vulneratus, ſe veluti à ſarcina, & pondere levatum, etiamſi nihil mali accidiſſet vulnerato. In iis quoque, quibus ſupervenit aliquod malum, ſed eo non obſtante ad ſanitatem tendunt, ut plurimum nulla alia apparet in diebus decretoriis immutatio, niſi ceſſatio, & alleviatio illius mali abſque conſpicua evacuatione, modò, quod ſupervenit, vi vulneris ſupervenerit, & omninò fuerit accidens vulneris. Sic dolor, ſic inflammatio ceſſare, aut levari videtur, & febris eorum occaſione ſuborta, & etiam generationis puris. Similiter in vulneribus, quæ per varios caſus ad ſanitatem tendunt, in diebus decretoriis apparere ſolet immutatio aliqua ad malum, puta ſupervenit febris in quarta, ſeptima, undecima, decima quarta, vigeſima &c. Et ſic de inflammatione, & reliquis, ſed ſemper absque ſenſibili evacuatione, quando tamen quod ſupervenit, vi vulneris accidat. Idem evenit in iis, quæ ad mortem terminantur, apparet enim in diebus decretoriis immutatio manifeſta ad malum, ut plurimum absque evacuatione, ſi vi vulneris, non apparatus morbifici mors ſit ſequutura. At, quando morbifici apparatus cauſa ſuccedunt mala, in diebus decretoriis apparent ſenſibiles immutationes cum evacuatione, & motu materiæ peccantis, & terminatio modò fit ad bonum, modò ad malum, ſicuti fit communiter per putridas febres. Neminem eſſe credo, qui curans vulnera non obſervaverit, quandoque putridam febrem ſuperveniſſe, quæ conſpicua aliqua evacuatione fuerit judicata, modo perfectè, modo imperfectè.

De terminatione vulnerum.

Sit quintum fundamentum, quòd occaſione vulneris accidit in corpore vulnerati turbamentum quoddam, humorumque agitatio, quæ natura ſedat, ſi valens fuerit, & turbamentum, ac exagitatio non nimis excedens; aliquando etiam ab iisdem irritatur ad cujuſcunque noxii expulſionem; atque ſi corpus pravis ſcateat ſuccis, qui tamen rebelles non ſint neque qualitate, neque quan-

Quintum fundamentũ Ex vulnere accidit turbamentum in corpore vulnerati.

quantitate, ſed ſequaces & natura fuerit robuſta, evacuationes in vulnerato contingere ſolent, quas obſervamus non rarò in ſanis, ut quando natura per ſudorem, aut vomitum, aut alvi fluxum, aut fluxum ſanguinis narium vitioſos ſuccos propellit; & ob id hujusmodi motiones in vulnerato non ſunt dicendæ ſymptomata, ſed opera naturæ potiùs, cum id, quod moleſtum eſt, ob naturæ robur expurgetur, tantùm abeſt, ut aliqua adſit in actionibus noxa. Aliquando etiam irritatur, & quodammodo opprimitur ab illo turbamento, ſive ob ſui imbecillitatem, ſive ob turbamenti vehementiam, & propterea perperam expellens operatur, tranſmittitque quodlibet obvium in vulneratam partem, vel alias, ſive ut ab eo turbamento liberetur, eò tranſmittat, tanquam ad imbecilliorem partem, ſive ut opem ferat afflictæ parti, quaſi ab ea turbamenti cauſam agnoſcat, poſteaquam conſuevit natura ad partem laborantem tranſmittere ſpiritus copioſiores unà cum ſanguine, ut fortiùs fiat expulſio infeſtantis cauſæ, quando in primis conatibus nihil profecit, ut dicebat Gal. 13. Meth. 3. Hinc varia ſuperveniunt vulneribus, cum natura vulneratæ partis nequeat, quod ſibi tranſmittitur, moderari, vel ob ſui imbecillitatem, vel ob nimiam copiam materiæ tranſmiſſæ, aut ejusdem pravam qualitatem; ideoque modò inflammatio, modò eryſipelas, putredo, gangræna, ſphacelus, convulſio &c. vulneri ſuperveniunt pro qualitate & quantitate materiæ, ac partis robore. Quandoque etiam natura non expellit, ſed in turbatis humoribus ob diſpoſitionem putredo accenditur. Quod non minus evenire conſuevit, quando expellit, ſed tamen adhuc apparatus morbificus in venis remanet. Hujus turbamenti meminit Hipp. lib. de Mor. tex. 22. cùm dicebat: Quin & ulcera ſi curentur, maximè in his diebus inflammantur, venit humor ad omnes venas, cum turbatur, eaſque replet?

Non fit criſis in vulneribus. Ex his elicio primò, in vulneribus, ut vulnera ſunt, non fieri criſim, ſiquidem vulnus eſt immaterialis morbus. Si verò contingat ipſi adnecti materialem morbum, eatenus vera criſis fieri poteſt, quatenus talis morbus aptus eſt per criſim terminari: ſi enim ob apparatum morbificum putrida febris ſuccendatur, criſi terminari poterit, non ſecus ac reliquæ febres.

Elicio

Elicio ſecundò, quamvis in vulneribus non fiat vera criſis, nihilominus obſervandos ſemper eſſe dies decretorios, primò quidem ob turbamentum à vulneratione contingens; ipſum enim non utcumque ſemper ſedat natura, ſed ſicuti per putridas febres ſtatutis diebus ad expulſionem materiæ peccantis inſurgit, ita in vulneribus non ſtatim ſemper ipſum ſedat, aut movetur ejus ratione ad expellendum, ſed ſtatutis diebus, & modo citius, modo tardius pro ipſius naturæ robore, ac imbecillitate, & pro turbamenti vehementia. Et certis diebus hæc contingunt, vel ob lunæ, cœleſtiumque corporum diſpoſitionem, vel quia in hoc vulnere, turbamentum contingens hoc tempus requirit, ut ſedetur, aut, ut naturam cogat, vel vincat. Ubi ergo in iſtis diebus nulla appareat immutatio ad malum, ſed potius, quæ prius aderant ſymptomata ſedantur, ſignum eſt à natura turbamentum ſedatum, ideoque negotium ad ſalutem fœliciter tendere judicandum. Hoc eſt, quod dicebat Hipp. 4. de Mor. tex. 22. Liberantur autem ulcera ab inflammatione quinta die, & juxta horum dierum rationem, prout etiam ulcera fuerunt magna, & tertia, & quinta, & ſeptima, & nona: deinde abſoluto primo circuitu rurſus ſecundi principium tertia ſequens hinc eſt: maxima verò ulcera decima quarta die ab inflammatione liberantur. E converſo ubi hiſce diebus aliquod malum ſupervenerit, puta dolor, inflammatio, febris, &c. vel præexiſtens non ſedatur, aut minuitur, ſignum eſt à natura non potuiſſe turbamentum ſedari, ideoque vel difficiliorem, & diuturniorem fore curationem, vel ſequuturam etiam mortem pro ratione partis, ad quam facta fuit tranſmiſſio, & ipſius vulneratæ partis, & illius, quod ſupervenit, mali. Certum eſt, rarò contingere motum naturæ ad bonum, poſteaquam omnis ejus motus procedit ex hoc, quòd non potuit turbamentum ſedare, vel irritatur ad expellendum, itaque ut plurimum errans expellit, aut ad principem partem, aut ad vulneratam, vel ei proximam. Ideò, ubi motum aliquem naturæ conſpicimus, potiſſimum ſi febris unà acceſſerit, malum præſagire poſſumus. Idem eſt judicium de quocunque malo ſuperveniente abſque motu, & evacuatione, ut quando putredinis ſigna iiſdem diebus apparent. Secundò obſervandi ſunt dies, ut ſi fortè putrida febris occaſione vulneris ſuperve-

Cur obſervandi dies critici in vulneribus.

pervenerit propter apparatum morbificum, veram dierum computationem habere valeamus, ac præterea certum judicium de aliis ſupervenientibus malis elicere; namque diebus decretoriis terminari, aut minui conſuevere, quod ſi non, aut mors, aut diuturnitas, & difficultas curationis pro qualitate vulneris, & eorum, quæ ſupervenere prædici poteſt. Ampliùs, ſi tumor ſupervenerit, obſervandi ſunt dies, ut habeatur ſuppurationis, & eruptionis tempus, aut reſudationis, ſi ea fortè ſit terminandus, aut corruptionis; ob has enim cauſas tumores habent proprios dies decretorios, ut ex Hip. colligitur lib. Præſag. natura enim materiam tumorem efficientem elaborare nititur, atque evincere, non ſecus, ac eam, quæ febres putridas efficit. At ſi reſolutione terminandus ſit tumor, quoniam lentè, & paulatim fit, raró opus eſt decretoriis diebus, licet imminutio tumoris hiſce diebus apparere ſoleat, qua ratione dicebat Hipp. lib. Præſag. tex. 31. com. 1. Si trigeſimum tranſcendit diem, de tumore iliorum duro, & dolente loquebatur, febriſque detinet, & tumor non deſiſtit, fore ſuppurationem hoc loco, & reliquo ventre, ſignificat: quamvis enim de iliorum tumore loquatur, eadem tamen ratio in omnibus militat, modò ab humorali materia ortum habeant. Tandem gratia curationis ſunt obſervandi critici dies in vulneribus, per illos enim maximè cognoſcimus veras, & utiles naturæ actiones, unde non erit difficile videre, qui motus ſint cohibendi, qui ſinendi, quique adjuvandi. Prætereà hiſce diebus ab omnibus his, quæ irritant, & provocant, abſtinendum cenſebimus, ne ex hoc, quod nos ipſi concitamus, & ex eo, quod à vulnere contingit, fiat tantum irritamentum, ut ad ipſum ſedandum natura ſit impotens.

Similis eſt obſervatio dierum in vulneribus, & in puerperio.

Ex quibus colligo eadem ferè ratione computari criticos dies in vulneribus, ac in partu computentur; nulla enim alia ratione videntur obſervandi critici dies in puerperio, niſi propter turbationem illam, ac motum, qui in partu accidit, poſteaquam nec puerperium materialis eſt morbus, qui criſi terminetur, ac proinde, ut perſpicuum fiat, num commotionem illam natura ſedaverit, & omninò actiones naturæ adverti poſſint, obſervamus hoſce dies, quibus adverſus noxia conſuevit inſurgere. Hinc Hipp. à die partus computationem exorditur, quamvis & interdum

dum à febrè, quando videlicet occaſione partus non ſupervenerit: quod & in vulneribus perpetuò eſt obſervandum. Apparet igitur, quid in hac difficultate ſit ſentiendum, & quid rationibus, quæ criticos dies à vulneribus ablegant, ſit reſpondendum. Apparet etiam, quàm ad præſagiendum conferat horum dierum obſervatio, ut in vulneribus artis prognoſticæ fundamentum non immeritò conſtituatur.

Num dies dupliciter interdum ſint computandi.

Animadvertendum autem aliquos voluiſſe, non ſemper computandos eſſe ſimpliciter dies criticos in vulneribus, ſed quandoque dupliciter; Ubi etenim neceſſaria eſt aliqua operatio, ex qua inferatur turbamentum naturæ, atque irritamenti occaſio, ut ſectio inſignis, atque terebratio in capitis vulneribus, neceſſarium eſt, dicunt, aliam computationem facere à die illius operationis: cum non ſit major ratio de primo vulnere, quàm de ſecundo: nam ſicuti ſi quis hodie vulneratur cras iterùm vulneretur, neceſſarium eſſet duplicem facere computationem; ita ſi quis hodie vulneretur, & cras aliqua in eodem vulnere fiat operatio, neceſſarium quoque erit duplicem facere computationem poſteaquam eſt novum vulnus manu medici factum, neque aliud eſt diſcrimen, niſi quod primum ſolam perniciem, aut læſionem reſpicit, hoc autem ſalutem per accidens: Sed hoc non facit, quin per ſe hoc non ſit malum, cum ſit continui ſolutio, ſubſtantiæ detractio, & hujuſmodi, cujus ratione turbamentum inferatur naturæ. At mihi videtur hæc duplex computandi ratio dies decretorios confundere, quæ enim erit ſeptima reſpectu primi vulneris, exempli gratia, quinta erit, vel ſexta reſpectu ſecundi, quare nihil certi ex die colligere poterimus. Nec video, quomodo duo diſtincta turbamenta ſimul, & ſemel reperiantur in corpore. Exiſtimo igitur à ſecundo vulnere non turbamentum novum, & à priori diſtinctum inferri, ſed ſolùm præexiſtens augeri, & ideò ſatis erit computatio, à primo vulnere incipiens. Si tamen primum vulnus eſſet exiguum, & nullo modo lethale, & ſequenti die, vel deinceps aliud vulnus infligeretur, quod lethale eſſet, ſuppurandi principium à die, quo inflictum fuit ſecundum vulnus, eſſet accipiendum, cum majus turbamentum à ſecundo vulnere proveniens, quod minus eſt obſcuret.

CAPUT XXII.

Quomodo præcognoſcantur futuræ permutationes in vulneribus.

NOn ſolùm quid de vulnerato futurum ſit, præcognoſcendum dicebamus, verùm & futuras permutationes tàm ad bonum, quàm ad malum, poſteaquam vulnera per multos caſus ut plurimum tùm ad ſalutem, tùm ad mortem tendunt. Quoniam ergo de futuro eventu ſatis pertractavimus, videamus modò, quomodo futuræ permutationes ſint præcognoſcendæ.

Ex quibus præcognoſcantur futuræ permutationes in vulneribus.

Prima via.

Ex obſervatione autem dierum criticorum, & conſideratione qualitatis primò apparentis immutationis, ejuſque cauſæ, nec non & affectæ partis, non erit arduum venari futuras permutationes ad bonum, atque ad malum, & futura ſymptomata. Illud enim pro comperto habere debemus, non poſſe quidpiam mali ſupervenire, cujus non ſint quædam præludia, ſiquidem cauſa innoteſcit, antequam malum effecerit. Sic futuram ex inanitione convulſionem ex immoderato admodum ſanguinis profluvio conjicimus. Pariter ſi febris in capitis vulnere citra manifeſtam cauſam poſt ſeptimam ſuperveniat, & bilis vomitus, pro certo habemus principium inflammationis eſſe in cerebro aut membranis, & ventriculum in conſenſum trahi. Et quoniam ejuſmodi inflammationes dolores capitis inſignes afferunt, deliria, atque convulſiones, hæc propterea ex vomitu illo, & febre prædicere poſſumus. Non aliter ſi vulnus in parte nervoſa fuerit inflictum, & tumor, qui apparuerat, deliteſcat ſubitò citra manifeſtam cauſam, propter retroceſſum materiæ id factum judicamus, & proinde aliò converti materiam illam; hinc aut futuram convulſionem prædicimus, & hoc plerumque ſi præſertim vulnus acuto telo fuerit inflictum, & ſtricti orificii extiterit, aut inflammationem, & abſceſſum in oppoſita parte, vel in aliquo viſcere, aut alia parte; quovis autem transferatur materia, ſe prodent ſemper futuri affectus præludia in ea parte, puta dolor, gravitas, tenſio, & hujuſmodi. Ita etiam ſi febris à principio ex generatione puris acciderit, intra ſeptimam diem terminandam prævidemus.

Sed

Sed & alia ratione ad eandem cognitionem pervenire poterimus. Jam tradita est methodus futurum eventum præcognoscendi, si consideretur, & ut decet perpendatur via, qua ad præcognitum terminum sit deveniendum, nulla latebit intermedia permutatio. Supponamus futuram mortem, cum habeamus, unde nam mors sit expectanda, facilè erit prævidere quascunque intermedias mutationes, & tempus etiam, quo mutationes contingent, habita consideratione status vulneratæ partis, & dierum criticorum, & qualitatis affectus, qui mortem est allaturus, nam via ad mortem effugere non poterit. Video capitis vulnus mali coloris, aridum, & carnis salitæ instar, nulla prægressa manifesta causa, immò & os lividum, nulla adest febris, nihilominus ex vulneris statu futuram mortem conjicio, quæ quidem proculdubio inflammationem membranarum cerebri consequitur, & hæc citra febrem, exempli gratia, capitis dolorem, delirium, & convulsionem non interficit, ista igitur futura præsagia, neque futura tantùm, sed & quæ priùs, & quæ posteriùs invadent, cum alia sint symptomata principii morborum, alia augmenti, & vigoris, & tempus etiam apparitionis, namque inflammationem brevi futuram video, & forsan in sequenti decretoria ejus signa elucebunt: cùm verò sit morbus acutissimus, quando hæc, aut illa supervenient, non ægre conjectabor. Sic si servandus sit vulneratus, quamvis mala nunc urgeant, malorum cessatio, cessationisque tempus non minus erunt manifesta, via enim ad salutem certa est. Habenda autem semper est consideratio ætatis, temperamenti, regionis, temporis, & consuetudinis. *Secunda via.*

CAPUT XXIIII.

De Curatione Vulnerum in genere.

QUoniam nihil aliud est, quod curandi rationem præscribit, ut dicebat Gal. 3. Meth. 1. quàm illud idem, quod curatur, quandoquidem quicquid magis potest de se indicare, quàm de alio, quod autem curatur est morbus, necesse profectò fuerit, si methodica, & rationalis instituenda sit vulnerum curatio, invenien-

veniendorum remediorum initium ex ipſorum natura deſumi, ſi quidem auſpicari perpetuò oportet, dicebat Gal.4. Meth. 4. ab indicatione, quæ ab effectu, cui mederi paramus, accipitur. Cum itaq; vulnus ſit continui ſolutio, utique unionem vulnus indicabit. Sed nimis communis eſt hæc indicatio, ut ob id etiam parum ſit artificioſa, immò & plebejis cognita, nec ullam, aut parvam afferat utilitatem; quilibet è plebe novit, vulnus mediante unione ſanari, at quibus rationibus unio hæc habeatur, non eſt cuilibet notum, ſed ſoli artifici, non enim ſcire quid fieri oporteat, dicebat Gal. 6. Meth. 2. id magna res eſt, ut quod omnibus hominibus natura inſit, ſed quibus rationibus illud efficias, id ſcire artificum eſt, unde ſubjungebat eodem loco: Noſſe quid fieri oporteat, eſſe operum, quæ ex artibus expectantur, veluti principium quoddam, nondum aliquam eorum propriam partem, ſed quæ etiam ſit cuivis è plebe communis, cum primæ in omni arte faciendorum indicationes omnibus hominibus natura ſint præſto. Ob id igitur, ut ibidem concludebat Gal. nec qui vulneratæ parti naturalem unitionem eſſe moliendam novit, is medicus eſt, ſed qui, quibus id rebus perficiat, intelligit, & quo pacto etiam his ſit utendum, non ignorat; & denique qui viam omnem curationis eò uſque percalluit, ut ipſum conſequi deſtinatum finem queat, is demum eſt, qui mederi novit. Ut ergo illa adinveniamus, quibus perficiatur id, quod à prima indicatione ſuggeritur, per minus communes differentias ad proprias, & ſpecificas tranſeundum; ſic demùm facilè erit materiam invenire, qua conſequi propoſitum finem valeamus. Quare propria vulneris natura, & ejus differentiæ conſiderandæ ſunt, à quibus utiles eliciuntur indicationes, quamvis non ab omni vulneris differentia deſumatur indicatio, ſiquidem tempus, ut dicebat Gal. 3. Med. ult. nullam ſuppeditat indicationem, ſed in conſiderationem venit ſolummodo tanquam ſignum alicujus indicantis.

In primis autem videndum eſt, an vulnus ſit affectus ſimplex, an compoſitus, ſimplex enim affectus quatenus talis, unum tantum indicat, eò quòd unam tantùm habet naturam, at compoſitus tot requirit, quot ea, quæ in compoſitionem veniunt, quæ qui-

quidem in vulneribus multa esse possunt, nam & telum, & ejus portio, aut aliquod aliud extraneum corpusculum à telo ductum potest intra vulnus contineri: quandoque deficit substantia cutis, & carnis, quandoque ossis fractura adnectitur, & punctio ab ossis spiculo, quandoque contusio molliorum partium; & etiam duriorum, & hujusmodi: nonnumquam supervenit sanguinis profluvium; sordes interdum negotium facessunt, pariter inflammatio, erysipelas, dolor, convulsio, putredo, gangræna, & similia.

Ubi ergo vulnus est simplex nihil aliud indicat, quàm agglutinationem; cum nec caro, nec cutis, nec os deficiat, nec quidpiam aliud, nec etiam sit, quod removeri postulet, sed simplex divisio, nihil aliud relinquitur, posteaquam divisum est, quod priùs erat unitum, nisi ut eidem ad pristinam unitatem restituatur, atque ita disjunctorum fiat agglutinatio. Unde Gal. lib. Art. Med. c. 90. Continuitatis solutionis curatio intentionem quidem habent unionem. Et 3. Meth. ult. Quod ulcus tantùm est, nec quicquam aliud, ipsam tantùm ulceris sanationem desiderat, cujus utique propositus finis vel unitio, vel agglutinatio, vel coitio, vel continuatio est. Et 3. Meth. 4. Ulcus simplex agglutinari tantùm postulat. *Simplex vulnus quid indicet.*

At si substantia carnis deficiat, cum duplex sit affectus, continuitatis videlicet solutio, & carnis defectus, duplex etiam oritur indicatio, uniendi scilicet, & regenerandi carnem. Verùm repleto jam vulnere, adhuc labia diffident, & fieri nequit ob interpositam carnem, ut ad mutuum contactum adducantur, & agglutinentur: & propterea, ut pristinæ unitati restituatur particula, opus est, interpositam illam carnem cute, vel alia re simili obducere, nam cooperimentum desideratur, per quod fiat diffidentium labiorum unio. Unde Gal. lib. Art. Med. c. 90. In compositis verò complicatur ulceribus prima quidem cavitas, quam non alterum affectum, sed ulceris differentiam esse arbitrantur; est autem non differentia hujusmodi res, sed alterum aliquod ægritudinis genus, in quo ipsius substantiæ jactura facta est. Et quidem curatio in duplici morbo duplicem exigit intentionem; nam continuitatis solutio unitate, substantiæ autem jactura gene- *Vulnus cavum, quid indicet.*

ratione indiget. Et paulò post, cum itaque repletum fuerit cavum, ulcus verò ad æqualitatem perductum, alteram intentionem aboleri contingit, nam media existente inter labia ulceris carne, quæ nuper genita est, partes quidem distantes uniri impossibile est, unde fit, ut alia sit intentio perquirenda. Intentionem autem consequemur ex eo, quod est secundùm naturam, ipsi parti comparando; erat autem eidem cute obduci naturale: quare hoc ipsum à nobis procurandum, aut si hæc intentio effectum sortiri non potest, simile aliquid cuti, caro scilicet, quæ cutis naturæ vicina sit, instaurandum. Hoc autem nihil aliud est, quàm cicatrice vulnus obducere.

Peregrina corpora quæ causæ sint. Si peregrinum aliquod corpusculum intra vulnus contineatur sanationem remorans, aut etiam impediens, sui amotionem indicat; non enim tunc habet rationem externæ causæ, à qua nulla sumitur indicatio, sed internæ, & propterea indicat: quamvis nonnulli sint, qui telum, & corpus quodvis à telo ductum intra vulnus existens inter externas causas connumerandum censeant, nequaquam inter antecedentes appellatas, seù internas, eò quòd externæ causæ proprium esse dicant extrinsecus advenire, at cui proprium convenit, & id, cujus est proprium, ex quo sequitur ipsum non indicare sui extractionem, sicuti neque ambiens calidus in febre indicat sui alterationem ad contrarium, sed id habetur ex altera curatricis medicinæ parte, qua ea, quæ adversa sunt, præcaventur.

In curando dupliciter medicum se habere compertum est, nam vel remedia adhibet, & hæc per indicationes invenit, quando methodicam instituit curationem, vel ab adversis præcavet, & hoc directè non elicet per indicationes, sed tamen, & illud ad indicationes consequitur; in morbo enim calido frigida adhibet, quia talia indicat morbus calidus, ac calida removet, quia hoc consequitur ad frigidi indicationem; si refrigerans indicatur manifestum est; calefacienda arceri, ac removeri debere. Sic, si excitetur dolor capitis ex mora in sole ob caliditatem à sole inductam, profectò indicantur refrigerantia caput ob intemperiem calidam ipsius, & ex consequenti etiam fit notum, patienti non esse morandum in sole, non quia sol ablationem sui indicet. Idem esse

de

de telo intra vulnus existente profitentur; non enim telum indicat sui extractionem, sed quod extrahendum sit consequitur vulneris indicationem: vulnus unionem indicat, quam cum impediat telum manifestum est, necessariam esse ejus extractionem. Hujus signum est, quod si nihil remoraretur, aut impediret sanationem, & omninò nihil efficeret, neque nos illius curam haberemus, unde pila plumbea non rarò à nobis spernitur, ut quæ vulneris unionem, & curationem rarò impediat.

Extrahendum insuper esse telum, ex eo quoque deduci dicunt, quòd facillimè fit morbifica causa, dum partibus incumbit, easque comprimit, aut distendit, vel etiam rursus exulcerat, namque si pungens sit, & secans, dum movetur ægrotans, & vulneratam partem ad alium locum transfert, facili negotio continuum solvit, & ideò ex universali providentia telum extrahimus, non quia telum hoc indicet, sed quia id colligitur ex universali providentia: sicuti enim quilibet cavere debet à morbificis causis, & sicuti quilibet spontè etiam à dentibus feræ, & aliis externis injuriis cavet, ne sibi sint morbificæ causæ, ita etiam, ne telum illud fiat morbifica causa, extrahendum est. Hinc ulterius inferunt, teli extractionem non esse remedium, nisi sicuti si remedium diceremus, ubi quis contra se ipsum vibratum telum alio telo retorqueat, & ictum irritum faciat; est enim remedium futuri vulneris, ut ita dicam. Sic ergo extractio teli, dicunt, est præservatio à futuro vulnere, & ab ulteriori continui solutione, quandoque etiam extrahendum esse dicunt, quoniam actu solvit continuum, doloremque concitat, ut noxia removeamus, interdum etiam, quia prohibet remediorum applicationem; nunquam tamen, ajunt, vim habet per se indicandi, cum sit extrinsecus adveniens causa, & à causa externa nulla sumatur indicatio, teste ipso Galeno, neque curationis, neque providentiæ. Hæc quæstio logica est, & ad curationem parum facit, satis est medico nosse, extrahendum esse telum, si sanationem impediat; sive posteà telum sit, quod hoc indicet, sive ad aliam indicationem consequatur, parum refert.

Videtur tamen ad internas causas magis attinere; quis venenum ingestum inter externas causas poneret? & tamen extrinse-

cus advenit. Quis rabiem canini morsus occasione subortam, causam externam diceret? Sed his omissis, statuamus, peregrinum corpus sanationem impediens, aut etiam novi mali causa existens extrahendum esse.

Vulnus contusum, quid indicet. Non minus auferri postulant alia mala, quæ cum vulnere complicata morbi, aut morbificæ causæ habent rationem. Si cutis, & caro fuerit contusa, quod contusum est, abscedere debet in pus conversum. Unde Hip. lib. de Ulc. Si qua caro telo contusa, aut dissecta est, eam curare oportet, quo quàm celerrimè suppuretur, nam & minùs inflammatur, & necesse est carnes contusas, ac dissectas putrescere, ac pus fieri, & eliquari, ac consumi & Gal. 4. Meth. 5. Si caro aliqua telo tùm contusa, tùm cæsa sit, huic ita medendum est, ut quàm celerrimè suppuret, Hippocratis locum referebat, qui lib. etiam de Vuln. cap. hæc habet: Necesse est carnes contusas, & concisas pus fieri, & consumi.

Offis fracturæ. Si fractura ossis fuerit adnexa, ossis quoque agglutinandi indicatio suboritur. Si sordes, abstergendæ. Si sanguinis immoderatum profluvium, cohibendum. Si dolor accesserit, sedandus, & sic de aliis vitiis, quæ cum ulcere complicantur; unumquodque enim propriam indicat curationem, veluti suo loco explicabitur.

Methodus tractandi complicatos affectus. Non est autem oblivioni tradendum, quod circa complicatos affectus præcepit Gal. 7. Meth. 12. & 3. Meth. 9. & 5. de san. tuen. 5. & aliis in locis: Aliquando enim ex iis, quæ complicantur, affectibus unus, vel plures urgent, aliquando unus est aliorum causa, aliquando etiam unus, vel plures aliorum respectu obtinent rationem causæ sine qua non, ut nisi ipsi sanentur, sanari alii non possint, & proindè, ut dicebat Gal. triplex in hujusmodi complexionibus propositus est finis: unus veluti à causis sumptus ejus, quod post futurum est: alter, ut quod rationem obtinet ejus, sine quo non: tertius ejus, quod veluti accelerantium, vel urgentium nominatur. Urgens affectus is appellatur, unde primum, maximumque homini imminet periculum. Ubi ergo adfuerit urgens, ad id dirigi primum curantis consilium debet, cæteris, si fieri potest, non neglectis, interim tamen non primus modo curari debebit, verùm etiam solus; quippè tanta est quandoque urgentia,

ut

ut reliqui affectus, etiamsi insanabiles sint futuri, sint posthabendi, & quandoque etiam necessarium sit novum, & ipsum insanabilem inducere; Sic puncto musculi capite, si convulsio, quæ nulla convenientium medicamentorum vi remittatur, superveniat, præcidimus per transversum totum musculum, ut convulsionem sanemus, sed aliquem ex particulæ motibus vitiamus. Jam nervum punctum sæpè cogimur transversum præcidere, quoties vel convulsiones, vel deliria, vel ambo magna, ægreque sanabilia supervenire vulnerationi cernimus. Pari modo ubi luxatio cum ulcere in aliquo majorum articulorum incidit, ulcus sanamus, luxationem autem insanatam relinquimus; quando, si hanc quoque sanare conemur, convulsiones omninò sequerentur. In consilio, quod ex causæ ratione initur, animadvertendum est, quidnam eorum, quæ inter se conjuncta sunt augere, aut gignere reliqua possit, quæ rursus ab eo vel gignantur, vel incrementum accipiant: Ubi enim aliud est efficiens, aliud quod efficitur, ipsa causa spectanda est; procomperto enim habemus non posse ullum affectum sanari, manente adhuc ipsa, unde natus est, causa; idcircò si adesset urgens, & affectus, qui alios gignerent vel augerent, primum id agendum esset, ut ei, qui maximus est, propria medicamentorum materia accommodaretur, deinde pro causarum ordine reliqui essent curandi.

Ubi aliquis affectus alterius respectu habet rationem causæ, sine qua non, quia videlicet hunc sanari aute illum non liceat, ad id, quod ordo dictat, respiciendum est; in quo quidem consilio quid ante quod, vel quid cum quo, vel quid post quod sanari possit, animadvertendum est. Si enim ulcus simul cavum sit, & admodum sordidum, affectus præter naturam in hoc triplex est, scilicet ulcus, cavitas, & sordes; at ordo sanationis à sorde expurganda ordietur, quòd videlicet nec glutinari quicquam, nec carne impleri potest, priusquam purum fuerit. Secundùm locum exigit cavitatis sanatio, quando nisi cavitas impleta sit, induci cicatrice ulcus non potest.

Cum autem dignius sit, & longè magis expetendum futura mala avertere, quam ubi invaserunt, in eorum propulsatione vehementer insudare, & vulnera omnia, ut suo loco diffusè explicatum est, fluxioni sint obnoxia, à qua inflammatio, & plurima

alia mala ortum habent, statim ac vulneratus offertur, de prohibenda fluxione cogitandum est, unde si adhuc humores quiescant, ne iter arripiant ad vulneratam partem, curandum: At si jam moveri cœperint, cohibendus, & aliò avertendus est ipsorum motus.

Fluxionis semper habenda ratio.

Sed cum omnes istæ indicationes sint communissimæ, & ad minus communes, & specificas, ac determinatas sit descendendum, ut has inveniamus, operæ pretium est de unoquoque propositorum sigillatim verba facere. Primùm ergo de necessariò requisitis ad vulnerum sanationem, quando nullus supervenit affectus, sed sola adest noxa telo illata, pertractabimus. At de agendis ratione eorum, quæ complicantur, supervenientia, vel ob vulneris magnitudinem, vel ob malam curationem, vel ob errata vulnerati, aut simili alia de causa, posterius determinabitur. Quæ necessaria sunt pro vulnerum sanatione, quando nihil aliud mali supervenit, ut ad pauca capita ea reducamus, hæc sunt, agglutinatio in simplici vulnere, carnis generatio in cavo, cutis reparatio, seu cicatricis inductio in cutis defectu; quæ ubi assequuti fuerimus, nihil ampliùs desiderabitur pro perfecta vulnerum sanatione.

CAPUT XXIV.

De Agglutinatione, & agglutinantibus medicamentis.

Agglutinatio est opus naturæ.

AGglutinatio igitur est opus, quo divisæ partes ad pristinam continuitatem, seu unitatem reducuntur. Est autem opus non præsidii cujuspiam medici, sed ipsius naturæ, sicuti & carnis generatio, qua ratione dicebat Gal. lib. Art. Med. cap. 90. Coalescere autem facit ea, quæ invicem distant, ac pristinam restituit unitatem ipsa natura. Et 3. Meth. 4. Sicut natura in causa est, ut caro in vulnere cavo generetur, ita in simplici vulnere, ut oræ ipsæ secum coalescant, adeò ut si quæ dissideant, ad amussim componas, citra omnem reliquam extrinsecus molitionem coalescant. Idem pluribus aliis in locis repetit. Immò adeo solicita est natura de unione solutarum partium, ut ejus gratia non raro de proprio partis alimento subtrahat: Quòd si ita est, ipsa continui

solu-

ſolutio, ut talis, ſpecificas indicationes non ſubminiſtrabit: ſi agglutinationem ſolam indicat, quæ naturæ eſt opus, quid agendum ſpecificum, & determinatum ab ea deduci non poteſt.

Ut ergo appareat, undenam hoc ſit eliciendum, videre oportet, qua ratione fiat agglutinatio. Quòd quidem alicujus glutinis interventu fiat, non eſt dubitandum. Quomodo enim duo in unum coirent, niſi quod eſſet, per quod unum fierent? Hujus glutinis materia nulla alia eſſe poteſt, quàm eadem, ex qua nutriuntur ipſæ partes, ſanguis videlicet probus. Hic ergo ad partem nutritionis gratia attractus à finibus vaſorum in parietibus vulneris exiſtentibus, nec non & poroſitatibus hinc inde roris inſtar reſudans, à naturali calore partis elaboratur, & excoquitur, viſcidiorque redditur, ac denſatur, ut neceſſariò per eum coeant, quæ diſſidebant partes. Et ſi diligenter inſpiciamus, hujuſmodi gluten non eſt niſi exigua quædam carnis portio: poſteaquam ſanguis concretus, & denſatus à carnoſa parte non poteſt eſſe niſi caro, & niſi eſſet caro, labia ad veram continuitatem non redirent; mediaret enim quoddam extraneum, unde non eſſent unum, niſi ſicuti duæ leves tabulæ artificiali glutine conjunctæ. Hujus etiam ſignum eſſe poteſt cicatrix, quæ poſt agglutinationem remanet; eſt enim cicatrix caro exſiccata, & ſolidior facta, ut inferius determinabitur; igitur interventu carnis facta fuit agglutinatio. Quia tamen exigua admodum eſt carnis portio, per quam fit iſte coalitus, ut potiùs videatur vicem glutinis ſortiri, idcirco Gal. eam glutinis nomine appellare maluit. Hinc etiam eſt, quod 3. Med. 4. dicebat: Agglutinatio aut omninò carnis generatione non eget, aut planè exigua.

Agglutinatio quomodo fiat.

Dubitabit fortaſſe junior, quomodo agglutinatio poſſit eſſe naturæ opus, cum naturæ opera præcipua ſint nutritio, augmentum, & generatio, quibus famulantur attractio, retentio, concoctio, & expulſio, ad quarum nullam videtur poſſe reduci agglutinatio. Sed hæc dubitatio facilè ſolvitur; quamvis enim ad nullam dictarum operationum propriè reduci poſſit, aliquas tamen earum neceſſariò conſequitur, videlicet coctionem, & aſſimilationem, ſi alimentum, quod ad partes diviſas pro earum nutritione tranſmittitur, aut attrahitur, concoqui debet, & in earum ſubſtantiam

Agglutinatio quomodo ſit opus naturæ.

ſtantiam converti, ſejunctæ partes coaleſcant, neceſſe eſt; nam, quod hinc inde reſudat, commiſcetur, & fit unum corpus, itaque concoctum, & aſſimilatum partes ad unitatem neceſſariò reducit.

Cum ergo natura partis ſit ea, quæ diſciſſas partes agglutinat, parans gluten ex ſanguine, dum videlicet ipſum elaborat, concoquit, & aſſimilat, patebit quid agendum ſpecificum, ac determinatum ex conſideratione eorum, quæ naturæ opus impediunt, aut irritum faciunt, aut ſine quibus ejusmodi opus nullo modo, vel ægrè admodum perficeretur. Et proptereà, quæ à Medico ſunt agenda, ut proſperè ſuccedat agglutinatio, ad quatuor capita reduxit Gal. libro Art. Med. cap. 90. his verbis: Coaleſcere autem facit ea, quæ invicem diſtant, ac priſtinam unitatem reſtituit ipſa natura, noſtrum verò opus eſt applicare extrema diſtantium partium, atque in unum coacta conſervare, & tertio loco cavere, ne quid labiis ulceris intercidat, & quarto ipſam partis ſubſtantiam ſalubrem conſervare.

Medici partes, ut proſpere cedat agglutinatio: ex Gal.

Neceſſitas ejus, quod primo loco à Galeno proponitur, & ex Celſo quoque libro 5. ſuæ Medicinæ cap. 26. eſt manifeſta; quomodo enim coire poſſunt, quæ diſtant? adduci ergo ad mutuum contactum diſſidentia labia vulneris, neceſſe eſt, ſi debet fieri agglutinatio.

Sed neque hoc ſufficit; eadem enim ratione adducta maneant oportet, convenienti tempore, poſteaquam non in inſtanti agit natura, ex quo patet etiam neceſſitas ſecundi propoſitorum, unde & tertio Meth. 4. Quoniam in ulcere ſimplici ſola diviſio proponitur, diviſorum oras unà conjunctas eſſe oportet, & conjunctas manere. Et Celſus pariter loco citato varia proponit, per quæ iſtud aſſequamur. Quid extranei intra vulnus exiſtens, palam eſt, agglutinationem prohibere. Quomodo illa fient unum, inter quæ mediat aliquid, diverſi generis? Et propterea etiam 4. Meth. primò: Omne ulcus, dicebat, poſtulare, ne quid inter oras agglutinandas interſit. Antequam ergo adducantur labia, quodlibet extraneum diligenter auferendum eſt, quemadmodum etiam jubet Celſus loco citato, qui cum duo propoſuiſſet per quæ labia vulneris adducuntur adductaque conſervantur, hæc ſubjungit,

git, ex quibus neutra ante debet imponi, quam intus vulnus purgatum ſit, ne quid ibi concreti ſanguinis relinquatur, id enim & in pus convertitur, & inflammationem movet, & glutinari vulnus prohibet, ne linamentum quidem, quod ſupprimendi ſanguinis cauſa inditum eſt, inibi relinquendum eſt, nam id quoque inflammat. Poſtquam etiam adducta fuerunt labia, videndum erit, ne quid interponatur alieni; ſolent enim in vulnere ob naturalis caloris imbecillitatem excrementa generari, quæ ſi intra conglutinanda labia colligerentur, profectò agglutinationem impedirent, & propterea curandum eſt, ne ſi qua generentur excrementa, retineantur, ſed exitum habeant; itaque parandus effluxus. Hinc Gal. lib. Art. Med. cap. 90.

Tertium verò in cogendo in unum partes diſtantes exequemur, ſi nihil intrinſecus incidere permittamus; quoniam ſæpius uſu evenit, ut pilus, aut oleum, aut alia aliqua humiditas interveniens earum, quæ copulandæ ſunt, partium, unitatem impediat. In eo autem, quod ſequitur tempore per ſuffluxiones tertia intentio retinetur; Ipſa verò ſuffluxio ex ejusdem, & contrarii loci diviſione, & figura opportuna comparanda.

Non minus neceſſarium eſt partis ſubſtantiam ſalubrem conſervare, poſteaquam natura partis ea eſt, quæ vulnera conglutinat: ut ergo naturaliter ſe habeat pars, oportet, qua ratione dicebat Gal. quarto, Meth. 1. temperatam eſſe ſubjectam carnem ad ulcera tum conglutinanda, tum carne implenda prorſus oportere. Et, quoniam humiditas, quæ in vulnere generatur, ob naturalis caloris imbecillitatem, poſſet eſſe cauſa inflammationis, & putredinis, quibus pars propriam amitteret temperiem, eademque velut extraneum quoddam interpoſitum agglutinationem impediret, propterea Gal. loco citato, partis ſubſtantiam ſalubrem cum mediocriter exſiccantibus conſervari aſſerit. Inquit autem mediocriter exſiccantibus, quoniam exſiccantia ad glutinandum neceſſaria medium locum tenent inter ea, quæ carnem generant, & cicatricem inducunt, quæ enim carnem generant, excrementitiam tantùm humiditatem debent abſumere, at quæ cicatricem inducunt, ut ſuo loco patebit, non ſolùm debent humiditatem ſuperfluam abſumere, verùm etiam ipſam carnis ſubſtantiam exſiccare, & indurare,

Sarcotica.

Epulotica.

durare, propriam ipſius humiditatem abſumendo, ut caro vicem, & naturam cutis ſubeat: Medium verò locum obtinent glutinantia, ut & aſſerit Galenus 3. Meth. 4. & 2. de comp. med. per gen. cap. 21. ut quæ non ſolùm ſuperfluam humiditatem abſumant, verùm etiam fluentem in majori quantitate ſanguinem; at propriam carnis humiditatem intactam relinquunt. Meritò itaque videtur dixiſſe Gal. mediocriter exſiccantibus conſervari partis ſubſtantiam ſalubrem.

Glutinantia.

Glutinantia revera non agglutinant.

Glutinantia igitur appellata medicamenta impropriè glutinantia dici manifeſtum eſt, cum re vera non glutinent, ſed ſolùm impedimenta removeant, abſumentia omnem humiditatem, quæ inter agglutinanda ora poſſet colligi, & eſſe impedimento agglutinationi, unde Gal. 2. de Comp. med. cap. 21. Non enim tanquam ipſum ſarcoticum, aut uniens, neque tanquam hæc naturæ ſolius opera non ſint, ſed, quod talibus impoſitis medicamentis ulcera carne replentur, ac coëunt, appellationem hanc ſortita ſunt, & huc reſpexit Gal. loco citato, quando dicebat: Opus agglutinantium eſt conjungere, & diviſas partes conglutinare, ut in priſtinam unitatem particula reducatur. Unde loco citato ſubjungebat: Finis glutinantium medicamentorum eſt nullam inter partes jungendas naſci humiditatem permittere. Et Avic. lib. 2. tract. 2. cap. 4. Conſolidativa medicina eſt, quæ exſiccat, & inſpiſſat humiditatem ſtantem inter duas vulneris ſuperficies propinquas, ita ut convertantur ad glutinationem, & viſcoſitatem, & adhæreat una earum alteri. Quòd ſi medicamentum hoc ſimul fuerit adſtringens, tantò efficacius glutinationem adjuvabit, ſive adſtringens fuerit per ſe, ſive ex accidenti, nam ſua adſtrictione prohibebit, ne plus ſanguinis, quàm oporteat, aut ſuperflua alia humiditas ad vulnus confluat: præterea partes coget, atque conſtringet, ac in unum continebit, unde Gal. 3. Meth. 4. Glutinatorium plus ſiccet, oportet, quàm quod carnem producit, ac prætereà ſubſtantiam omnem in idem cogat. Hanc adſtrictionem tetigit etiam Avic. loco citato, quando dicebat: Et adhæreat una earum alteri. Dictum eſt autem, ſive adſtringens fuerit per ſe, ſive ex accidenti, quoniam aliqua ſunt, quæ per ſe adſtringendi vim non habent, ſed per accidens

dens eam acquirunt, veluti farina volatilis, quæ ſi aqua in formam pultis reducatur, & parti apponatur, dum poſteà ſiccatur, partes in unum cogit.

Neque tamen exiſtimanda eſt neceſſaria adſtrictio in glutinantibus medicamentis, multa enim ſunt, quæ glutinant, & tamen adſtrictione carent, & ſola ſiccitas ad glutinandum ſatis eſt, modò partes diviſæ ad amuſſim ſint compoſitæ, & ad earum exactam commiſſionem, quam non adeò facilè aſſequi licet, adſtrictio facit, quamvis & illa altera ratione admodum conducat, quòd prohibet confluxum ſuperfluæ humiditatis ad partem: quo etiam nomine frigidum tanquam repellens adjuvabit, ut patet de albuminibus ovorum, quæ tamen & per accidens adſtringunt. Verùm non ob id neceſſarium eſt glutinatorium eſſe frigidum, & repellens, neque etiam exiſtimandum eſt adſtringentia omnia glutinare, ſicuti neque omnia frigida; non enim glutinant, quæ detergunt vehementer, & expurgant, unde Gal. 3. Met. 4. Glutinatorium verò neque detergat, neque expurget, ſed contra potiùs ſubſtantiam omnem in idem cogat. Hinc Gal. 1. de ſimp. med. fac. cap. 32. Neutra igitur oratio vera eſt, ſi ſimpliciter, & indiſtinctè proferatur, tum ea, cum dicunt adſtringentia omnia ulceris glutinatoria, tum ea, cum ajunt, quæcunque glutinantur, adſtringentium beneficio glutinari. *Non eſt neceſſaria adſtrictio in glutinantibus.*

Non immeritò igitur ab iis, qui ſimplicium medicamentorum vires diligenter ſunt indagati, inter ea, quæ vulnera glutinant, recenſentur abietina lachrima, reſina pinea, terebinthina, reſina laricis, ulmi folliculorum concluſus liquor, pix arida, ſarcocolla, maſtix, thus, & cortex thuris, myrrha, gummi juniperinum, Arabicum, hederæ, tragacantha, balſamum naturale, Tacahamacha, Carranna, bitumen, aloë, gypſum, lapis Gagates, & Motochtus, lachrima ſanguinis draconis, bol. Arm. orientalis, terra Lemnia, terra Samia, terra Eretria, lapis Thracius, lapis hæmatites, amylum, farina volatilis, utrumque centaurium, hypericum, ophiogloſſum, equiſetum, trinitas, conſolida omnis, burſa paſtoris, alchimilla, potentilla, pyrola, virga aurea, ſanicula, auricula urſi, piloſella, biſtorta, tormentilla, balſamina, & ejus fructus, gratiola, fragaria, plantago, quinque folium, millefolium, ver- *Simplicia glutinantia.*

bascum, verbena, flos Solis, veronica mas, isatis, brassica rubra, clymenum scordium, utrunque polygonum, polium, ulmi folia, querna folia, mespili folia, cupressi folia, & nuces, balaustia, malicorium, hypocistis, tiliæ cortex, coccum infectorium, vinum adstringens, mel coctum, tela aranea, & alia multa, cùm una, vel plures qualitates ex dictis in unoquoque eorum reperiantur. Eliciunt etiam ex resinis, & gummi propositis per artem chymicam olea, quæ mirificè ad glutinationem vulnerum facere profitentur, potissimùm autem ex terebinthina, & abietina lachrima, nec non & thure, myrrha, Peruniano balsamo, liquore in folliculis ulmi contento, resina pinea, gummi juniperino, imò & ex cera, ac melle.

Composita. Ex dictis etiam simplicibus, innumera in eumdem usum componunt. In officinis autem præparata habentur ceratum Barbarum, ceratum palmeum, unguentum ex resinis, ceratum de betonica, emplastrum de centaurea, oleum de hyperico, oleum Hispanæ appellatum, balsama arte facta, emplastrum ex radicibus consolidæ, & melle cocto. Accipiunt etiam thuris, myrrhæ, sarcocollæ, gummi juniperini, gummi Arabici, mastiches, gummi hederæ, gummi ellemi, lachrimæ sanguinis draconis, balsami Peruniani, Tacahamachæ, Cerannæ an. un. j. s. abietinæ lachrimæ, liquoris in folliculis ulmi conclusi an. lib. 1. resinæ pineæ lib. ſ. radicum tormentillæ, bistortæ, iridis, aristolochiæ rot. consolidæ, dictamni albi an. unc. s. baccarum juniperi, lauri an. dra. 6. aquæ ardentis optimæ lib. 3. & curiosè mixta destillationi subjiciunt, tresque eliciunt liquores, quorum primus aquæ speciem refert, omnes tamen ad glutinanda vulnera, plusquam credi possit, facere prædicant. Sed nihil est, quòd multa composita referamus, qui enim callet, artem componendi medicamenta, ex propositis simplicibus innumera conficiet.

Non omnia corpora eadem glutinantia requirunt. Quæ ex Galeni mente requiruntur, ut prosperè succedat agglutinatio, explicata sunt. Addit tamen 3. Meth. 7. non omnia corpora eadem glutinantia requirere, sed quæ sicciora sunt, & valentiora, sicciora quoque, & valentiora requirere, quæ verò humidiora sunt, & infirmiora, mitiora. Quod & de partibus vult esse intelligendum.

Alia requisita ad agglutinationem. Verùm cum ad vulnera glutinanda, ut superiùs dicebatur ex Galeno 4. Meth. 1. temperatam esse subjectam carnem oporteat, & præ-

præterea ſanguinem eſſe probum, & quantitate mediocrem, ut ibidem dicebat Gal. nemini dubium eſt, avertenda ea eſſe, quæ poſſunt partis temperiem corrumpere, ſanguinem augere, aut mala qualitate inficere, & ad putredinem etiam trahere. Et quoniam ſuccorum fluxio, quæ in omnibus vulneribus eſt timenda, temperaturam partis vitiat, & ipſum ſanguinem, qui futurus eſt gluten, indecens autem victus ſanguinem aut auget, aut aliter malè diſponit, idcircò, inhibenda erit fluxio, & probus victus inſtituendus, ut optimus ſanguis generetur, & qui ſecundùm quantitatem modum non excedat. Quòd ſi nimia ſubſit ſanguinis copia, conſtat eam eſſe minuendam, aut ſi vitium aliud contraxerit, illud eſſe corrigendum. Potuiſſet quidem totum hoc ad quatuor à Galeno allata redigi, niſi Gal. ubi illa propoſuit, ita ſe explicaſſet, ut facilè ſit intelligere, non poſſe inter quatuor dicta compehendi. Re vera tamen dum ſuccorum affluxum prohibemus, & ſanguinis inutilem copiam detrahimus, atque congruam victus rationem præſcribimus, negari non poteſt, quin & ſubſtantia partis ſalubris conſervetur, & præcaveatur ex parte, ne putredo inter glutinanda labia interponatur. Sed forſan Gal. ſimplicem ſimplicis morbi curationem proponere voluit; quæ enim fluxionem reſpicit, ad complicatum affectum pertinere videtur : & propterea dicebat ad eam partem ſpectare, quæ de meditatione ſuccorum præcipit. Quia tamen in omni glutinando vulnere habenda eſt horum ratio, eadem nobis liceat illis quatuor addere, quæ Galenus adduxit, vel inter illa complecti.

CAPUT XXV.

De carnis regeneratione, & ſarcoticis.

QUòd, & carnis regeneratio ſit naturæ opus, non eſt dubitandum; fit enim caro ex ſanguine, at medicamenta ſanguinem coquere, & in carnis naturam vertere non poſſunt, ſed hoc eſt naturæ munus, ideò Gal. 3. Meth. 3. & 4. & 5. Meth. 3. & pluribus aliis in locis productionem carnis naturæ opus vocat. Ex ſanguine igitur, qui ad partem pro nutritione tranſmittitur, *Carnis generatio eſt naturæ opus.*

Quæ requirantur, ut caro generetur.

natura partis vulneratæ carnem generat, ſicque cavitatem replet, unde probus ſanguis ſit oportet, aliter non eſſet idonea carnis materia, quin potiùs malum aliquem affectum concitaret; & in convenienti quantitate, ita ut nec deficiat, quo ſufficiens caro pro replenda cavitate poſſit generari, nec exuperet; ſic enim potentiam opprimeret, undè putredines, & inflammationes pro carnis generatione; ſanguis etenim, quem proprius calor non obtinet, dicebat Gal. 2. de dif. feb. capitulo ultimo, nihil habet reliquum, niſi ad putredinem convertatur, vel ſaltem vulnus excrementis ſcatens redderet, quod ſanationem remoratur. Cùm etiam natura partis vulneratæ ſit, quæ carnem generat, temperata quoque debet eſſe pars vulnerata, unde Galen. quarto: Meth. primo. Itaque temperatam eſſe ſubjectam carnem ad ulcera tum conglutinanda, tum carne implenda prorſus oportet. Numquid igitur hoc tantùm ſatis eſt? An etiam ſanguinem, qui affluit, bonum eſſe & mediocrem quantitate oportet? mihi id quoque multò maximè verum eſſe videtur, nam & qui corruptus eſt ſanguis, tantùm abeſt, ut ad glutinandum, & carne implendum ſit utilis, ut etiam ipſe nonnunquam erodat, atque exulceret. Multus humor, cum in ulceribus excrementa creet, ſanationem moratur. Temperiem carnis propoſuit Gal. 3. Meth. 9. dicebat enim: Juſta ſubſtantiæ partis temperies cauſæ rationem habet, ut quæ concreſcere ſecum, quod ulceratum eſt, faciat, & cavitatem impleat. Idem 4. Meth. primo, & aliis in locis.

Ad quam facultatem ſpectet carnis generatio.

Quoniam autem non unica eſt naturalis facultas, ſed multiplex, ad quam opus hoc ſpectet, dubitari non injuria poſſet; prima quidem facie videtur eſſe augmentativæ opus, cùm augeatur quantitas carnis ſecundùm omnem dimenſionem, quod eſt augmenti proprium; ab augmentativa ergo facultate prodeat, neceſſe eſt. Altera verò ex parte illud obſtare videtur, quòd in augmento præexiſtens caro illa eſt, quæ augetur ſecundùm omnem dimenſionem extenſione mediante, at in carnis productione non eſt præexiſtens caro, quæ in majorem molem creſcat, verùm nova caro eidem adnaſcitur, & novæ dimenſiones, quarè non videtur hoc augmentum, ſed nova generatio; nec propriè dici poteſt carnem in vulnere augeri, quamvis vulgo dicatur, in vulnere, dum caro generatur

neratur carnem creſcere; tranſmittitur enim ſanguis, & attrahitur ad partem pro ſui nutritione, unde portio ipſius à finibus vaſorum in ſuperficie vulneris exiſtentibus, & à poris exudat, & à natura partis elaboratur, condenſatur, atque aſſimilatur, & ſic fit vivens caro, extenſa ad eandem anima. Niſi quis ex eo verum augmentum eſſe contenderet, propterea quòd ſi nova eſſet caro, quæ generaretur, & adderetur præexiſtenti, non apparet, quomodo poſſit vivere; poſteaquam unaquæque pars vivit proprio, & innato calore à principiis generationis contracto, quem predictæ illi additæ ineſſe non poſſe certum eſt. Hæc quæſtio nimis excedit Medicinæ limites, & parum etiam ad rem facit, breviter tamen dicimus, ſicuti extenditur anima ad aggeneratam ſubſtantiam per augmenta, ita & innatum calidum, & eodem modo res ſe habet in generatione novæ carnis; vivit ergo nova illa caro innato calore, quem tamen non à principiis generationis contrahit, ſed à proximis partibus mutuatur. Hoc declarant nattæ, & tumores illi carnoſi, quos non auctam carnem licet dicere, ſed novam additam fateri oportet, & tamen vivit hujuſmodi caro, & omnia naturalia opera exercet. Sed quomodocunque res ſe habeat, pro comperto habere poſſumus ad operationem nutritivæ facultatis conſequi vulneris cavi repletionem; nutritiva ſiquidem facultas in parte vulnerata exiſtens ſanguinem in ſubſtantiam partis loco deperditæ convertens, etiam quod ex ſubſtantia carnis in ipſa deficit, reparat ſanguinem conficiendo, & aſſimilando, cùm maximè unionem diligat, ſolutionem verò continui abhorreat.

Quoniam ergo medica auxilia ad carnis productionem primariò non conferunt, ut quæ ſolius naturæ ſit opus, medici officium circa impedimentorum remotionem ſolummodò verſabitur, & ab iis quid agendum ſpecificum, & determinatum deſumet. Ut ergo invenire poſſimus, quæ nobis pro generanda carne ſint agenda, Galenus tertio Meth. tertio huic innixus fundamento, quòd materia generandæ carnis eſt ſanguis bonus, opifex verò, & auctor natura ſubjectorum corporum, quibus ſuperinduci caro debet, quæ quidem natura ex calidi, frigidi, humidi, & ſicci temperatura conſiſtit, & proindè quod juſtum horum temperamentum in ſubjectis particulis, quibus reſtituturi deficientem carnem ſumus, *Medici partes.*

opificis

opificis rationem habet, duo nobis in omni vulnere cavo proponit considerANDA: unum eſt, num, quod ſubjectum eſt, juſta ſit temperie, hoc eſt ſecundùm naturam ſe habeat: alterum, ſit ne ſanguis, qui influit, bonus, ac mediocris, horum enim alterutro vitioſo exiſtente multi affectus præter naturam exiſtunt, qui removeri poſtulant, & de iis aliàs pertractat. Una ergò cavitate in parte carnoſa propoſita, ſi ſana eſſet pars, & ſanguinis confluxus citra ullum, vel in qualitate, vel in quantitate vitium, nihil præterà obſtare poſſe concludit, quo minus prima carnis generatio proſperè ſuccedat, idque nullius externi medicamenti ope.

Impedimenta. Atqui in ipſa prima carnis generatione, duplex provenire excrementum, neceſſe eſt profitetur; ſicuti in qualibet coctione, & alimenti mutatione, unum videlicet tenuius, alterum craſſius, & quamvis tenuius, quod in tertia coctione generatur, cùm ſana eſt caro, per inſenſibilem halitum diſſolvatur, unde dicebat, his excrementis etiam per univerſum corpus ſemper provenientibus, quod tenuius eſt, ipſa inviſibilis eſt perſpiratio, in ulceribus tamen ob naturalis caloris imbecillitatem, qua etiam de cauſa, ſicuti, & nonnunquam quoniam corpus utitur nutrimento, quàm juſtum ſit, ampliore, vel motus quiſpiam vehementior animali contingit, aliàs fieri ſolet, ſubindè fieri viſibile, aſſerit, cum fiat tenuis quædam ſanies, ichor Græcè dicta, ex qua ulcus redditur humidum; craſſum verò excrementum, quod quidem ſana exiſtente carne, eſt ſordes, quæ in ſummo corpore noſtro colligitur, & ſubuculas inficit, & pilorum eſt materia, in ulceribus eſſe ait ſordem, ex qua ulcus redditur ſordidum, & hæc excrementa cum generationi carnis ſint impedimento, ulteriùs infert; duplicibus propterea medicamentis ulcus egere, utique ut humidum eſt, ſiccantibus; ut ſordidum, quæ ipſum expurgent, & quoniam nullo unquam tempore natura ceſſat, & proindè nec tempus ullum eſt, in quo non ambo hæc in cavo ulcere colligantur, concludit etiam, nec tempus ullum eſſe, in quo non utrumque medicamentorum genus deſideretur ab ulcere, utique, & quod ſiccet, & quod expurget.

Medicamenta, quæ Quoniam autem ipſorum ſiccantium quædam magis exſiccant, quædam minùs, immo quatuor ordines ſiccantium ſtatuuntur,

tur, & in unoquoque etiam ſiccante tres manſiones notantur, ut quàm ſiccans medicamentum eſſe debeat, noſcamus, finem, quo tendunt, reſpiciendum jubet, quippè ſuperfluam humiditatem tantùm abſumere debent, nequaquam affluentem ſanguinem; ſi enim non modò humoris, qui influit, redundantiam conſumerent, verùm etiam affluentem ſanguinem depopularentur, ea refici carnem, ceu materiam ejus abſumentia, prohiberent. His ergo de cauſis vult, ut modicè tum ſiccent, tum detergant, ita ut primi ſint ordinis.

carnem generant, ſicca eſſe debent, & detergentia.

Verùm quoniam non unica eſt omnium corporum natura, ſed varia admodum, & propterea, quòd medicamentum in uno ſiccabit ut duo, in alio ut tria id præſtabit, in alio verò ut unum tantùm, & productam carnem ei, quæ antè erat, ſimilem eſſe oportet, ulceraque ipſa in humiditate non ſunt æqualia, nam alia magis, alia minus humida ſunt, ut diſtinctius habeamus, quam ſiccans eſſe medicamentum conveniat, ægri naturam, & ulcerum diverſitatem, inquit, eſſe conſiderandam: id enim nobis proponentes, quod ſecundùm naturam ſe habet, cuſtodiam ſui indicare, & propterea, quæ ſimilia ſui ſunt, poſtulare; quòd verò præter naturam eſt, ſublationem ſui, eòque contraria requirere, proculdubio comperiemus, inquit, ulcus, quòd eſt humidiùs, eò ſanè medicamento, quòd magis ſiccet, indigere, corporis verò naturam, quanto eſt humidior, tanto quòd minus ſiccet, medicamentum poſtulare: idemque eſſe de parte aſſerit tertio Meth. ſeptimo: Sicciore quidem ſicciora poſtulante, humidiore verò humidiora; unde ſi qua ſint vulnera, quibus par eſt humiditas, quod in ſicciore corporis temperamento conſiſtet, utique magis ſiccari poſtulabit, quod in humidiore, hoc ſanè minùs, quo natura naturæ intereſt, & ſic novella caro erit præexiſtenti ſimilis. Itaque colligit inveniri non poſſe unum pharmacum, quod omne ulcus cavum ſanet, immò pro modo humoris, ſordiſque, atque ipſo laborantis, temperamento immutandum medicamentum, quandoquidem quod in uno carnem generat in alio forſan ſordem, & ſaniem producet & in alio etiam ultra modum ſiccabit, & deterget: ideòque nos admonet, ſi quando aliquo appoſito ſarcotico nihil proficiamus, ut ſordem, & ſaniem conſideremus, quo poſſimus cognoſcere,

Ex quibus habeatur quam ſiccans eſſe debeat ſarcoticum.

noſcere, num medicamentum parciùs ſiccavarit, an uberiùs; nam ſi pluſculum ſordis ſit, totumque ulcus humidius, intra modum ſiccavit, ſin purum, & abſque humore cernitur, ultra: ſtatim quoque menſuram exceſſus, defectuſque ſubjungit, ex ipſo notarum modo intelligemus, tantòque pharmacum, quod deinceps applicabitur, vel ſiccius, vel non tale admovebimus. In quo tamen de alio nos admonet tertio Meth. 6. ne videlicet copia ſordis nobis imponat, quæ interdum provenit, quia medicamentum ſit valentius, quàm pro corporis natura, & propterea de ſubjecta carne nonnihil una detrahat,& colliquet: quod quidem eveniſſe, ait, cuidam Medico, qui curabat ulcus ſordidum citra rationem viridi medicamento, mel ei admiſcens, multis autem diebus æquè ſordidum reperiens, deindè inops conſilii, nec habens, quò ſe verteret (accidebat enim, ut non modò non purgarentur ſordes, ſed etiam ut de ſubjecta quoque carne nonnihil una detraheretur, & colliquaretur, propterea quòd medicamentum valentius, quàm pro laborantis natura erat) plus deindè (ut erat egregius Medicus) mellis aſſiduè medicamento adjiciebat, quò videlicet adhuc valentiùs purgaret, ceu non ſatis medicamentum priùs adhibitum feciſſet: eveniebat autem contra quippe quantùm ille intendebat medicamentum, tantùm ſubjecta caro colliquabatur. Quod verò in ulcere ex liquata carne ſordis apparuit, id Medico, ceu medicamentum nihil efficeret, impoſuit. Ideoque ibidem notas tradit, ex quibus cognoſcamus, quando ſordis copia ex valentiori medicamento provenit, & quando ex imbecilliori, dicens: Etenim ſi quàm maximè ſimiliter ſordidum ex utroque medicamento ulcus deprehenditur, at certè cavitas major ex valente, & quod colliquat, medicamento efficitur. Quin etiam labiis præaltis, rubrumque, & phlegmone quodammodò affectum ulcus cernitur: aliquando verò roſionem quoque manifeſtam ex hujuſmodi medicamento æger ſentit. Quod verò minus, quàm par eſt, ſiccat, non quidem mordet, neque quicquam efficit eorum, quæ retuli. Ut concludere liceat in Galeni doctrina, quemadmodum etiam videre eſt 3. Meth. 4. & 2. de Comp. med. per gen. c. 1. & 20. & pluribus aliis in locis, ad vulnera carne implenda requiri medicamentum exſiccans, & detergens, mediocriter ſine morſu, æſtimata facultate

Signa, ex quibus cognoſcitur, num medicamentum parcius, vel pluſquam par ſit ſiccaverit.

Sarcotica qualia.

cultate in reſpectu ad excrementorum copiam, & qualitatem, corporiſque, & partis affectæ naturam; hujuſmodi enim quemadmodum refert 2. de Comp. med. per gen. cap. 20. ſanguinem ad refectionem idoneum tum pro qualitate, tum pro quantitate tuetur, ac tantùm, talemque quanto natura, & quali ad carnis generationem indiget. At quæ mordent, etſi detergeant, non tamen cavitatem replent, niſi iis permiſceantur, quæ morſum obtundunt, immò ſubjectam carnem potiùs colliquant, unde & Gal. 2. de Comp. med. per gen. c. 20. Cæterum quod nullius ſit mordicationis particeps medicamen purum ulcus ſervat, ſiquidem tale acceperit. Sordidum verò neceſſe eſt illud tantùm pro ſua ipſius poteſtate detergere, quantùm craſſitudinis ſordes habuerit; quin etiam carnem recens junctam mordere, & exedere debebit. Undè palam colligitur, id, cum tale exiſtat, ulceri carnem non eſſe inducturum, nec cavitatem carne repleturum, ſed quod potiùs ipſam colliquabit, imminuetque, atque hujus rei cauſa medicamentum, quod ſordibus copioſis repurgandis eſt, non ſemper carnem poteſt gignere, niſi vel uberiore oleo, vel roſaceo liquatum deterſionis vehementiam remittat, vel ex cerati mixtura roſionem deponat.

Ex his licet colligere non parum inter ſe differre glutinantia, & ſarcotica, ut etiam notat Gal. 3. Meth. 4. Namque glutinatorium plus ſiccet oportet, quàm quòd carnem producit; prætereà quod carnem producit, ſtatim etiam detergendi vim obtineat, oportet, quo non modò redundantiam humoris ſiccet, ſed etiam ſordem auferat: glutinatorium verò neque detergeat, neque expurget, ſed contra potiùs ſubſtantiam omnem in idem cogat. Quam facultatem habere, ait, medicamenta ea, quæ auſtera, & adſtringentia vocantur, à quibus, dum carni producendæ ſtudemus, maximè cavendum monet, ut quæ ſordem ulceribus arctiùs affigant, quam ut facilè poſſit abſolvi, ut proprium opus glutinantium, & ſarcoticorum, ſeu carnem generantium ſit, quod ipſe fatetur 2. de Comp. med. per gen. cap. 20. affectam partem recrementis vacuare, ne videlicet ſanies carnis generationem, glutinationemque impediat, qua ratione hæc glutinantia, illa verò ſarcotica vocantur, non autem, quia primò faciant ad glutinationem, & carnis generationem, & ideò neque omnis natura, ut docet 3. Meth. 7. eadem

Differentia inter glutinantia, & ſarcotica.

dem glutinantia, & sarcotica requirit, sed ſiccior, & valentior valentiora, humidior, & infirmior mitiora. Hanc Galeni doctrinam poſteriores ferè omnes ſequuti ſunt, unde Paulus lib. 4. c. 40. Cavum ulcus carnem, quæ periit, reſtitui poſtulabat, cujús generandæ materies ſanguis moderatus eſt, & probus, opifex verò natura. At ex recremento tenui humidum ulcus redditur, ex craſſo ſordes coaleſcunt, eoque medicamentis eget, quæ modicè ſiccant, purgantque. Quòd ſi nihil medicamentum ad creandam carnem inductum profecit, ad aliud ſic digrediendum eſt; ſi pluſculum ſordis ſit, humidiuſque ulcus, ſciendum venit medicamentum intra modum ſiccaſſe, intendendumque eſſe ipſum mellis mixtura: ſin purum, & abſque humore cernitur, ultra, ac remittere convenit. Accidit etiam nonnunquam carnem à valentiori medicamento conſumi, ut ſordidum, humidumque ulcus appareat, quemadmodum ex iis, quæ minus, ac par eſt, ſiccant; verùm hoc ulcus, dum conſumitur, cavum magis evadit, labris prætumidum, rubens præterea, & inflammationis particeps: ſæpè verò æger manifeſtam eroſionem percipit. Alterum illud, quod à parum ſiccantibus remediis humeſcet, nihil horum ſuccidaneum habet, & Avic. quarta quarti, tract. 1. capitulo quarto: Medicamen faciens naſci carnem eſt illud, quod coagulat ſanguinem ſanum in carnem. Quòd ſi fuerit ei exſiccatio vehemens, prohibet venientem ſanguinem, quarè non habebit materiam caro; Et ſi eſt abſterſio ei vehemens, removet eam, & facit eum currere, quare conſumit materiam inventam carni, ergo oportet, ut non ſit ei plurima exſiccatio, immò uſque ad terminum, neque abſterſio fortis valdè, immo abſterſio pauca in tanta quantitate, ut abſtergat ſorditiem abſque mordicatione, & non indiget ſtipticitate, de qua eſt curandum. Et capitulo undecimo. Et ſcias, quòd quandoque eſt medicina faciens naſci carnem in corpore, aut membro, & non eſt faciens naſci in alio, & illud ideò, quoniam fortaſſe exſiccat in corpore, & non exſiccat in corpore ſecundùm complexiones duorum corporum, & ſecundùm quod ſciviſti fortaſſe ſuperfluit abſterſio in corpore, & non ſuperfluit in corpore, neque eſt abſterſio omninò, cum hæc medicina indigeat exſiccatione quadam, & abſterſione quadam menſuratis ſecundum corpus, & non abſolutis, & res menſurata

eſt

est diversa cum impressione sua in rebus, quæ non sunt convenientis quantitatis in passione. Et omne exsiccativum quidem, cujus siccitas est minor siccitate corporis, quod cum eo curatur, est iterum abbreviatum ab hoc, ut faciat nasci carnem ejus, immò oportet, ut sit siccius eo, & propter illud fit, quod olibanum non facit nasci carnem in corporibus siccis, quæ pertranseunt æqualitatem in siccitate, & experimentum quidem est illud, quo scitur illud, quod est ex exsiccatione, & statione, scilicet, quod non ultra operatur, & quod facit nasci carnem secundùm processionem, vel continuatim successivè, & quod sordidat, seu quod sorditiem generat. Quòd si videris exsiccationem, cum qua fortasse non nascitur caro, tunc humecta parumper medicamina sicca, & si sit sordes, tunc adde in siccitate, & dimitte illud, quod vadit secundùm virtutem suam. Et inferius, quòd si corpus fuerit siccum, & ulcus humidum valdè, tunc necessariæ sunt medicinæ vehementis exsiccationis cum comparatione ad medicinas facientes nasci carnem & in residuo sunt necessariæ medicinæ, quæ sunt mediæ, & quarta primi, doct. quinta, cap. 28. Si autem illud, quod perditum fuerit, fuerit caro, sicut est in ulceribus profundis, non erit festinandum in cicatrizando ea, immo primò erit studendum, ut caro in eis nascatur. Et caro quidem non generatur nisi ex eo, cujus siccitas non multùm primum gradum transcendit.

Verumtamen hic considerationes attenduntur, de quibus cura est habenda. Et ex eis est consideratio dispositionis complexionis membri principalis, & complexionis ulceris, quoniam si membrum in sui complexione fuerit multæ humiditatis, sufficit siccitas pauca in primo gradu, quoniam ægritudo non multùm fuit elongata à natura membri: sed si membrum fuerit siccum, & ulcus humiditatis multæ, erit necessarium illud, quod exsiccet in secundo gradu, & tertio, ut reducat ipsum ad suam naturalem complexionem, & in temperatis quidem dispositio erit æquanda. Et ex eis est complexionis totius corporis consideratio, nam cum corpus fuerit multæ siccitatis, & membrum augmentatum in humiditate, fuerit in humiditate temperatum, secundum corpus æquale cum temperamento erit exsiccandum. Et similiter si corpus fuerit in humiditate augmentatum, & mem-

brum in ſiccitate. Et ſi ambo ad augmentum deveniunt, tunc ſi egreſſus fuerit ad humiditatem, minori exſiccabitur ſiccitate, & ſi fuerit ad ſiccitatem, majori ſiccitate exſiccabitur. Et ex eis eſt conſideratio virtutis ſiccantium; quoniam licèt exſiccantibus carnem naſci facientibus exſiccatio fortis non quæratur, qualis eſt illa, quæ prohibet materiam, quæ deſcendit ad membrum, quod ſit aptum ad hoc, ut carnis generatio ſit ex ea, ſicut quæritur in exſiccantibus, quæ non adminiſtrantur propter generationem carnis, ſed propter cicatrizationem; tamen ex eis quæritur, ut ſint ipſa abſtergentia, & lavantia ſaniem, magis quàm exſiccantia cicatrizantia, ex quibus non quæritur, niſi cicatrizatio, & conſolidatio, & continuatio. Et omnes quidem medicinæ, quæ ſine mordicatione deſiccant, ſunt ingredientes in genus earum, quæ carnem naſci faciunt. Quamvis autem Avic. quarta quarti, tract. primo, capitulo quarto, videatur referre carnis generationem in ipſa medicamenta, dum inquit: Medicamen faciens naſci carnem eſſe illud, quod coagulat ſanguinem bonum in carnem, vel ſaltem ſtatuere actionem medicamenti ſarcotici in ipſum ſanguinem, cum in Doctrina Galeni excrementa tantùm reſpiciat; quia tamen in aliis ne latum quidem unguem à Galeno recedit, exiſtimo illis verbis nihil aliud voluiſſe Avicennam, niſi medicamen faciens naſci carnem eſſe illud, quod naturam adjuvat, ut coagulet ſanguinem ſanum in carnem, abſumendo videlicet excrementa, aut mendum eſſe in codice Avicennæ.

Eodem modo à reliquis ferè omnibus, qui poſt Galeni tempora fuere, de ſarcoticis, quibus cavitas vulneris replenda eſt, determinatum comperies, ideoque paſſim inter ſarcotica recenſentur thus, hordeacea, fabacea, & erui farina, iris, ariſtolochia, Cadmia, panax, pompholix, aloë, myrrha, ſcordium, hypericum, pix arida, pix liquida, lignorum caries, ex quibus alia valentiora ſunt, & ob id ſiccioribus, & valentioribus naturis convenientia, ut ariſtolochia, & panax; alia verò minimum ſiccant, & proindè mollioribus, & infirmioribus naturis convenientia, ut farina hordei, fabarumque, & thus; alia verò inter hæc media ſunt, ut erui farina, & iris, quæ idcircò mediis naturis convenire dicunt.

Sarcoticæ ſimplicia.

dicunt. Habentur etiam multa composita in eandem rem, cujusmodi est pulvis sarcoticus appellatus, pulvis ex æquis portionibus myrrhæ, thuris, & aloës confectus, qui est in frequenti usu apud Bononienses, unguentum basilicon majus, unguentum fuscum, unguentum de betonica, de gummi Ellemi, oleum de hyperico, oleum Hispanæ appellatum, Balsamum arte confectum, & ejus aqua, & alia multa. *Composita.*

Aliam tamen considerationem addit doctissimus Mercatus lib. 2. de præsid. Art. Med. usu cap. 13. parum à Galeno, & reliquis deflectens, duplici enim ratione siccandum in vulneribus cavis animadvertit, ut caro generari possit, prima quidem ob tenuem illam saniem, à qua ulcus redditur madidum, sed tamen non medicamentis, quæ potestate siccant, qualia sunt ea omnia, quæ à Galeno proponuntur, & ejus sectatoribus; verùm iis tantùm, quæ ebibendo, & sugendo hujusmodi saniem, ulcus ab illo madore liberent, qualia sunt linea filamenta, aut canabina, spongia, & extersio crebra lineis, & mollibus linteis, vel gossipio, aut lana. Quod enim huic saniei nihil prosint medicamenta potestate sicca, ex eo colligit, quòd sanies in carnis generatione prodiens tanquam excrementum à carne ipsa ad ulceris cavitatem pellitur, quemadmodum quotidiana experientia demonstrat, palam est autem, saniei intra vulneris cavitatem contentæ nulla lege proficua esse medicamenta, quæ potestate sunt sicca, sed ea tantùm, quæ actu siccant, ut dictum est. Altera ratio, propter quam siccandum esse existimat, est ut caro generetur similis præexistenti, ob idque medicamenta potestate sicca à Galeno relata convenire profitetur. Cùm enim calor naturalis ob cutis defectum facilè evanescat, non valet, veluti cum sana pars erat, sua munia prosperè perficere, unde licet carnem generet, non tamen præexistenti similem generat, hoc est æque solidam, & densam, sed molliorem, cum non possit pusillus calor ad unguem discutere, quod alimenti superest. Ut ergo genita caro robur, firmitatem, soliditatem, & consistentiam habeat, necessaria semper esse medicamenta, quæ potestate siccent, concludit. Cujus etiam evidentissimum argumentum illud esse asserit, quod diversi gradus exsiccantium statuuntur, indicatione sumpta à partis vulneratæ natura, propter aliud enim id fieri non potest, *Alia requisita ad carnis generationem.*

poteſt, niſi ut caro, quæ refici debet, parti ſimilis evadat, & ejuſdem ſit compagis, & naturæ cum ea, quæ in parte præeſt; quod ſi ſolis ſanioſis humoribus hujuſmodi medicamenta deberentur, non eſſet opus diverſos illos ſiccantium gradus conſtituere, indicatione ſumpta à partis natura, ſed ratione petita à majori, aut minori copia humiditatum, quæ non intenſiora, aut remiſſiora exſiccantia exoptant, ſed majorem diligentiam in artifice, hoc eſt, detergendi, & repurgandi frequenter, & ut convenit, ulcus ipſum linteis, & penicillis. Idem ex eo poſſe colligi, ait, quòd ſi leviora exſiccantia, quam par eſt, adhibeamus, caro mollis ſupercreſcit, unde Hippocratem adducit libro de Ulceribus dicentem: Ubicunque in ulceribus, quæ neque rectè, neque ut res poſtulat, aſſiduè purgata priùs fuerint, produci caro cœperit, ſolet plurimum ſupercreſcere; in his verò, quæ rectè, atque ut res poſtulat, aſſiduè purgentur, & niſi colliſum aliquid acceſſerit: ſiccis præſidiis nutriantur, plerumque caro non ſupercreſcit. Ex quibus infert in ulceribus, quæ priùs probè à recrementis coctionis purgantur, ſicca medicamenta ſuperfluum alimentum depopulari, ac conſumere, ne caro mollior fiat. Addit ulteriùs calidiora paulò ipſa carne oportere eſſe ſarcotica, quo ſanguinem attrahant, neque ullo modo adſtringere, ne, quod influit, repellant, ſordemque ulceribus arctiùs affigant. Concludamus igitur in Galeni doctrina, & juxta etiam poſteriorum placita, quò proſperè ſuccedat carnis generatio in vulnere cavo, neceſſarium eſſe uſum moderatè ſiccantium, & abſtergentium ſine morſu citra adſtrictionem, quæ etiam videtur fuiſſe Hippocratis ſententia; dum enim libro de Ulceribus inquit: Quæcunque ulcera non probè, & ut convenit, expurgata, ſemper prius pullulare incipiunt, iis maximè caro ſupercreſcit, quæ verò probe, & ut decet, expurgata ſemper ad ſiccius promoventur, iis, niſi ſint contuſa, caro ut plurimum non ſupercreſcit; neceſſitatem purgantium, ſeu abſtergentium, & exſiccantium videtur proponere.

Alia requiſita ad carnis generationem.

Non minus neceſſaria eſt peregrinorum corporum intra vulnus exiſtentium detractio, nec non & præcautio, ne quid hujuſmodi intra vulnus decidat, ac deliteſcat, ſi carne replenda ſit cavitas: repleri enim cavitas carne non poteſt, quandiù aliquid naturæ

turæ infensum intra vulnus contineatur; unde si substantia contenti corporis nullum facessat negotium naturæ, vel si contentum corpus in tali reperiretur loco, ut nullam molestiam naturæ inferret, forsan eo non obstante reliquam cavitatem impleret natura, & vulnus ad sanitatem perduceret. Primùm contingere experientia quotidiana ostendit, videmus enim vulnera bellico fulmine illata nihil refragante contenta pila plumbea, non raro carne repleri, & ad sanitatem perduci. Alterum evenire posse testatur Hippocrates, quinto enim Morb. pop. hæc refert. Qui juxta inguen sagitta percussus est, quem nos vidimus, maximè præter omnium spem servatus est, neque enim cuspis exempta est; erat enim valde in profundo, neque sanguinis eruptio ulla memorabilis fiebat, neque inflammatio, neque claudicavit; cæterum cuspidem invenimus nos, ipsamque exemimus, cum sex jam essent anni, ex quo sauciatus erat, suspicio autem erat hæc inter medios nervos cuspidem occultatam fuisse, nullamque venam, aut arteriam dissectam esse.

Ampliùs, si vulnus fuerit contusum, quoniam non nisi ex sana carne nova caro nasci potest, & omninò ad carnis generationem ulcus purum requiritur, necessarium erit, ut cavitas repleri carne possit, contusam carnem abscedere, & propterea ejus suppurationem procurare medicus debebit; unde Hippocrates libro de Ulceribus: Quodcunque ulcus cæsim, percussimve acuto telo est divisum, medicamentum enæmon, & siccans, & quod suppurare vetet, admittit. Sin caro aliqua telo tum contusa, tum cæsa sit, huic ita medendum est, ut quàm celerrimè suppuret; nam & minus phlegmone urgebitur, & necesse est, carnes, quæ contusæ cæsæque sunt, putrefactas, & in pus versas liquari, posteà novam carnem nasci.

Tandem quoniam temperatam esse subjectam carnem oportet, ad vulnera carne implenda, & sanguinem esse probum, & quantitate mediocrem, ut dicebat Gal. 4. Meth. primo, videndum erit ne quid accidat quod partis temperamentum possit evertere, & si sanguis redundet, minuendus; si vitium aliud contraxerit, corrigendnm erit hoc vitium. Et quoniam ab influentibus succis tem-

peramentum partis evertitur, & vitiatur ſanguis, qui deberet eſſe carnis materia, fluxionem inhibere oportebit.

Recta quoque victus ratio erit inſtituenda, ne ſanguis in majori copia generetur, quàm par ſit, aut pravis genitis ſuccis inficiatur, vel ob pravam ingeſtorum qualitatem aliter vitietur.

CAPUT XXVI.

De abſterſione, & abſtergentibus.

CUm abſterſio ex Galeni mente ſit actio neceſſariò requiſita ad carnis generationem, antequam ulteriùs progrediamur, conſideranda eſt ejus natura, ut poſteà quanta ſit ejus neceſſitas, elicere valeamus. Abſtergendum eſſe in cavis vulneribus inferebat Gal. quia in ipſis ob innati caloris imbecillitatem neceſſe eſt, dum alimentum coquitur, pro partis nutritione duo excrementorum genera ſuboriri, unum tenue, & alterum craſſum: illud quidem ichor, hoc ſordes appellatum, unde ſicuti tenuioris ratione exſiccare convenit, ita ratione craſſioris abſtergere; ea enim eſt ſordium natura, ut propter viſciditatem vulneris affixæ parietibus contumaciter hæreant, & ob id per abſterſionem auferri poſtulent. Addiderunt recentiores alia quoque ratione abſtergendum eſſe in vulneribus, gratia videlicet puris, quod in vulnere cavo neceſſariò generatur, modò ex carne contuſa, modò ex ſupercreſcente carne eliquata, ſemper autem ex ſuperfluo ſanguine ad vulneratam partem pro ejus nutritione tranſmiſſo; cùm enim par ſanguinis quantitas ad partem pro ejus nutritione tranſmittatur, ac ſanitatis tempore, & fortaſſis etiam major, tantaque ſanguinis quantitas ab imbecilla parte non poſſit confici, & in ſubſtantiam partis verti, quod ſuperfluit ſuppurat, & fit pus, a parietibus vulneris abſtergendum.

Abſterſio quid. *Duplex abſtergendi ratio.*

Propterea abſterſio erit opus, quo quæ vulnerum parietibus hærent defixa, aut impacta abraduntur quodammodo, & amoventur. Quod duplici ratione fieri poſſe certum eſt, aut videlicet manuum opera, dum goſſipio, vel molli lana, aut alia re ſimili ſpecillo obvoluta, vel linteo, aut ſpongia vulnus emundamus, aut medicamentis, quæ abſtergendi vim habeant; abſtergere enim

non

non esse naturæ opus accipiunt omnes. Unde Gal. 3. Meth. 8. Purgari sordida possunt, etiam carne naturalem statum non servante, propterea quod medicamentorum tantum est opus.

Quæ ergo abstergunt medicamenta, duorum generum statuuntur, alia siquidem per se abstergunt, alia verò ex accidenti, & hæc appellantur abluentia; fluxibilia enim sunt, & hac fluxibilitate pertranseundo sordes leniunt, liquant, & abluunt, non aliter ac aqua projecta, aut aliter fluens soleat sordes à terra, aut alio corpore secum trahendo abluere, ex quo abluentia fuere appellata, unde Avic. lib. 2. tract. 1. c. 4. Lavativa verò est omnis medicina, cujus proprietas est, ut abstergat, non virtute agente in ipsa, sed virtute patiente, quam juvat motus, & significo per virtutem patientem, humiditatem, & per motum significo cursum; currens enim subtile cum vadit super orificia venarum, lenit humiditate sua superfluitates, & removet eas suo cursu, sicut aqua hordei, & aqua cucurbitæ. *Abstergenda duplicia.*

Quæ per se abstergunt, ea sunt, quæ vi sua detersoria abradunt à parietibus vulneris, seu ulceris excrementa crassa, à Græcisque rhyptica appellantur, & genere non differunt ab iis, quæ poros, & meatus expurgant, & farctu liberant, dicta ob id à Græcis pororum ecphractica, & eccathartica, sed solùm secundùm magis, & minus, unde Gal. quinto, de Simp. med. fac. capitulo 12. Nam in ratione majoris, & minoris differunt substantiæ genere minimè diversa tum emplastica ab iis, quæ sordem nutriunt, tum repurgantia ab extergentibus. Nam quæ in superficie sordem auferunt, sive in cute sive in ulceribus, ea extergentia, seu rhyptica nominantur, quæ verò poros etiam expurgant, ea subtiliorum his partium sunt, & emplasticis contraria, proinde pororum ecphractica, & eccathartica, quasi expurgantia, & farctu liberantia dicas, appellantur. Nitrosa quidem, & amara sunt, quæ poros expurgant, ut ibidem dicit Galenus, quòd si intra corpus assumenda sint, etiamsi quædam adstrictio illis sit adjuncta, non minus expurgant, immo & fortasse magis, impellente veluti manu adstrictoria facultate expurgatorias partes, ut alibi docuit Gal. Saltem non obest adstringens facultas expurgationi propter meatuum amplitudinem, & præterea viscera corroborant: at si *Abstergentia per se quæ.*

extrinſecus cuti ſint apponenda, ut monet Gal. 5. ſimp. cap. 12. ſolam nitroſam qualitatem poſſideant exactam eſt opus ad ea peragenda, quæ dicta ſunt. Nam foris meatuum exiguitas pejus ab adſtrictione occluſa, quàm probè queat expurgari, non etiam inde in altum abſtergentem ſubſtantiam recipit, nec expurgatur. Non ſolùm autem nitroſa, & amara ſordes ulcerum poſſunt abſtergere, verum & viribus minora, ut ſunt dulcia, & tenuium partium; immo nitroſis, & amaris in contumacioribus tantùm ſordibus utimur, vel ſi ad minus contumaces ſordes iis uti volumus, quæ ex eis ſunt imbecilliora deligimus, & cum aliis etiam permiſcemus.

Inter ſimplicia igitur, quæ abſtergunt, connumerantur ſaccharum, mel, farina fabarum, hordei, erui, lupinorum, lentium, cicerum, item ſerum, aquæ thermales ſalſæ, & nitroſæ, veluti eſt aqua Tetuciana, ſemen lini torrefactum, & hæc ſunt leviora. Fortiora his ſunt iridis radix, panacis, ariſtolochiæ utriuſque, ſemen ormini, apium, marrubium; abſinthium, herba regina appellata, terebinthina, pix utraque, fel, & hujusmodi, fortiſſima verò ſunt utrumque veratrum, hermodactili, cinis tartari, & hujusmodi, ex quibus varia componi poſſunt. Habentur autem in officinis præparata mel roſaceum, oxymel, & mundificatorium appellatum ex apio, quibus fortius eſt unguentum ceratinum appellatum. Egregium mundificativum evadit digeſtivum lotum, ſi ei præcipitati tantillum admiſceatur. Cum eodem permiſceri ſolet mel roſaceum, & oxymel, & pulvis myrrhæ, & aloes. Sed aliàs uberior ſilva hujusmodi medicamentorum proponitur.

CAPUT XXVII.

De ſuppuratione, & ſuppurantibus.

QUoniam quod ſuppurationem poſtulat in vulnere cavo exiſtens generationi carnis obſiſtit idcirco videre oportet, qua ratione promovenda ſit ejus ſuppuratio, & quæ ſint Medici partes ſeu unde nam hauriendæ ſint utiles indicationes. Id autem non aliunde melius, quàm ex ipſius ſuppurationis natura fiet conſpicuum.

Suppu-

Suppurare quidem illud dicitur, quod in pus vertitur, unde Gal. 5. de simp. med. fac. cap. 2, Suppuratio, dicebat, est in pus mutatio. Hæc alio modo appellari solet maturatio, quamvis metaphoricè: perficitur enim coctione quadam à naturali calore, ut primò animadvertit Aristoteles 4. Meteorologicorum, deinde Gal. & eam proinde inter opera naturalia connumerat; Unum, dicebat 5. de simp. med. fac. capit. 90. ex naturalibus operibus est ea, quæ in pus fit conversio; nam & illic perficitur quædam coctio. Eandem appellat Gal. 1. de dif. feb. cap. 6. putredinem aliquid coctionis in se continentem, sed talis putredo, dicebat loquens de pure, aliquid in se continet coctionis; nam adhuc vi concoquente in vasis remanente, qui interim putrefit humor ad talem pervenit alterationem: unde ut magis pateat suppurationis natura, animadvertendæ sunt tres illæ alterationes, quæ in corpore animalium fiunt, à Galeno propositæ quinto de simp. med. fac. capit. 6. quarum una omninò est secundùm naturam, altera omninò præter naturam, tertia media, & ex utraque mixta. Prima in alimento attenditur, cum videlicet à calore naturali coquitur, ut ex eo nutriatur corpus, & triplex est; una siquidem fit in ventriculo, in qua ex assumptis generatur chylus; altera fit in hepate, & venis, cum videlicet ex chylo, vel pituita fit sanguis: tertia in omnibus partibus, cum in earum substantiam sanguis convertitur. Quæ est omnino præter naturam, ea in omnibus putrescentibus attenditur, cum enim hujus alterationis finis sit putredo, planè constat esse omninò præter naturam. Media, & mixta ex utraque ea est, de qua in præsenti est sermo, videlictt suppuratio.

Suppuratio quid.

Tres alterationes in humano corpore.

Quòd verò media sit inter alterationem omninò secundùm naturam, & eam, quæ omnino est præter naturam, hinc colligi potest, quæ secundùm naturam existit fit ex familiari animantis natura, ut inquit Gal. loco citato, & ab ingenito calore eam planè superante, ejusque finis est corporis nutritio: at quæ præter naturam ab aliena caliditate perficitur, & ad nihil est utilis; illa enim est, quam Galenus primo, de dif. feb. capitulo 6. appellat putredinem, quæ fit natura superata, quando scilicet vis concoquendi imbecillis facta est, ut nullam amplius facere possit in putrescente superfluitate ad optimum transmutationem, vel quia humor

Suppuratio est alteratio media inter secundum naturam, & præter naturam.

mor putreſcens eſt maximè vitiatus, etiamſi vis ipſa non ſit omninò imbecillis; vel quia vis ad ultimum imbecillitatis pervenit, etiamſi humor non ſit maximè vitiatus, quo fit, ut ſolo præternaturali calore alteretur humor, & proinde in ejus putredinem alteratio terminetur.

Augens in ſuppuratione. At ſuppuratio fit quidem à naturali calore, verùm non planè vincente, neque enim ex materia fit, quæ prorſus ſit benigna, ut dicebat Galenus 5. de ſimp. med. fac. capitulo ſexto, neque tamen ex omnino aliena, & propterea quòd alteratur neque putreſcit, neque etiam nutriendo corpori eſt idoneum, ſed pus evadit, conſpectui album, ut notat Gal. primo de dif. feb. c. 6. & craſſum, & quaque verſum ſibi ſimile, læve autem tangenti, & minimè fœtidum.

Quomodo ſuppuratio ſit media tranſmutatio. Quomodo etiam ſuppuratio ſit media illa tranſmutatio, pulcherrimè docet Galenus 2. Aph. 47. his verbis: Pus ex ſanguine ortum habet, qui ſemi malam, ut quiſpiam dixerit, habet tranſmutationem, nam mala ſimpliciter cum putrefactione fit olida, ſicuti quæ ſimpliciter optima; eſt ipſa nutritio partium animalis: at quæ pus generat, medium inter has obtinet locum, neque à ſolo calore extra naturam, neque à ſolo ſecundùm naturam facta; mixtus enim quodammodo ex utriſque eſt calor inflammationis.

Contradictio in Galeno tollitur. Neque huic repugnat, quod Galenus profitetur primo de dif. feb. capitulo ſexto, pus ſcilicet fieri ſuperante natura, qua ratione dicebat: Superante verò integrè ipſa natura, optimum fit pus, conſpectui album, & craſſum, &c. per integram enim victoriam naturæ hìc intelligit Gal. naturæ victoriam ſupra calidum extraneum; quamvis enim ab utroque calore fiat alteratio, ſuperatur tamen calor præter naturalis. At quando 5. de ſimp. med. fac. capitulo ſexto, aſſerit alterationem hanc fieri à calore non prorſus vincente, victoriam caloris naturalis ſupra materiam, quæ alteratur, intelligit, quam profectò non habet calor, cum non poſſit materiam aſſimilare. Unde dicebat loco citato: Siquidem alterationi ſecundùm naturam duo hæc inſunt, ut ex familiari animantis natura fiat alteratio, & ab ingenito calore planè ſuperetur. Quòd etiam primo de dif. feb. intelligat de victoria caloris naturalis ſupra extraneum, ex eo non minus colligi poteſt, quod eodem loco multas conſtituit alterationes medias inter putrefactionem & ſuppurationem

nem ex eo ortas, quòd neuter calor integram habet victoriam super alterum, in quo quidem multi sunt differentiarum modi, & ideò ibidem: Ex duorum autem generum miscella (eorum unum fieri dicebat superante natura, alterum verò superata) alia tertia secundùm speciem evariat, quoniam & innumerabiles miscellæ modi in eo, quòd magis, & minus superare, vel superari alterum generum reperiuntur. Hinc posteà de hac tertia loquens subjungebat: Sæpius enim cum calore album factum sit pus, videlicet vel fœtidum odorem, vel tenuem substantiam obtinet, sæpius verò non album apparet, sed lividum, atque in his omnibus magis, ac minùs infinitis modis evariat.

Sed nec videtur penitus sublata difficultas, cum Gal. dicat secunda Aph. 47. Suppurationem fieri neque à solo calore præter naturam, neque à solo secundùm naturam, posteaquam mixtus est quodammodo ex utrisque calor inflammationis; Si enim ab utroque fit calore, quomodo dici potest, à naturali calore integrè superari præternaturalem? propterea sciendum est præternaturalem calorem locum habere in suppuratione, trahit enim materiam ad putredinem; contra naturalis calor matériam ad benignum conatur reducere, & partibus assimilare, atque cum vel ob propriam imbecillitatem, vel ob materiæ vitium hoc assequi nequeat, facit, quod potest, prohibet enim putrefactionem, devicto præternaturali calore, & materiam in pus convertit, quod in calore saltem spermaticis partibus est simile, quamvis habeat aliquid putrescentiæ, ut notavit Gal. 4. Meth. 5. ob actionem præternaturalis caloris, qua ratione ea appellavit 1. de dif. feb. 6. putrefactionem habentem aliquid coctionis. Patitur ergo materia ab utroque calore, sed tandem à naturali vincitur præternaturalis calor, pusque conficitur habens supra enarratas conditiones; quando autem integrè non vincitur, una, vel plures ex conditionibus optimi puris deficiunt, ut ibidem dicebat Galenus.

Quomodo calor præternaturalis locum habeat in suppuratione.

Cum igitur suppuratio fiat ab ingenito calore, qui talis, & tantus esse debet, ut præternaturalem, qui materiam suppurandam trahit ad putredinem, possit superare, idcircò procurandum erit, ut calor ingenitus prorsus secundùm naturam se habeat, quod ad ejus temperiem attinet, in qua robur ejus est constitutum; hinc fovere

Suppurantia qualia esse debeant.

fovere atque conſervare inſitum calidum oportebit, ut ad unguem ſiit ſymmetrum. Et quoniam in majori quanto major eſt virtus, idem quam plurimum eſſe conveniet. Cum verò materia interdum ob pravam adnexam qualitatem naturali calori rebellis ſit, & contumax, & ob id ægrè ſuppurabilis, prava illa qualitas ſuo contrario erit expugnanda. Pari ratione, ſi naturalis calor igneus evaſiſſet, contrariis remittendus eſſet caloris exceſſus, ut ad ſuam ſymmetriam reduceretur; ſicuti excitandus eſſet calor, ſi hebetata eſſet ejus qualitas.

Quot modis medicamenta ſuppurationem adjuvent.

Suppurantia duplicia.

Ex quibus patet, varia eſſe, quæ ad promovendam ſuppurationem faciunt, alia enim id præſtant fovendo naturalem calorem, & ejus ſymmetriam ad unguem conſervando, nec non & quantitatem ejus adaugendo, alia verò impedimentum aliquod removendo, ut hoc per accidens, illa verò per ſe ad ſuppurationem facere ſint dicenda; hinc alia propriè ſuppurantia dicuntur, alia verò per accidens, & impropriè: licet neque pus moventia propriè dicta ob id talia appellentur, quia revera pus generent, ſed quia ſuppurationem adjuvant opem ferendo naturali calori; ſicuti enim alterationes naturales auxilium ab iis recipiunt, quæ calorem naturalem adjuvant, ut patet de ventriculi coctione, cui maximè confert, quod extrinſecus admovetur, vim habens calorem naturalem ventriculi fovendi, & roborandi, ita & de hac media alteratione exiſtimandum eſt, cum & ipſa à naturali calore perficiatur. Hinc qualia eſſe oporteat hæc medicamenta, ex eorum natura; quæ alterationes naturales adjuvant, deprompſit Galenus. 5 de ſimp. med. fac. c. 6. Hæc enim ſimilia ſunt naturali calori, & propterea alia quoque eſſe debere, quæ pus movent, concludit unde dicebat: Quemadmodum naturales alterationes, quæ ab innato calore proveniunt à ſimili extrinſecus juvantur, pari modo & quæ in movendo pure conſpicitur: nam quid æque coctioni naturali conferre novimus, atque corpus humanum illi impoſitum: & paulò poſt: Tale eſſe debet, quod ad movendum pus adhibetur, qualis eſt in naturis temperatis calor nativus. At, ſi juſto calidior natura fuerit in eo corpore, quod pus movebit, medicamen calidius ſit oportet, quantò & natura ejus temperata in caliditate exuperat, ex quo ulterius infert cujuſque ſigillatim homini

Suppurantia ſimilia calori naturali.

minis suum, ac proprium esse puris movendi medicamentum. Idem colligit 5. de sim. med. fac. cap. 9. ex eo quod ab illis postulat naturalis calor, ut melius suppurationem perficiat: postulat autem, quemadmodum etiam superiùs dicebamus, ut ejus substantia augeatur absque qualitatis intensione, aut imminutione; etenim oportet ipsum esse quamplurimum, & ad unguem caliditate symmetrum; quippe cum hic in pueris copiosissimus omnes actiones naturales adaugeat: debent itaque ipsi naturali calori esse similia, sic enim ipsius caliditatis symmetriam conservabunt. Quòd si ipso insito calido forent calidiora, non solùm intenderetur nativi caloris qualitas, unde intemperatus redditus minùs prosperè quoque propria munia obiret, verùm etiam substantia diminueretur, nam ab admodum excalefacientibus illius substantiæ vacuatur non parùm. Quare cùm nativus calor sit calidus, calida quoque necesse est esse medicamenta, verùm in eo caliditatis gradu, in quo est ipse insitus calor, cumque humidus etiam existat, & ipsa humida esse convenit; namque ab exiccantibus non solùm non conservaretur ejus symmetria, verùm, & de ejus substantia absumeretur. Quòd si una calidiora forent, & resiccandi vim haberent, multò magis insiti caloris substantiam digererent.

Statuendum est igitur, talia medicamenta calida esse, atque humida, verùm modicè; hujusmodi enim caliditas, & humiditas non dicit excessum supra naturam nostram, sed similitudinem, & ideò sicuti natura nostra modò calida, & humida appellatur, modò temperata, qua etiam ratione dicebat Gal. 1. Aph. 14. Benè temperata est innati caloris substantia, cum tamen eadem qualitas semper significetur, ita hujusmodi medicamenta modò temperata, modò calida, & humida dicuntur, & semper eadem qualitas designatur, & ideò Gal. 5. de Simp. med. fac. 9. Dictum verò est, quòd modicè pus moventium naturam humectantem, & excalefacientem esse oporteat, quod aliis verbis est, ut neque excellat, neque inferiùs sit temperatura corporis ipsum immutantis, sed quoad fieri potest, simillimum, & cap. 6. ejusdem: Rursum ergo proposito tanquam scopo quodam in hoc sermone optimè temperato homine, ejus respectu aliud dicimus esse medicamentum pus movens, quàm quod indurata emollit,

Qualitas suppurantium.

esseque eorum temperaturas, quas superius esse posuimus, ejus quidem, quod naturæ in movendo pure auxilio est, commoderatam, & similem ei corpori, cui admoveatur, ac proindè, quòd natura nostra humida sit, & calida, humida, calidaque medicamenta hujusmodi frequenter appellari; ejus verò, quod indurata emollit, temperata natura multò calidiorem, non tamen jam valdè calidam, & prius cap. 4. dixerat: Id genus medicamenta humida, calidaque dicimus non ceu calidiora, & humidiora, quam nostra sit substantia, sed similem habentia nobis temperiem, quæ calida, & humida est juxta veterum sermonem.

Mercatus. Ex quibus infero, vanam, & inutilem esse distinctionem, quam excogitavit quidam vir doctissimus, ut loca Galeni, quæ sibi adversari videntur, conciliaret, cum aliquando suppuratoria medicamenta calida, & humida appellet, aliquando verò temperata esse asserat; inquit enim duo in pure conficiendo spectari, primum, ut optimum sit; secundum, ut quam celerrimè fiat: illudque à medicamentis fieri temperatis, hoc verò à calidis, & humidis. At qui attentè Galen. legerit, manifestè deprehendet, idem prorsus voluisse, quando asseruit, suppurantia calida esse, & humida, & quando temperata. Et quomodo potest diversas qualitates intelligere, ac diversa suppurantium genera, si hoc dato, statim necessariò consequitur, ut aliqua suppurantia minimè sint similia insito calori, sed aut excedant, aut excedantur, quod est naturam suppuratorii evertere. Sicuti autem suppuratoria etiam si calida sint, non ob id tamen possunt calorem intendere, ita si sint humida, non ob id tamen augere possunt similarium partium humiditatem, eò quòd sicuti ipsorum calor similis est naturali calori, ita etiam humiditas nativæ humiditati assimilatur: quamvis ut calida, & humida superfluam quamdam humiditatem in spatiis vacuis contentam attenuare possint, atque digerere, unde Gal. 5. simp. cap. 6. Pus moventia superfluum in spatiis vacuis contentum humorem per halitum digerunt, ipsis tamen similaribus partibus secundùm naturam affectis humiditatis nihil neque adjiciunt, neque adimunt, quod manifestum sit, & sentiri queat, quippe cum temperaturam possideant æqualem, & simi-

Suppurantia neque intendunt calorem, neque augent humiditatem partium.

& similem, earum substantiam tueri potiùs, quàm alterare possunt. Ex eo etiam, quod hujusmodi medicamenta debent augere nativi caloris substantiam infert Gal. 5. simp. 9. emplastica quoque esse debere, ut poros corporis obstruant, & spirituum difflationem prohibeant, hoc enim faciunt emplastica, idcircò dicebat: Quin etiam quod emplasticum esse debeat ejus generis medicamentum, ut exactè puris generativum sit, & ipsum liquidò mihi apparere videtur: nam si substantiam innati caloris augere, non intendere qualitatem ipsam conveniat, poros corporis obstructos esse necesse est, quo videlicet halituosos transpiratus includant. *Suppurantia debent esse emplastica.*

Est autem emplasticum medicamentum, ut 5. simp. 10. asserit Galen. quod tenaciter corporis poris, seu meatibus illitum inhæret, qua ratione mordacitate vacare omninò debere concludit, veluti etiam docuerat 4. simp. 4. & 5. nam si qua illi inesset mordacitas, hærere in poris non posset, sed omninò facilè excerneretur, aut partium aliquam liquando, aut certè humorem ex alto trahendo; necnon & terrenæ esse consistentiæ, ac viscosum, quamvis, ut docuerat loco mox citato, ex eis nonnulla non terrena solùm, sed aquea natura sint, quin etiam quædam non parum aëris in se contineant, omnia quidem glutinosa, & proindè emplastica. Sicuti ex accidenti emplastica fiunt emollientia, & laxantia omnia, quando crassioris sunt substantiæ; illinendo enim poros obstruunt & ita fiunt emplastica. Quòd verò poros obstruendo nativi caloris substantiam augeant, non est difficile ostendere; cùm enim semper diffletur naturalis calor, si pori obstruantur, profectò ejus difflatio, quæ per poros fit, prohibebitur, quare cum nunquam deficiat ejus generatio, necessariò augebitur ejus substantia. Non enim existimo, veluti quidam ex recentioribus censuit, idcircò suppurantia substantiam nativi caloris augere, quia substantiam habeant vaporosam similem substantiæ innati calidi, quæ admixta ipsi innato calido ejus substantiam augeat, siquidem substantiam caloris innati augeri non posse certum est, nisi quid ei addatur, quod in eandem substantiam convertatur, at in substantiam illius solam tenuiorem alimenti partem verti adeò notum est, ut demonstratione non egeat. *Emplasticum quid. Emplastica ex accidenti. Suppurantia quomodo augeant substantiam nativi caloris.*

egeat. Et quando Galenus tradit suppurantia insiti calidi substantiam augere, id ea ratione vult contingere, qua poros obstruendo ejusmodi medicamenta transpiratus halituosos includunt, ideoque cap. 9. dicebat, verùm halituosum, & calidum spiritum contineri quamplurimum expedit. Et superiùs dixerat: Nam si substantiam calidi innati augere, non intendere qualitatem ipsam conveniat poros corporis obstructos esse necesse est, quo videlicet halituosos transpiratus includant.

Itaque in Galeni doctrina suppurantia calida esse debent, & humida, sed modicè, seu calori nativo quàm simillima, nec non & emplastica. Quam doctrinam acceperunt posteriores omnes. Hinc Avicen. lib. 2. tract. 1. cap. 4. Maturativa est medicina, cujus proprietas est, ut acquirat humidi digestionem, quoniam calefacit cum æqualitate, & in ipsa est virtus stiptica, retinens humorem usquequò digeratur, & non resolvatur laboriose, & separetur humidum ejus à sicco, & est adustio, quia facit adustio, ut separetur. Et Serapio lib. de simp. med. serm. quarto: Oportet, quòd medicina maturativa sit proportionalis calori naturali corporis, itaque si calor naturalis corporis est amplior, medicina, quæ debetur illi, oportet, quòd sit calidior in illo, quàm in alio corpore, & oportet, quòd quantitas additionis caliditatis suæ super æqualitatem sit secundùm quantitatem additionis caliditatis illius corporis super corpus æquale, & secundùm hanc formam est necessaria medicina cuilibet corpori conveniens, qua operetur in eo. Et complexio medicinarum, quæ juvant ad generandam saniem, & pus est complexio æqualis similis in natura sua corporis hominis, & natura quidem corporis hominis est calida, & humida, & ideò natura medicinæ, quæ generat saniem, est calida, & humida, & ipsa non habet facere istam operationem cum qualitate sui corporis, sed potiùs cum quantitate ejus. Itaque si possibile esset, quod manus non separaretur ab applicatione continua membri, in quo necessaria est generatio saniei, vel aliquod aliud membrum applicaretur, eò citiùs generaretur in eo sanies; quàm alio modo: igitur talis medicina erit in ultimo assimilationis complexioni corporis hominis illius, in quo necessaria est generatio saniei citò: & paulo post,

post. Et oportet, quod medicina hujusmodi sit glutinosa, donec sit in fine convenientiæ faciendi saniem, videlicet faciendo appositionem, & additionem substantiarum caloris innati, claudendo poros corporis, & includendo vapores interiùs, quia conversio, quæ fit ad saniem, est una ex operationibus naturalibus, quia est conversio, & alteratio, cum qua est etiam parum digestionis, & necesse est, quando volumus, quòd aliquid digeratur, quòd custodiamus interiùs multitudinem spirituum. Quibus verbis videtur maximè Galeni mentem assecutus. Paucissimis verbis idem explicavit Avic. 3. 4. tract. 1. cap. 24. dicens: Medicinarum maturativarum caliditas oportet, ut sit proxima caliditati corporis, & sit eis inviscatio quædam.

Juxta placitum igitur omnium propemodum medicorum suppurantia sunt butyrum, adeps recens suillus, & humanus, & aliorum animalium, quæ non multùm remota sunt ab hominis temperamento, oleum olivarum, oleum amygd. dulcium, semen lini, & ejus oleum, vitelli ovorum, & eorum oleum, malva, althea, & præsertim radix ejus, & semen, violaria, farina tritici, ficus siccæ, passulæ, thus pingue, terebinthina lota, cera, pix, resina lentiscina, resina pinea, cæpe liliorum alborum, cæpe, & allia sub cineribus cocta, radix, & folia lapatii cocta, caulium folia, branchа ursina, aqua tepida, & hujusmodi. Inter composita verò, quæ suppurationem adjuvant, recensentur Tetrapharmacum, digestivum lotum appellatum; digestivum aliud confectum ex terebinthina lota, & ovi vitello, addito etiam rosaceo, & farina tritici, & modico croco, digestivum aliud ex terebinthina lota, oleo amygd. dulcium, & cera, digestivum aliud ex æquis portionibus butyri recentis, terebinthinæ lotæ, & olei communis, vel rosacei, vel amygd. dulcium, vel seminum lini, item aliud ex terebinthina lota, oleo vitellorum ovorum, rosaceo, & cera, oleum commune, aut rosaceum, vel violaceum, in quo catelli nuper nati bullierint ad carnium consumptionem, nec non & lumbrici terrestres, hydrælæum, unguentum ex mucilaginibus, diachylon cum axungia suilla, vel butyro recenti. His addi possunt innumera emplastra, & cataplasmata, quæ parantur ex malvis, violaria, caulium foliis, radicibus altheæ, cæpis liliorum alborum, cari-

Suppurantia simplicia.

Composita.

cis, ſeminibus lini, aqua, aut lacte decoctis, addito oleo communi, roſaceo, violaceo, amygd. dulcium, ſeminum lini, lumbricorum terreſtrium, adipe ſuillo, butyro recenti, necnon & farina tritici, aut pane eraſo, ut decentem conſiſtentiam recipiant.

Suppurantia per accidens quæ. Hæc per ſe dicuntur ſuppurationem promovere. Quæ verò per accidens eidem conferunt, non ſunt, ut ſuperiùs dictum eſt, naturali calori ſimilia, ſed vel ejus qualitatem excedunt calidiora exiſtentia, vel minùs calida ſunt inſito calore, immo, & aliquando frigida, quibus quidem qualitatibus aliquod impedimentum ſuppurationis removent; in materia enim nimis calida, quæ refrigerant, ſuppurationi conferunt, propterea quòd ad ſymmetriam reducunt nativum calorem, ac nimium materiæ fervorem, quo ſuppurationi reluctabatur, compeſcunt. In materia verò nimis frigida, quæ calidiora ſunt, ſuppurationem adjuvant, reddendo materiam naturæ magis obſequentem, quæ ob nimiam frigiditatem maturationi erat rebellis. Eadem, ſi fortè qualitas caloris ſit hebetata, ad ſymmetriam reducunt. Poſſunt & aliis qualitatibus eſſe prædita, nam varia admodum eſſe poſſunt, quæ ſuppurationem impediunt, & ita etiam varia admodum ſunt, quæ per accidens ſuppurationem juvant.

CAPUT XXVIII.

De Peregrinorum Corporum extractione.

POſteaquam peregrina corpora intra vulnus exiſtentia ejus repletionem & agglutinationem impediunt, & propterea removeri poſtulant, videamus, quænam ſit removendi ratio. Sanguis quidem concretus, pili, & alia corpuſcula caſu quodam in vulnus illapſa facili negotio auferuntur, nam & digitis licet ea detrahere, & volſellis; interdum etiam ab hujuſmodi extraneis goſſipio, aut molli lana ſpecillo obvoluta vulnus emundamus, interdùm parata ex vino calente lotione. At ſi tela fuerint, ſive telorum portiones, ſive alia copora ab ipſis telis intruſa, aut oſſis fruſtula, operoſa eſt eorum ablatio, & præſertim ſi in penitioribus partibus & anguſtis locis extiterint. Multipliciter tamen ab iis vindicari

vulnus

vulnus contingit; quandoque enim medici manu operatio perficitur, attrahentis ab ea parte, qua venerunt, vel impellentis in partem, in quam tetenderunt, parata illis ſcalpello congrua via, prout magis expedire viſum fuerit, & minùs detrimenti ex hoc quam ex illo extrahendi modo impendent, aut exprimentis ad hanc, vel illam partem; quandoque medicamentorum attrahentium ope, nonnunquam etiam ab ipſa expultrice facultate.

Quot modis auferantur tela à vulneribus.

Manualem operationem propoſuit Celſ. l. 7. c. 5. dicens: Omne autem telum extrahitur, vel ab ipſa parte, qua venit, aut ab ea, in quam tetendit: Illic viam, qua redeat, ipſum tibi fecit, hìc à ſcalpello accipit. Eandem, & medicamenta quoque attrahentia propoſuit Avic. 4. 4. trac. 2. c. 10. his verbis: Et hæc extractio quandoque fit cum inſtrumentis continentibus rem, quam trahit, quandoque fit cum expreſſione, & quæ ei aſſimilatur, & quandoque fit cum proprietatibus medicinarum trahentium, quæ extrahunt illud, à quo deficiunt forcipes, vel, ut alia lectio habet, tenaleæ habentes caput aſperum, ſicut eſt aſperitas limæ, & reliqua inſtrumenta.

Manualis operatio.

Porrò attrahentium medicamentorum eſſentia calida eſt tenuium partium, & hanc habent alia ſponte, & natura ſua, alia verò eam ex putrefactione acquiſiverunt, unde Gal. 2. de ſimp. med. fac. cap. 16. Attrahentes ſunt, quæ ex alto vehementiùs attrahunt, ac eſſentia illis quidem calida eſt, & tenuium partium; attrahit enim perpetuò calidum, verùm, quod cum caliditate conjunctam habet partium tenuitatem, trahit vehementiùs. Et inferiùs: Attrahentium autem eſſentia alia ſponte nata eſt, alia verò ex putreſcente, areſcenteque generationem ſortita. Inter illa ergo, quæ nativa facultate attrahunt, connumerari ſolent anagallis utraque, ariſtoloch. rotunda, anemone, dictamnum Creticum, tragii folia, ſemen, & liquor, verbaſci ſemen, & folia, calamintha montana, radix narciſſi, gladioli, xiridis, acutæ ſpinæ, arundinis, pectinis Veneris, cucumeris agreſtis: item propolis, thapſia, euphorbium, ſagapenum, galbanum, ammoniacum, gummi Ellemi, pix, reſina pini. Inter ea verò, qúæ aſcititia facultate id faciunt, fermentum, fimus columbinus, & anſerinus, & quilibet alius, qui in calore, & tenuitate partium his ſit ſimilis. Sed & dantur attrahentia medicamenta,

Attrahentia quæ, & qualia.

Attrahentia duplicia.

Simplicia attrahentia.

Attrahentia aſcititia facultate.

Attrahentia à proprietate totius substantiæ. medicamenta, ut animadvertit Gal. loc. cit. quæ à totius substantiæ proprietate attrahunt, cujusmodi sunt cochleæ terrestres cum suo tegumento tusæ, lacertæ caput, immo tota lacerta, cancri fluviales, & eorum cinis, rana excoriata summis partibus resectis, lingua vulpis, magnes quando ferreum est quod continetur, & hujusmodi, in quorum numero collocari non ab re solet dictamnum Creticum ob excellentem attrahendi proprietatem, quamvis & in eo manifesta qualitas adjuvans conspiciatur, calor videlicet cum tenuitate partium, quod est in causa, ut fortiùs attrahat, ut enim dicebat Gal. loco citato, fortiùs semper fit attractio, quando duabus causis attrahit medicamentum.

Composita attrahentia. Inter composita verò attrahentia habentur emplastrum apostolicon, unguentum fuscum Nicolai; radix arundinis, vel narcissi cum melle contusa, additaque lolii farina, ceratum, quod conficitur ex resinæ pineæ unc. 2. picis aridæ unc. 1. ammoniaci, sagapeni, gummi Ellemi ana unc. s. Rad. aristoloch. rot. dictamni albi ana drach. 1. s. dictamni Cretic. drach. 3. olei veteris, vel fæcis olei liliorum q. s. simul secundùm artem mixtis. Item emplastrum, quod conficitur ex cæpa narcissi numero 1. rad. arundinum unc. 2. nodorum arundinum, fermenti acris ana unc. 1. s. propoleos unc. 1. sulphuris drach. 2. stercoris columbini putrefacti drach. 6. euphorbii drach. s. & s. q. mellis simul s. a. commixtis. Et quod ℞. terrestres cochleas cum suo tegumento num. 3. capita lacertarum num. 6. cæpam narcissi numero 1. cineris cancrorum fluvialium, dictamni Cretici, seminum verbasci ana unc. s. farinæ lolii unc. 3. mellis modicum s. a. commixta. Et quod ℞. cæpas narcissi numero 2. rad. arundinis unc. 1. rad. gladioli unc. s. fol. verbasci, tragii ana M. 1. stercoris columbini putrefacti unc. j. rad. cucumeris agrestis, aristoloch. rot. dictamni albi ana drach. 3. dictamni Cretici unc. s. farinæ erui modicum, & s. q. mellis. Pariter ceratum, quod conficitur ex olei veteris præparati unc. 8. propoleos un. 1. resinæ pini, picis aridæ, colophoniæ ana unc. s. ammoniaci, galbani, sagapeni, gummi Ellemi ana drach. 3. visci quercini drach. 4. euphorbii, sulphuris ignem non experti, stercoris columbini ana drach. 2. cineris tartari ex aceto cremati, croci ana drach. 1. cancrorum fluvialium ustorum, capitum lacertarum

ustorum,

ustorum, ranæ summis partibus resectis combustæ, dictamni Cretici ana drach. 1. s. simul s. a. mixtis. Oleum vetus sic præparant, ℞. olei veteris lib. 3. succi verbasci, tragii, anagallidis, calaminthæ montanæ, herbæ reginæ, rad. narcissi ana unc. 5. rad. Aristoloch. rotundæ, dictamni albi ana unc. 1. rad. gentianæ, pectinis Veneris, cucumeris agrestis, gladioli, valerianæ ana drach. 3. M. contusis contundendis, & bul. ad succorum consumptionem, deinde facta expressione, & colatura addatur olei fol. verbasci, tragii, anagallidis, calaminthæ montanæ, herbæ reginæ, dictamni Cretici ana p. 1. rad. dictamni albi, arundinum, cucumeris agrestis, gladioli, xiridis ana unc. s. M. & f. inf. duplici vase s. a. per 24. horas, postea facta expressione, & colatura, sumatur par quantitas rerum dictarum, & fiat altera infusio, & sic tertiò, facta postrema expressione, & colatum addatur oleo, rad. dictamni albi, aristoloch. rotundæ, centaurii majoris, arundinum, gladioli, cucumeris agrestis ana unc. s. sem. verbasci, tragii, myrrhæ, castorei ana drach. 2. dictamni Cretici, nodorum arundinum ana drach. 6. M. f. infusio s. a. in balneo calentis aquæ per tres dies, postea, facta modica ebullitione f. expressio, & colatura, dein coque in oleo capita lacertarum num. 10. ranas excoriatas summis partibus resectis num. 4. linguam vulpis num. 1. terrestres cochleas cum suo tegumento tusas num. 6. cancros fluviales totidem ad carnium dissolutionem, posteà fiat diligens colatura.

A natura expelluntur interdum contenta corpora.

A natura expelli contenta extranea unà cum pure modò citiùs, modò tardiùs non raro observamus; sed & quandoque post vulneris sanationem longo temporis tractu modo per eandem, facto videlicet plerumque abscessu, modo per aliam, quemadmodum, & ab Hip. proditum est, idque aliàs notavimus: quòd contingere existimandum est, quando parvam ex contento corpore molestiam percipit, vel propter illius situm, vel propter ejus substantiam, quæ aliquam videtur habere cum corpore sympathiam, ut est de plumbo; ideoque etiam si globulus plumbeus non extrahatur, modò præstantem aliquam partem non comprimat, aut distendat, vulnera fœliciter sanari videmus.

Melior extrahendi modus.

Verùm, quamvis peregrina corpora, & à natura expelli consueverint, & medicamentis non raro attrahantur, nihilominùs prin-

principem locum ipſi manuali operationi deberi ſancitum eſt. Quamprimùm enim educi poſtulat contentum corpus, præſertim ſi partes diſtendat, comprimat, pungat, aut veneno fuerit infectum, at ſola manualis operatio id quamprimùm poteſt præſtare; nam manu, vel inſtrumentis attrahendo, aut impellendo, prout magis oportunum viſum fuerit, & ſectionibus congruis, ſi opus ſit, faciliorem egreſſum reddendo, poterit peritus Chirurgus extranea quamprimùm removere quæcunque ea fuerint, niſi loci profunditas, & partis conditio nimis periculoſam manuali operatione extractionem faciant. Medicamentis verò ſola ea videntur cedere, quæ minùs reſiſtunt, ut quæ minùs ſunt infixa, minùs denſa, minora, & leviora, ut ſpinæ, lapilli, oſſium fruſtula. Præterquàm quod neque citò opus ſuum abſolvant medicamenta, & cùm calida ſint, ſi à principio admoveantur fluxionem advocare facilè poſſunt: & ipſa natura, ut dictum eſt, non niſi longo temporis tractu ſolet expellere. Quocirca ſi contenta corpora magna ſint, ſolida, ac denſa, & omninò talia, ut curationem impediant, vel moleſtiam aliquam inferant non contemnendam, aut paulò poſt ſint allatura, quamprimùm, apparatu videlicet primo, ipſa manuali operatione procurare extractionem jubemur; neque enim medicamentis fidendum, aut naturæ committendum negotium exiſtimarunt ſapientes, niſi majus ſit damnum, quod ex operatione imminet, quàm id, quod à relicto corpore poteſt provenire.

Quæ conſideranda, ut eligatur melior modus.

Et primùm conſiderandam proponunt, ac perpendendam utilitatem ab extractione futuram, & cum jactura, ac damno, quod in opere ipſo infertur, conferendam, atque ſi major ſit utilitas, extractionem procurandam cenſent, ſi verò damnum ſit majus, ab omni conatu abſtinendum. Et quoniam non multò poſt vulnerationem ob affluxum ſuccorum partes vulneratæ diſtenduntur, & quodam modo tument, & dolori ſunt magis expoſitæ niſi à principio peractum opus fuerit, differendum monent, donec pus prodiens faciliorem extractionem fecerit, niſi urgeat magis periculum, quod à relicto corpore imminet. Monent etiam, ſi quando contingat, contenta corpora friabilia eſſe, ut potiùs opus naturæ permittamus, aut medicamentis agamus, niſi valdè ſint ad manus, & ſeſe obſequentia offerant, ſolent enim in manuali conatu comminui, & longè majus negotium poſtmodum faceſſere.

CAPUT XXIX.

De præcavenda, & inhibenda fluxione.

IN vulneribus urgere fluxionis periculum, ſuperiùs oſtenſum eſt, eamque agglutinationi, & carnis generationi obſtare ſæpiùs dictum eſt, ac proindè à vulnerata parte omni ſtudio arcendam, & propulſandam.

Cum verò ex fluxionis cauſis aliæ præſentes jam ſint, aliæ verò nequaquam, ſed tamen poſſint ſupervenire, duplici ratione conſequemur, ne moveantur ſucci ad vulneratam partem, prima quidem præcavendo, ne ſuperveniant novæ fluxionis occaſiones, & cauſæ, vel jam exiſtentes fortiores fiant: altera verò, quæ præſentes ſunt, auferendo, aut ſaltem earum vires imminuendo, & ſi fieri poſſit, fruſtrando. *Duplex inhibendæ fluxionis ratio.* Propter primam vitanda eſt omnis dolorifica cauſa, & quæcunque poſſunt partem, pluſquam par ſit, excalefacere, quæque eandem valent relaxare, ac infirmare, nec non & confertim exhaurire. *Cavenda.* Prætereà, quæ humores calefacere, fundere, attenuare, & ad motum proclives reddere, atque acriores poſſunt, & aliqua alia mala qualitate eoſdem inficere: pariter & quæ extrinſecus accidentia ad affectam partem ſuccos attrahendi vim habent. Et quæ ſunt in cauſa, ut multi, ac pravi ſucci generentur. Cavenda non minùs erunt, quæ vias, per quas fluxurus eſt humor, aperiendi, ac laxandi vim habent: & incongruus partis ſitus, declivis videlicet.

Ut verò præſentibus occaſionibus conſulamus, imbecillitati partis occurrendum erit; corroboranda enim eſt pars, & ad temperiei mediocritatem reducenda, nè promptè recipiat, ut docet Gal. 7. Meth. 11. *Facienda.* Et ſi dolor erit moleſtus, hic erit ſedandus, ſi calor, extinguendus. Ampliùs quia partes quandoque ſanguinem ad vulneratam tranſmittunt, quoniam non multùm eò indigent, tantum ſanguinis erit evacuandum, quantum ſat eſt, ut partes avaræ reddantur, & alimenti indigentes; ſic enim, quod in ſe ipſis habent ſanguinis, anxiè retinebunt; Tandiùque conſervanda erit hæc indigentia, quandiù fluxionis urgebit periculum. Cùm etiam tranſ-

transmittant partes, vel copia oppressæ, vel qualitate irritatæ, totum evacuandum, si in toto fuerit redundantia, si verò in aliquibus tantùm partibus, illæ erunt evacuandæ, quæ abundaverint succis. Similiter si pravi succi in toto, vel parte aliqua fuerint, expurgandi hi erunt. Unde Gal. 4. Meth. 2. Sin propter sanguinis copiam, vitiosumve succum, vel corporis totius, vel alicujus suprapositarum partium, illa scilicet priùs sunt corrigenda; Ampliùs, quoniam aptiores ad motum sunt humores ob caliditatem, ac tenuitatem, propterea qui relinquuntur post evacuationem, refrigerandi sunt, & incrassandi: pravaque omnis qualitas, quà partes ad expellendum irritant, corrigenda. Intercipiendæ pariter erunt viæ, per quas ad vulneratam partem confluunt, si fieri id possit, aut saltem angustiores reddendæ. Tandem, quoniam succi propensionem quandam habent ad vulneratam partem, aut etiam ad eandem cœperunt moveri una, vel pluribus ex superiùs allatis caussis, non solùm roborare partem oportebit, ne promptè recipiat, verùm etiam repellendi erunt a parte. qua ratione dicebat Gal. 7. Meth. 11. De parte recipiente tantoperè sollicitos esse oportet, ne, quæ confluunt, promptè recipiat; promptè autem non recipiet, si fluxiones repercutiantur, & ipsa ad temperiei mediocritatem reducatur, & aliò convertendus est humorum motus. Cumque futurum sit, ut pars à fluxione sit tutior, si humorum motus ad loca contraria, & longinqua convertatur, id faciendum. Appellatur autem hujusmodi actio revulsio, seu diversio, Græcè ἀντισπασις, ab ἀντι, quod est contra, & σπάω, quod est traho, seu evello, quasi ad contrarium tractio, seu avulsio, unde & apud Latinos revulsionis nomen nihil aliud significare videtur, quàm alicujus, rei retractionem ab aliquo loco, & quasi retrorsum avulsionem, ut supponere videatur motum, seu propensionem rei nocivæ in aliquam partem, à qua revulsio eandem avertit ad alias, & contrarias, hinc habita est semper præstantissimum in fluxionibus auxilium, & ea potissimùm à metu fluxionis liberari partes judicatum est, undè Hip. 6. morb. vulg. sec. 2. tex. 29. & lib. de hum. com. 1. tex. 13. Revellere, si, quò non oportet, ferantur. Et Gal. com. 1. in lib. de hum. tex. 13. Revulsione prohibemus, ne vehementissimi humorum confluxus confertim in partem

Revulsio quid.

partem decumbant. Et 2. ad Glauc. 2. fluentium humorum ἀντίσπασις, ſeu revulſio medela eſt. Et com. 1. in lib. de hum. tex. 16. Si inclinatio humorum in loca minùs opportuna fiat, tantùm abeſt, ut educere, & naturam adjuvare debeamus, ut etiam prohibere, ac revellere debeamus.

Diximus autem revulſionem eſſe tractionem quandam, reſpicientes potiùs ad id, quod prima facie apparet, quàm ad proprietatem ſermonis. Sicuti enim non omne remedium revellens eſt attrahens, ut patet de dolorem promoventibus, ita neque omnis revulſio fit per attractionem, ac proindè neque per attractionem definienda. Quia tamen ab uſu revellentium videntur attrahi humores ad locum, qui revellentibus tractatur, idcircò, & revulſio communiter attractio dicitur. Quòd ſi vellemus exactè revulſionem definire, oporteret, quoniam nullus humor ſpontè confluit, ſed ea tantùm de cauſa, quia vel attrahitur, ut fit à purgantibus; vel à natura irritata, atque oppreſſa tranſmittitur, aut conſecutione quadam, & vi vacui: & ita revellentia, aut idcircò revellunt, quia attrahunt, aut quia naturam irritant, & inducunt, ut prioris motionis oblita, aliò tranſmittat ſuccos, aut laxando etiam, aut imbecillam reddendo partem, eam invitant, ut eò expellat, ut calefacientia, & dolorem promoventia, aut quia evacuant, ut venæ ſectio, dicendum eſſet revulſionem eſſe averſionem confluentis, aut confluxuri humoris ad contraria, & remota.

Diximus autem confluentis, aut confluxuri humoris, quia his ſolis debetur revulſio, confluxis verò, & jam in parte receptis evacuatio. Et ſi doctiſſimus Sanctorius etiam confluxos revelli aſſerat, idque 14. ſuæ Meth. cap. tert. pluribus rationibus nitatur comprobare & ipſius Gal. auctoritate, quem tamen, ſi omnia loca perpendamus, quibus de hac materia pertractat, facilè apparebit, voluiſſe revulſionem eſſe confluentium ſuccorum, aut eorum, qui confluxuri ſunt, remedium, non confluxorum: his verò evacuationem deberi ſemper ſtatuiſſe, quod videre eſt lib. Art. med. cap. 95. 13. Meth. 8. 9. & ii. 2. ad Glauc. 2. Com. 1. in lib. de hum. tex. 13. & pluribus aliis in locis. Hinc, quando jam ceſſavit fluxio, nullam facit revulſionis mentionem. Nec

Num revulſio conveniat fluxis humoribus,

aliter ſentit Hipp. & ideò dicebat 6. morb. vulg. ſec. 2. tex. 29. & lib. de hum. tex. 13. com. 1. Revellere, ſi, quo non oportet, ferantur. Sed, & ſignificatio nominis idem oſtendit, averſionis enim nomen præcautionem videtur præ ſe ferre. Et vulgò etiam malum averti dicitur, quando prohibemus, ne imminens malum accidat: quod ſi malum acciderit, non ampliùs avertimus malum, ſed à malo eripimus. Nec valet, quod ipſe primo loco affert in ſuæ ſententiæ comprobationem, poſſe ſcilicet in contrarium moveri, qui confluxerunt, humores; in hoc ſiquidem non eſt ſita revulſionis ratio. Non omnis humor, qui in contrarium movetur ope præſidii medici revelli dicitur, ſed is tantùm, qui movetur verſus partem aliquam, vel in eam confluxurus eſt, aliter omne remedium evacuatorium per partem eſſet revulſorium, immo & ipſa repulſio eſſet revulſio.

Quo ad pleuritidem vero, concedimus quidem per ſectam in cubito venam evacuari poſſe confluxurum ſanguinem, & unà revulſionem fieri, ſed negamus, eatenus revellere illam venæ ſectionem, quatenus evacuat ſanguinem confluxum, ſolùm enim revellit, quatenus reſpicit confluentem, aut confluxurum humorem. Non eſt remedium merè revulſorium, ſed mixtum ex revulſorio, & evacuatorio partis: Et reſpectu confluxi ſanguinis eſt locale auxilium, non revulſorium, ſed merè evacuatorium. Quam veritatem ipſemet confeſſus eſt eod. lib. cap. ult. dum admittit, talem venæ ſectionem eſſe remedium mixtum, revulſorium ſcilicet, & derivatorium; revulſorium quidem reſpectu fluentis, & fluxi humoris; reſpectu vero confluxi, qui non reſiſtit, ſed ſequitur eundem motum, derivatorium: Et ſi poſteà aliam materiam, quæ non cedit, in inflammatione commentus ſit, quæ cum reſiſtat, vult eam revelli. Sed quomodo hanc materiam talis venæ ſectio evacuet, cum non poſſit eſſe niſi impacta, ipſe videat. Libenter etiam ab ipſo peterem, cur non ſit potiùs dicendus revelli, quàm derivari confluxus ille humor, cum attrahatur ad contrarium, quod juxta ipſum eſt de revulſionis natura, & etiam videtur admittere cap. 3. Nec valet ejus commentum, quod ſcilicet non reſiſtat, ſed ſit pronus ad eundem locum, in quo fit revulſio, quam enim propen-

pensionem possit habere in inflammatione lateris existens humor ad cubitum, non video, sed cum cap. 3. manifestè admittat eam venæ sectionem esse quoque revulsoriam respectu istius confluxi succi, manifestum est, ipsum parum sibimet constare. Si Gal. 4. de ra. vic. in acu. tex. 30. inquit: In Angina oportere ad exteriorem superficiem revellere circumpositis collo, quæ attractoria polleant facultate, medicamentis non, propriè usus est nomine, sed attractionem intellexit. Quod affert 2. loco de sectione jecorariæ in jecinoris inflammatione, nihil est: concedimus per eam venæ sectionem posse evacuari sanguinem in inflammatione contentum, sed respectu hujus sanguinis non erit remedium revulsorium, sed evacuatorium. Quando verò Gal. in catarrho salso, quod 3. loco afferebat, applicat ceratum de thapsia, non confluxum humorem respicit, sed confluentem, & confluxurum ad thoracem.

Quo ad materiam confluxam ad orificium ventriculi, negamus, eam posse revelli, sed evacuatur à medicamento, aut à natura irritata expellitur. Argumentum ex Naturali Philosophia depromptum non aliud probat, quàm posse revulsionem competere quiescentibus humoribus, quod nos non negamus, atqui ad eos, qui jam recepti sunt in parte, vis rationis non pervenit. Quod affert ex Gal. 4. Meth. 6. nihil urget, inquit enim Gal. Si jam fluxio restitit, atque in membro inhæsit, derivare per vicina magis expedit, non quod etiam velit, posse revelli eundem humorum, sed quoniam & à magis longinqua parte, & ab ea, in qua revulsionem molimur, potest interdùm evacuari confluxus humor, ut patet, quando venam cubiti ejusdem lateris secamus in pleuritide. Verùm longè faciliùs evacuatur pars per proxima, idcircò dixit magis. Quandoque tamen non habemus proximam partem, per quam receptum in parte humorem evacuemus, & tunc facimus, quod possumus, & naturam imitamur, quæ sanguinem in jecinoris inflammatione contentum per nares evacuat. Sic nos in uteri inflammatione venas in talo, aut in malleolo incidimus. Puer liberatus fuit à comitiali morbo ex aura frigida à crure ascendente medicamine ex thapsia, aut sinapi tibiæ admoto, quoniam dissipata fuit aura illa venenata, & si fuit revulsa, non erat materia fluxa, sed fluxura, licet quiescens.

Quo-

Revulsio fit ad contraria, & remota.

Quoniam verò tuta maximè redditur pars à fluxione, ut mox dicebamus, quando ad contraria, & remota humorum impetus convertitur, propterea ad contraria, & remota fieri revulsio; dicitur & propriè revelli dicuntur, quæ ad remota, & contraria trahuntur, sicuti derivari, quæ ad vicina. Ut illæ duæ conditiones necessariò ad revulsionem requirantur, & eæ solæ eandem constituant. Unde Hip. libro de hum. tex. 13. com. primi: Derivatio in caput, in latera, qua maximè vergit: at revulsio in supernis deorsum, in infernis sursum. Et 6. Epid. sec. secunda tex. 9. Dissimilia si sursum repant, deorsum detracta solvere, & contraria ipsa, ut capitis purgatio, venæ sectio, ubi non sponte detrahitur. Et Gal. libro de hum. com. primo tex. 13. Revulsio, & derivatio sunt ab Hip. reperta, cujusque immodicæ evacuationis remedia, fit autem derivatio ad vicina, revulsio ad contraria. Et eodem: Revelluntur, quæ supra sunt, deorsum sicuti in iis omnibus, quæ infra sunt, sursum fit revulsio, prætereà a dextris ad sinistra, & à sinistris ad dextra, & ab internis ad externa, & vicissim ab his ad illa. & rursus: Cum humores intro vergunt, sunt extra revellendi; cum in posteriores partes se recipiunt, tu eos in anteriores attrahes: cum huc tu contra in contrariam partem adduces. & secundo ad Glauc. secundo: Semper fluxionis motum ad contrarium trahere expedit. & 13. Meth. xi. Longissimè à tentata fluxione parte, quod redundat, revellere, nequaquam ad eam trahere convenit. & eodem: Ad partes, quæ maximè longinquæ sunt, semper revulsionem facies, æstimata phlegmonis magnitudine, tùm corporis totius statu. Et libro Art. med. capit. 99. At ἀντισπασις communis indicatio est, ad quam maximè distantia; derivatio verò ad vicina. Et 6. Epid. sec. secunda, tex. 9. Humores etenim, qui sursum feruntur, hoc est, in sublime, deorsum revellendi sunt, si perperam sit eorum motus, contra verò agendum est in his, qui in contrarium feruntur. Ad remotas igitur, & contrarias partes ei, ad quam fluunt, vel fluxuri sunt, attrahuntur revulsione humores: quæ quidem contrariæ partes aliquando sunt fluxionis origines, ut, quando Gal. 5. Meth. 14. capiti applicabat ceratum de thapsia, quo prohiberet, & averteret destillationem à capite in pulmones, aliquando verò nequaquam, sed

ſed ſimpliciter contrariæ recipienti parti, ut, quando in angina ex fluxu ſanguinis à capite venam in pede, vel cubito ſecamus, & propterea non ab re actionem hanc appellarunt Græci antiſpaſin, & eam perfectè compleri averſione ad contraria, & remota judicatum eſt, nec aliud prætereà requiri: unde ſi revellendæ materiæ gratia à capite uti volumus frictionibus, aut vinculis, hæc inferioribus partibus adhibemus, ſive ad dextram capitis partem fluat materia, ſive ad ſiniſtram: ſi ad cor pravi eleventur vapores, deorſnm conamur attrahere, & ad dextram, & ad ſiniſtram partem cucurbitulis, frictionibus, vinculis, & aliis attrahentibus præſidiis, atque ut ad remotiores partes fiat attractio, curamus, illud pro comperto habentes, quò longiùs materia diſtrahitur, eò ſecuriorem à fluxione partem reddi: & hoc ſolùm nobis proponimus. Negari quidem non poteſt, quin priùs, & faciliùs irruat fluxio ad aliquam partem ex iis, quæ illi ſunt è directo, præſertim ſi per venas fiat fluxio, & ita etiam faciliùs retrahi; & averti fluentem materiam ſi per directum fiat revulſio, ſed tamen & à partibus dextris ad ſiniſtras, & ab his ad illas fit fluxio, ideoque, & ad ſiniſtras retrahendum, ubi ad dextras ingruit fluxio, & ad dextras, ubi ad ſiniſtras. Nonne obſervamus pleuritidem à dextra in ſiniſtram partem permutari, & è converſo, potiſſimùm, ſi quis ad pauca reſpiciens, in oppoſito brachio venam ſecet? In capitis quoque vulneribus ſæpè fit materiæ tranſitus à dextra in ſiniſtram partem, & è converſo, ex quo & partis appoſitæ paralyſis, aut convulſio accidit, quemadmodum in lib. de vuln. cap. ſcriptum reliquit Hip. In acutis pariter, in quibus materia turget, videmus hanc moveri maximo impetu à dextris ad ſiniſtras partes, & viciſſim ab his ad illas.

Si ergo tota inflammationis materia quandoque ſpontè, quandoque revulſa à dextra ad ſiniſtram, & è converſo à ſiniſtra fertur ad dextram, & omninò ſi confluunt ſucci à dextris ad ſiniſtras, & ab his ad illas, profectò non erit abſurdum, ſi ad dextras quoque vel ſiniſtras partes fiat revulſio. Sunt tamen revellentia quædam præſidia, quæ ob peculiarem revellendi modum rectitudinem expoſcunt, cujuſmodi eſt venæ ſectio, quæ cum ſanguinem evacuet, vitæ theſaurum, & propterea viribus diſpendium afferat, ita fieri

 debet,

debet, ut, quæ major poteſt utilitas ex illa habeatur, minùs verò percipiatur detrimenti. Ideoque ſi affectus ſit inflammatorius, ut aliquid ejus jam factum ſit, aliquid autem etiamnum fiat; non raro, quod factum eſt, urget nos ad ſui evacuationem, quod cum præſtare ab eadem parte non valeamus, eò quòd major concitaretur fluxio, ſecamus venam in longinquiori parte, ſed rectitudine ſervata, eam videlicet venam eligentes, cum qua etiam aperiantur venæ lanæ laborantis partis, quemadmodum interpretatus eſt Gal. 13. Meth. 11. ut in pleuritide dextri lateris ſecando venam internam dextri cubiti, per quam, licet exquiſitam revulſionem non præſtemus, aliquam tamen, & inſignem facimus, & præterea à parte evacuamus. Hoc igitur facimus, quando, quod eſt in parte, magis urget, quàm id, quod à contrario latere poteſt fluere, & vires non ferunt, ut priùs à contrario, deindè ab affecto ſtatim ſecetur vena; nam ſi utrumque fieri poſſet, nihil eſſet magis eligendum. Sed quoniam interim, dum moram interponimus, ut ſectio venæ ad contrarium latus attrahat, nolentes id impedire per venæ ſectionem ejuſdem lateris, vel ut vires recreentur, & alteram evacuationem poſſint perferre, ex ſanguine in eodem latere exiſtente, & circa affectam partem augeri nimis poſſet inflammatio, ſtante præſertim dolore, & calore partis, ſæpè cogimur, omiſſa ſectione venæ oppoſiti lateris, ſecare, quæ in latere affecto ſimul poteſt revellere, & à parte evacuare. Et hoc eſt, quod dicebat Gal. lib. de cur. ra. per ſang. miſ. c. 15. & 16. venæ ſectionem in oppoſito latere in pleuritide vel nullam, vel paucam, & obſcuram, & non niſi tardè utilitatem præſtare. Ampliùs, quoniam venæ ſectio non revellit, niſi quatenùs ſanguinem evacuat, à qua evacuatione motum ſuſcipit ſanguis ad aliam partem, manifeſtum eſt, eam parùm ex uſu futuram ad revellendum, niſi vena, quæ ſecatur, communionem proximam cum mittentibus partibus habuerit, qua de cauſa non quamcunque venam revellendi gratia ſecamus, ſed delectum habemus, & hæc eſt ea rectitudo, quæ in mera, & exquiſita revulſione ſervanda proponitur. Verùm de ſectione venæ aliàs. Patet igitur, modum, quo fit revulſio, eſſe in cauſa, ne ſemper ad maximè longinqua, & contraria revellamus.

Eſt

Est etiam particularis revulsio, quæ particularem fluxionem respicit. Hanc vix in alia parte observaveris, quàm in capite: fitque quando ab una capitis parte, ad aliam, ut a cerebro ad oculos humor confluit. Sicuti ergo revulsio hæc est particularis, ita in ea non servatur simplex distantia, sed secundùm quid, hoc est, respectu ad talem fluxionem, quæ non est à valdè longinquis partibus, retrahitur enim humor ad contrariam, & remotam partem in capite, sic in fluxionibus oculorum à cerebro, cucurbitulas occipiti admovemus, setonemque affigimus, acribus palatum illinimus, masticatoria præscribimus, & alia id genus. Hac ratione dicebat Hip. 6. Epid. sec. 2. tex. 30. In oculorum fluxu ad fauces revellere oportet. Eandem revulsionem significavit 5. Aph. 68. & 6. morb. pop. sec. 2. dicens: Dolenti partem capitis posteriorem recta vena in fronte secta juvat, in his enim doloribus, inquit Gal. in com. illius Aph. cum aversione evacuatio ex fronte fiet. & 6. morb. pop. sec. 2. tex. 27. hanc appellat localem revulsionem. *De particulari revulsione.*

Undè nec penitùs approbanda videtur Sanctorii sententia, qui existimavit, convenire per se revulsioni, ut fiat ad proxima, ut citò fiat, namque per se si fieret ad proxima, semoto prohibente semper, & in omni casu ita esset revellendum. Utemur eodem argumento, quo ipse usus est, ad comprobandum, non convenire per se revulsioni, ut fiat ad remotissima; quod enim per se competit alicui, competit omni, & semper, at saltèm in sanis, semoto etiam prohibente, non fit revulsio ad proxima, igitur talis conditio non competit per se revulsioni: probatur, quod assumptum est, ex Hip. lib. de nat. hum. tex. 9. com. 2. ubi ait: Procurandum autem est, ut sectiones quàm maximè procul ab illis locis faciamus, ubi dolores excitari, sanguinemque colligi noverimus, quem locum interpretatur Gal. de revulsione facienda sanitatis tempore, tunc siquidem etiamsi nulla adsit repletio in corpore, nihilominùs stat Hip. sententia, nec fieri debet venæ sectio ad proxima: aliter non interciperetur consuetudo, ne ampliùs in eundem locum confluant, seu non assuefierent humores redundantes in alias ferri partes. Rectè quidem sensit dum asseruit, non omnem revulsionem fieri ad distantissima, verùm non ob id erat inferendum, per se fieri ad

proxima. Non omnis revulſio fit ad quàm maximè longinquā, ſed alia fit ad remotiſſima, alia verò ad minùs remota. Finis quidem revulſionis eſt, ut tuta reddatur pars à ſuccorum affluxu, & cùm maximè tuta reddatur, dum ad remotiſſima avertuntur ſucci, idcircò reſpectu hujus finis omnis revulſio deberet fieri longiſſimè à parte affecta, hoc eſt, procurandum eſſet, ut ad quàm maximè longinqua moverentur Succi, ſed cùm opportuna media interdum imbecilliora ſint, quàm conveniret, vel citra maximum virium detrimentum id præſtare nequeant, idcircò non ad maximè longinqua ſemper revellimus, ſemper tamen ad aliqualiter remota. Longinquitatem igitur metitur locus, unde fluit materia, & modus, quo debet fieri revulſio. Quò à remotioribus partibus fluit materia, eò longiùs convertendus eſt humorum impetus, quò verò à vicinioribus, eò etiam à minùs remotis: ſatis eſt, ut citrà periculum repletionis affectæ mittentem exhauriamus partem. Si à cerebro ad oculus materia flueret, maximè tuti redderentur ab hoc influxu oculi, ſi materia fluens e. g. ad brachia, & pedes converteretur; Verùm quodnam remedium abſque majori detrimento idem præſtaret? hac ergo de cauſa ad occiput, & ad fauces eam revellimus, eligentes longinquiorem partem à parte affecta. Quòd verò revulſio per ſe fiat ad remota, non ad proxima, cogerentur etiam fateri contrariam tuentes ſententiam, ſi ab iis quæreres; eorum utemur telis, cur non fiat revulſio per proxima, ſiquidem una voce reſponderent, ne humores ad locum affectum trahantur, & ſic revulſio hac de cauſa non fit ad proxima; igitur conditio illa potius deſtruit, quàm conſtituat revulſionis naturam.

Argumenta ab eo adducta nihil me movent. De ratione revulſionis eſſe, ut citò, & non tardè fiat, admittimus, igitur per proxima erit revellendum, ſequelam negamus: non ſolùm enim non fit citiùs revulſio per proxima, verùm nec fit revulſio, ſed potiùs attractio ad partem. Reliqua argumenta nullam vim habere comperientur, ſi conſideraverimus longè à tentata fluxione parte avertendos eſſe ſuccos, non autem longè à mittentibus partibus, ſeu à partibus, unde humor profluit, nec deberi revulſionem fluxis humoribus, ſed ſolummodò fluentibus, aut fluxuris. Ad remotas igitur, & contrarias partes ei, ad quam fluunt, vel fluxuri

xuri ſunt, attrahuntur revulſione humores: quæ quidem contrariæ partes aliquando ſunt fluxionis origines, ut quando Gal. 5. Meth. 14. capiti applicabat ceratum de thapſia, quo prohiberet, & averteret deſtillationem à capite in pulmones, aliquando verò nequaquam, ſed ſimpliciter contrariæ recipienti parti, ut quando in angina ex fluxu ſanguinis a capite venam in pede, vel cubito ſecamus, & propterea non ab re actionem hanc appellarunt Græci antiſpaſin, & eam perfectè compleri converſione ad contraria, & remota, nec aliud prætereà requiro. Hanc revellendi rationem docuit Medicos ipſa natura. Videntes enim Medici, quomodo natura morbos ſedat, materiam ad loca contraria, & remota tranſmittens, nam vomitus ſanguinis ſupervenientibus menſibus ſedatur, collegerunt, optimum eſſe conſilium in morbis a fluxione fluentem materiam ad contraria loca attrahere, & ideò Gal. lib. de hum. com. 1. tex. 13. dicebat; Medicus debet naturam imitari, id ipſum verò ipſa facit perſæpè, ut eſt, in Aphoriſmis conſcriptum: Si, inquit, mulier ſanguinem vomat, menſtruæque purgationes ſuperveniant, morbus ſolvitur, quocircà nos cùm menſtruæ purgationes vehementiùs, & confertim evacuantur, & cum ſanguis ex utero fluit, ſurſum revellere conſuevimus. Cum autem ad loca contraria patienti particulæ ſemper fiat revulſio, nemini dubium eſt, ab ipſius patientis particulæ poſitu contrarietatem hanc præſcribi, haberique quibus partibus revellentia præſidia ſint adhibenda, unde Gal. 14. Meth. 8. Quod autem in priapiſmo vomitoriis medicamentis potius, quàm ſubducentibus utendum, in linguæ vitio contra, id ex partium ſitu indicari manifeſtum eſt, nam averſionis in contrarium, quæ ab Hip. antiſpaſis dicitur, non à ſubſtantia, ſed à membri curandi poſitu inventio præſtatur.

A quo præſcribatur contrarietas ſervanda in revulſione.

Ex his colligi poteſt, non immeritò inter revellentia præſidia à priſcis fuiſſe collocata & venæ ſectionem, & cucurbitulas tùm ſcarificatas, tùm citra ſcarificationem, & hirudines, & ſcarificationes, & vomitoria, & ſubducentia alvum, & frictiones, præſertim aſperas, & vincula, & ſinapiſmos, & veſicantia, & inuſtiones, & balnea calidioris aquæ, & omnia præſidia, quæ dolorem cient, ſi remotis, & contrariis partibus adhibeantur. In quorum tamen uſu, quando aliquid in particula receptum eſt, quod negotium

Præſidia revellentia.

Non eſt perpetuò inſiſtendum re-

vulsoriis præsidiis, etiamsi humor influat.

tium faciat, non est perpetuò insistendum, etiamsi humor influat, sed quandoque eorum usum intermittere oportet, ut interim excerni permittamus humorem, qui ad partem jam influxit, sic enim dolore minùs conflictabitur particula extrusis, qui illam distendebant sua multitudine, succis, quique eidem sua qualitate molestiam inferebant, & ex consequenti magis proficient revulsoria præsidia, reddentur enim fluentes succi magis obsequentes. Hac de causa Gal. Epid. sec. 2. tex. 8. Noscant oportet, qui sunt humores perperam in aliquod membrum procumbentes revulsuri, revulsoriis præsidiis perpetuò non esse incumbendum, sed tempus aliquod intermittendum esse ab hujusmodi revellentibus vacuum, ut interim humorem, qui jam laboranti particulæ insederit, excerni permittamus, is enim si in membro persliterit, duplici ratione illud offendet, multitudine videlicet illud distendens, atque sua illi qualitate molestiam afferens. Quòd si humores in particulam jam delatos extrudi sciveris, illam à dolore vindicabis, faciliusque revellentibus medicamentis aliquid promovebis, cum non ampliùs affecta pars dolore in seipsam humores secundùm id momentum, quod inter initia acceperant, concitet. Tanti hoc fecit, Hip. ut reluctantibus succis ab iis, quæ revellunt, abstinendum esse volverit, ideò 6. Epid. sec. 2. tex. 8. dicebat: Cedentem revellere statim, reluctantem dimittere.

Non sunt cogendæ revellentibus contumaces fluxiones.

Quocirca quando in ipsa parte affecta reperitur valida quæpiam fluxionis causa, hanc præstat submovere, aut saltem mitiorem reddere, antequam insigni aliquo præsidio revellamus, nisi revellenti præsidio cessuram conjectemus, ne remedio, quod aliis profuit, frustra, & cum virium dispendio manus admoveamùs. Sed illud quoque timendum est, ne vim inferendo fluxionem magis adaugeamus: propter conatum enim calefit non raro, atque attenuatur materia, & magis fluxilis redditur, ut majori impetu in affectam irruat: & hac præterea ratione quod majorem noxam persentientes partes magis etiam enituntur, ut, quod molestum est, expellant, atque ita sanguinem, & spiritum vehementiùs exprimunt; neque vero ad partem, ad quam conamur revellere, sed ad affectam, ut in qua fluxionis occasiones sunt potentiores. Idem accidit, quando propter transmittentium

tentium partium robur, & recipientium imbecillitatem, materia fluens sistentibus remediis est rebellis, ut in hoc casu cautè admodum revellere oporteat. Quod etiam respexisse divini senis oraculum, quando dicebat, reluctantem dimittere, non est dubitandum. Hinc & Avic. 4. 1. cap. 3. Cumque materiam ad longinquum trahere volueris, loci dolorem priùs sedabis, ut ipsius minuatur coarctatio per attractionem, quoniam dolor est trahens: Cumque ad locum non obedit, ad quem ipsam trahis, non violenter agas, quoniam quandoque violentia illa ipsam movebit, & subtiliabit, & non trahetur, & fiet velociùs declinans ad dolentem locum.

Illud quoque animadversione dignum est, quòd non sunt usurpanda revellentia sine discrimine in fluxionibus, verum cum ex iis alia sint fortiora, alia imbecilliora, in fortioribus fluxionis causis, & in fluxionibus, quæ majora minantur pericula, fortiora quoque revellentia sunt ex usu, in contrariis leviora sufficiunt. Quod si in levioribus fluxionibus iis, quæ fortiora sunt, quis uteretur, nulla cogente necessitate laborantem affligeret.

CAPUT XXX.

De cicatricis inductione, & cicatrizantibus, seu epuloticis.

Cicatricis inductio est opus, quo paratur aliquid loco deperditæ cutis, ipsi cuti simile, & quod ejus officium suppleat: vulnus enim carne repletum tegumentum postulat, proprium verò, & naturale carnis tegumentum est cutis, quæ deperdita, quoniam est pars seminalis, reparari non potest, veluti caro deperdita, ideoque generatur aliquid cuti simile, quod cicatrix appellatur, quæ nihil aliud est, quàm caro exsiccata, condensata, & indurata, ob idque naturam cutis, quæ carne siccior, ac densior est, referens. Quare sicuti carnis materia est sanguis, *Cicatrix* ita cicatricis materia est ipsa caro. Hinc Gal. 3. Meth. 5. Quod *quid.* cavum est impletur ex gignenda carne, quæ ex sanguine ortum habet, at ad cicatricem perducitur, quod jam repletum est ex gignenda cute, quæ ex subjecta creatur carne, cæterum cutis

eadem

eadem ſpecie cum ea, quæ periit, prorſus reſtitui non poteſt, ſed ſimile quiddam cuti, & quod ejus officium ſuppleat, poteſt, non tamen planè cutis. Et inferiùs. Quoniam tegere carnem naturali aliquo tegumento propoſitum eſt, quippe id eſt, ad cicatricem ducere ulcus, aut cutis nobis generanda eſt, aut ſumma caro cuti ſimilis eſt efficienda: verùm, ut cutis regeneretur, fieri omninò nequit. Quod ſupereſt igitur, efficere eſt tentandum. Et inferiùs: Quoniam cutis carne ipſa tùm ſiccior eſt, tùm etiam denſior, ſi carnem ſiccabimus, & adſtringemus, cuti eam perſimilem reddemus.

Cicatricis obductio utrum naturæ an medicamentorum ſit opus.

Sed, quamvis ſatis conſtet, materiam cicatricis eſſe ſummam carnem, attamen num cicatrizare ſit opus naturæ, an medicamentorum, non uſquequaque facilè eſt determinare, Galen. enim opus hoc naturæ tribuere videtur unà cum agglutinatione, & carnis generatione, unde 3. Meth. 8. dicebat: Fieri non poteſt, ut in ulcere vel carnis productio, vel ſinus impletio, vel agglutinatio, vel cicatricis inductio rectè unquam cedat, niſi ſubjecta caro pro naturali modo ſe habeat; ſunt enim omnia hæc naturæ opera. Et com. in librum de artic. ſcribit, in utero materno abſceſſus contingere poſſe, qui ſua ſponte aperta vomica pus effundunt, & cicatricem ſolo naturæ beneficio contrahunt. Et quidem, ſi medicamentorum eſſet opus, nihil obſtare videtur, quo minus induci poſſet, etiam carne intemperata, at hoc fieri non poteſt, docet enim experientia, ut & Gal. animadvertit, induci non poſſe cicatricem, niſi caro pro naturali modo ſe habeat, evidentiſſimum argumentum, quod ſit naturæ opus. Præterea ſi eſſet medicamentorum opus, induci poſſet cicatrix ad libitum in vulnere cavo ante carnis generationem, quia caro etiam in fundo vulneris ſiccari, & adſtringi poteſt, at hoc eſt abſurdum, ut omnibus notum eſt: generabitur quidem callus, ut in fiſtulis, non autem cicatrix. Ampliùs ſi eſſet medicamentorum opus, abſque medicamentis appoſitis induci cicatrix non poſſet, at hoc eſt falſum; ſæpe enim obſervatum eſt, iiſdem prorſus medicamentis, quibus regenerata fuit caro, inductam fuiſſe cicatricem, immò non raró abſque ullius medicamenti ope. Neminem eſſe arbitror, qui aliquando non viderit, in ſponte genitis

genitis ulceribus iisque etiam satis magnis, atque manantibus super ortam crustam decidisse, ulcusque cicatrice obductum reliquisse, cum tamen patiens nullo fuerit medicamento usus.

Altera verò ex parte videtur id esse medicamentorum opus, cum enim cicatrix sit caro exsiccata, adstricta, & indurata, hæc autem medicamentorum sint opera, non naturæ, asserendum videtur, cicatricis inductionem à medicamentis fieri, nequaquam a natura, unde & Gal. 3. Meth. 5. eam medicamentis tribuere visus est; dicebat enim: Si carnem siccabimus, & adstringemus, cuti eam persimilem reddemus, & 5. de simp. med. fac. cap. 15. Id est in planis ulceribus ad cicatricem ducendis consilium, ut caro alteretur, fiatque cutis, idque perficitur per ea, quæ illam contrahere, constringere, constipare, densare præterea siccare, & calli instar indurare valeant, quippe cum cutis velut in callum durata caro sit. Ea igitur medicamenta, quæ sic agere possunt (ecce quomodo opus illud medicamentis tribuit) primariò, proprieque dicuntur epulotica, sive ad cicatricem perducentia.

Admodum urgent utrinque allatæ rationes, ut uni parti magis, quàm alteri hærere, haud tutum consilium existimem: Sed fateri cogimur & naturam, & medicamenta proprias habere partes in hoc opere. Duo namque licet in cicatrice considerare, formam videlicet cicatricis, & qualitatem, seu temperamentum carnis, quæ fit cicatrix, formam natura præstat, medicamenta temperamentum, quamvis & natura aliquid conferat ad temperamentum; exsiccat enim naturalis calor, & hinc est, quod juxta sanas partes primò oritur cicatrix. Id tamen & hac altera ratione potest contingere, quod caro juxta veram cutem existens, quæ sicca sua natura est, siccior est ob cutis siccitatem, promptiusque siccatur, Quod verò natura sit ea, quæ dat formam cicatrici, ex eo licet colligere, quòd quantumvis siccetur, & adstringatur caro, nunquam tamen fit cicatrix, nisi pars pro naturali modo se habeat, fiet quidem callus, sed non cicatrix. Quia tamen humiditas, & laxitas, ac mollities carnis impedit, ne inducatur cicatricis forma, idcircò siccari, & adstringi, atque indurari caro debet; sic enim præparatur caro ad receptionem formæ cicatricis: atque si humiditas, & laxitas, ac mollities sint exigua, & calor naturalis

Cicatricis obductio est opus tum medicamentorum tum naturæ.

Natura dat formam cicatricis.

robuſtus, nec affluat humiditas ad partem, & modica cutis portio deficiat, non raro naturalis calor abſque medicamentorum ope cicatricem inducit. Hinc obſervavi ſub medicamento non ſolùm ſarcotico, verùm etiam ſuppurante inductam fuiſſe cicatricem. Aer ambiens & ipſe, temporibus præſertim calidis, niſi multa ſit humiditas carnis, & laxitas, ſolet ſiccare, quantum ſatis eſt, atque indurare carnem; hinc obſervamus in quibuſdam ulceribus ſuperoriri cruſtam, qua decidente ulcus cicatrice obductum conſpicitur, idque nullo appoſito medicamento.

At, ubi humiditas carnis, & laxitas eſt multa, neceſſarius eſt medicamentorum uſus, quæ ſiccent, & adſtringant, & indurent carnem, quæ Gal. appellat epulotica, ſeu ad cicatricem perducentia 5. de ſimp. med. fac. cap. 15. non quia formam cicatricis inducant, ſed quia carnem diſponant ad recipiendam cicatricis formam. Non ſolum igitur ſuperfluam humiditatem conſumant oportet, verùm etiam & propriam carnis, ac præterea adſtringant, & indurent; ideò Gal. 2. de comp. med. per gen. capit. XX. Finis glutinantium, dicebat, eſt, nullam inter coitura ſubnaſci humiditatem permittere, cicatricem verò inducentia non hanc tantùm impedire, ſed etiam nunc conſiſtentem in iis, quæ mox cicatricem ducent, conſumere; adhæc callo obducere, & adſtringendo indurare: Unde & ibidem cicatricem ducentia pharmaca multò glutinantibus ſicciora ſtatuit. idem aſſerit 3. Meth. 5. ubi tradens diſcrimen inter glutinantia, & cicatricem ducentia, hæc habet: Ergo quo hæc ab illis diſtent, id ſi ipſam rerum ſubſtantiam inſpicias, invenies: nam quoniam in glutinatione ulcerum ſiccandum, quod affluit, eſt, quo videlicet pars affecta ſuperfluis vacet, in cicatrice ducenda, non modò quod affluit, verùm etiam humor qui in ipſa carne continetur, eſt conſumendus, multò profectò ſiccius, quod cicatricem inducat, quam quod agglutinet, eſſe conveniet: quando glutinaturo ſolum id propoſitum eſt, ut ejus, quod ſecundùm naturam eſt, redundantiam conſumat; quod cicatricem inducit, non hoc modo, verùm etiam, ut ei, quod ſecundum naturam ſe habet, aliquid deradat. Animadvertit tamen Gal. 5. ſimp. capit. 15. Ex medicamentis, quæ id præſtant; alia id facere per ſe, & primariò, alia verò per accidens, & ſecun-

Epulotica alia per ſe ſunt talia,

cun-

cundariò, & hæc quidem ſunt ea medicamenta, quæ cathærretica appellantur, hoc eſt, quæ carnem detrahere, & colliquare ſunt nata: ejuſmodi medicamenta nonnunqam evadunt epulotica, quando videlicet in tenuiſſimum pulverem redacta in modica admodum quantitate inſperguntur. unde Gal. loco citato: Cæterum confuſa eſt apud pleroſque medicorum non ſolum appellatio, verùm etiam omnium id genus medicaminum facultatis cognitio: ſiquidem, quæ carnem detrahere, & colliquare ſunt nata, ea nonnunquam vocant epulotica, hoc eſt; cicatricem inducentia, ſcilicet quod horum ſæpe uſu ulcera ad cicatricem perveniant; ſed id neque primariò, atque peculiari ipſorum facultate, neque in omni uſu ſequitur, ſiquidem ad exactum pulveris lævorem redacta id genus medicamenta per ſpecilli cuſpidem carnem leviter contingentia ulcera ad cicatricem perducunt, at ſi paulò largius utare, mordicant, colliquantque carnem, & ulcus cavum efficiunt, contra quam in iis, quæ re vera ſunt epulotica, ſiquidem niſi ſatis magnam eorum quantitatem imponas, nihil proficies. idem ſtatuit Avic. 4. primi cap. 28. unde dicebat: Si ergo illud, quod perditum eſt, tantum fuerit cutis, neceſſarium erit quod cicatricem inducit: & hoc quidem per eſſentiam cum ſtipticis, & per accidens cum acutis, cum ex eis adminiſtratur notum, vel limitatum, ſicut miſy, & chalcantum, quoniam magis juvant in exſiccando, & magis producunt cruſtam: nam, ſi multum fuerit, corrodet, & in ulceribus augmentum faciet. & ideo libro 2. trac. 1. cap. 4. cicatricem inducens medicamen appellat, quod in activis eſt temperatum, exſiccat verò ſine mordicatione. Quæ igitur per accidens cicatricem inducunt, ſunt veluti æris ſquama, ærugo, æs uſtum; alumen uſtum, fex vini uſta, miſy, chalcitis, præcipitatum, & hujuſmodi.

alia per accidens.

At quæ propriè ſunt epulotica expertia ſunt mordicationis, & facultatem habent, ut ſuperius dicebamus, exſiccandi, adſtringendi, & indurandi carnem, quibus qualitatibus prædita vicem cutis gerit, nam ſi carnem ſiccabimus, & adſtringemus, veluti dicebat 3. Meth. 5. cuti eam perſimilem reddemus, unde & lib. Art. med. cap. 92. Ad cicatricem igitur obducendam neceſſaria erunt exſiccantia, & ſine mordacitate adſtringentia medicamenta.

Verè epulotica.

ta. Cujus quidem facultatis censentur galla immatura, malicorium, balaustia, Ægyptiæ spinæ fructus, calx curiosè lota, cerussa, corallia, mirobalanorum cortex, myrti baccæ, ostreorum putamina, pompholyx, Cadmia, plumbum elotum, scoria plumbi, spodium, stibium, sanguis draconis, rubrica, minium, seu sandix, bolus Armena, terra Lemnia, terra Samia, & alia id genus Inter composita verò habentur Unguentum, & ceratum de tutia, unguentum, & ceratum de cerussa, unguentum & ceratum de minio, unguentum de plumbo loto, ceratum Barbarum, ceratum, seu emplastrum diachalcitidis, seu Phænicinum, vulgò diapalma appellatum, emplastrum de lithargyro, unguentum de calce, unguentum album Pauli, vinum rubrum adstringens, in quo bullierint cortices, & flores granatorum, alumen, baccæ myrti, rosæ rubræ siccæ, & folia plantaginis. Aqua plantaginis, vel myrti, in qua alumen, & sal bullierint. Pulvis ex aluminis combusti, & loti, coraliorum rubeorum ana unc. ſ. Boli Arm. or. terræ sigillatæ ana drach. ii. corticum granatorum, corticum mirobalanorum citrinorum ana drach. ii. ſ. Tutiæ præparatæ drach. iij. item pulvis ex æquis portionibus aluminis combusti, & loti, calcis decies lotæ, cornu cervi usti, & loti, tutiæ præparatæ, & terræ sigillatæ: quamvis, non in omni natura possint idem omnia præstare, alia enim ex ipsis aliis sunt licciora, & valentiora, & ob id aliqua in una natura cicatricem inducent, quæ in altera in ficciori videlicet, & valentiori tantummodo glutinabunt. Sicuti enim de sarcoticis dictum est, quòd infirmiores, molliores que naturæ, quæ ex iis mitiora sunt, postulant, validiores vero, & ficciores valentiora, ita etiam de epuloticis, ac de glutinantibus est intelligendum: quod quidem Gal. docuit 3. Meth. 6. dicens: Ergo illud non ratione modo, verùm étiam experientia considerantibus apparuit, non omnem naturam eadem medicamenta requirere (de sarcoticis loquebatur,) sed infirmiores, mollioresque mitiora, validiores, ficcioresque valentiora. Ita vero tum in iis quibus cicatrix inducebatur, se habebat, tum etiam, quæ glutinatione egebant. Et 2. de comp. med. per Gen. cap. XX. At primùm in eo meminisse oportet, quemadmodum mulierum, eunuchorum, & qui muliebriter degunt, imbecillioribus

Epulotica simplicia.

composita.

lioribus medicamentis indigent, virorum corpora, potissimùm qui ex virilibus muniis, & sole durum corporis habitum conciliarunt, ab imbecillioribus nihil præsidii sentiunt. Quod de naturis dictum est, intelligendum de partibus, ut iisdem locis monebat Galen. nam sicciores siccioribus indigent, molliores vero mitioribus.

Alia etiam medicamenta recenset Gal. 5. de simp. med. fac. capit. 15. quæ per accidens cicatricem inducunt, à cathæreticis diversa, sunt autem ea, quæ absque adstrictione exsiccandi vim habent mordacitatis expertia, cujusmodi est myrrha, litgargyrus, ostreum & diphryges combusta; talia enim sæpe quidem cicatricem inducunt illita, sed nec primario, nec sua facultate id efficiunt, unde aliquando promissa frustrantur, ut quæ adstrictione careant. Monet autem Gal. 5. de comp. med. per gen. cap. 7. ut in usu medicamentorum, quæ cicatricem inducunt, ea præcaveantur, quæ ad tactum aspera sunt, ut quæ callum potiùs, quàm cicatricem efficiant, sed eligantur ea, quæ multam ad tactum lævitatem inducant. *Alia epulotica.* *Notandum.*

CAPUT XXXI.

Prætermissam fuisse à Galeno indicationem maximi momenti in curatione vulnerum, ideoque ad inutiles, & superfluas confugere fuisse coactum; atque minus probe succorum fluxioni consuluisse.

QUisquis condere medendi methodum ad unguem parat, dicebat Gal. 2. Meth. 7. huic à primis indicationibus auspicandum, atque hinc ad eas, quæ deinceps sunt, transeundum, rursusque ab his ad proximas, itaque pergenti non priùs est desistendum, quàm ipsius sit compos finis. Quapropter cum germanam medendi vulneribus methodum condere proposuerimus, non alia nobis est incedendum via.

Cum ergo à primis indicationibus fuerimus auspicati, atque hinc ad eas, quæ deinceps sunt, transierimus, & ab his ad proximiores, vestigiis clarissimorum virorum inhærentes, si nullum in eliciendis indicationibus commissum fuisset erratum, ita ut nulla

nulla inutilis fuiſſet accepta, aut utilis, & neceſſaria prætermiſſa, & omninò ſi præfata doctrina ab antiquorum placitis deprompta certa eſſet, nulluſque remaneret ſcrupulus, nihil aliud relinqueretur, niſi ut, ſi quæ adhuc allatis poſteriores ſint indicationes, eas proſequeremur; &, ſi quæ materiæ medicæ fuerint prætermiſſæ, eas expenderemus, tandemque ad rectum uſum cujuslibet inventæ materiæ progrederemur. Sed, quoniam ab iis, qui interiùs rem perſcrutantur, defectus non leves continere, quamvis Galeni fuerit, & paſſim à poſterioribus accepta ſit, exiſtimatur, antequam ulteriùs procedamus, ut certa jaciamus fundamenta, operæ pretium eſt videre, an re vera deficiat, & in quibus defectus hic conſiſtat, ut, ſi in aliquibus manca deprehendatur, quod deeſt, addi poſſit, ſi vero in aliquibus ſupetflua, quod ſupereſt, poſſit demi.

Indicatio in hactenus traditis fuit prætermiſſa.

Videtur quidem Galenus indicationem maximi momenti prætermiſiſſe, ex quo poſteà coactus fuerit ad inutiles, & minimè neceſſarias confugere: idque, ſi ejus etiam principiis inſiſtamus, videre non eſt difficile. Profectò vulneratæ partis calorem naturalem imbecillum redditum ex vulnere fuiſſe, in ejus doctrina negari non poteſt: hoc ſuperiùs oſtenſum eſt, ſed & nunc, ne cogaris, Lector, aliud caput adire ex hoc uno colligas. Inquit Gal. 3. Meth. 3. Tenue excrementum conſequens ad alimenti mutationem, quod eſt ipſa inviſibilis perſpiratio, ſubinde fieri viſibile, quoties vel naturalis calor languet, vel nutrimento utitur, quàm juſtum ſit, ampliore, vel motus quiſpiam vehementior animali contigerit, idemque fatetur, in vulneribus fieri viſibile, cum fiat ichor, ſeu ſanies, ex qua ulcus redditur humidum, ob idque exſiccantibus, concludebat, ſemper indigens, eò quòd nunquam intermittatur hujuſmodi excrementi generatio, igitur langueat, neceſſe eſt, naturalis partis calor: ſemper enim generari hujuſmodi excrementum, ſcribit Gal. etiamſi vulneratus nutrimento non utatur, quàm juſtum ſit, ampliore, nec motus quiſpiam vehementior eidem contingat, quibus etiam de cauſis inviſibilis perſpiratio fieri ſolet viſibilis. Nam procul dubio ſupponit Gal. ſervari à vulnerato idoneam vivendi rationem, quam ſemper eidem præſcribere conſuevimus, aliter ſemper generari excrementum illud, & ejus ratione ſemper convenire exſiccantia, non aſſereret.

Probatur læſio naturalis caloris in vulneribus.

Si

Si ergo hoc verum eſt, & ejus eſt vulnera ad ſanitatem perducere, nam & diviſa labia agglutinat, & cava vulnera carne replet, & ſi quid ſuppurandum eſt, in pus convertit, cur non eſt indicatio ſumenda ab ipſo naturali calore? nonnè conſervandus eſt naturalis calor partis? & ſi imbecillis factus eſt, ſive quia ejus ſubſtantia fuerit diſſipata, ſeu qualitas occurſu ambientis, quem anteà non fuerat expertus, hebetata, nonne eſt roborandus, & ad priſtinam naturam reducendus; nonne ſunt fugienda, quæ illius ſymmetriam corrumperent? Admiratione dignum eſt, quomodo Gal. de iis, quæ ab imbecillitate caloris proveniunt, adeò fuerit ſolicitus, remedia excogitans, quæ genita excrementa abſumerent, cauſam verò deſpexerit. Abſumptionem excrementorum deſiderat, ſed eorum generationem inhibere contemnit, nec quæ ſit potior via conſulendi excrementis, quæ neceſſariò generantur, vires partis parvifaciens invenire potuit. Hinc factum eſt, quoniam uno inconvenienti dato multa contingunt, ut abſque uſu ſiccantium, & abſtergentium non poſſe negotium tranſigi profeſſus fuerit, immò nullum eſſe tempus, in quo hæc non requirantur: & eò etiam devenerit ut 3. Meth. 4. aſſeruerit, debere hujuſmodi medicamenta undique vulneris partes tangere. Si enim imbecillis ſit calor, & excrementa, quæ propter ejus imbecillitatem generantur, vulnerum ſanationi officiant, & proinde abſumi poſtulent, ſpretis naturalis caloris viribus, nulla remanebit via expurgandi ab iis vulnus præter eam, quæ ope ſiccantium & abſtergentium perficitur, dum qualibet die omnibus vulneris partibus admoventur. Quòd ſi temperamento, & robori partis fuerit conſultum, proculdubio comperiemus non ea poſſe colligi excrementa in vulnere, quæ curioſam hanc diligentiam, immò potiùs nocuam curioſitatem expoſcant; nocuam dico, quoniam dum volumus quotidie vulnus procurare, naturali tegumento exutas partes ambienti exponimus: ex quo nativi caloris ſubſtantia diſpendium patitur, & qualitatis efficacitas dejicitur. Sed quid referat partes proprio, & naturali tegumento deſtitutas ambienti exponere, aliàs oſtenſum eſt. Quis negaret, ſi reſtitui naturalis calor in priſtinum ſtatum poſſet, & in eodem conſervari, nihil eſſe præterea, quod pro vulnerum ſanatione deſideretur. Nonne & ipſe Gal. 3. Meth. 3. ſcriptum

Calor naturalis conſervandus, & roborandus.

Damna provenientia ex quotidiana ſolutione.

ſcriptum reliquit: Si ſana foret pars, & ſanguinis confluxus citra ullum vel in qualitate, vel in quantitate vitium, nihil eſſe prætereà, quod obſtet, quò minus prima carnis generatio proſperè contingat, idque nullius externi medicamenti ope. Non eſt autem exiſtimandum, quando Gal. ſalubrem partis ſubſtantiam conſervandam propoſuit, ad conſervationem naturalis caloris reſpexiſſe. Mediocriter enim ſiccantibus id nos aſſequuturos contendit, quæ cum excrementa reſpiciant, palam eſt non ea ratione ſalubrem ſubſtantiam partis conſervare, quia naturali calori proſpiciant.

Alter defectus.

Sed & minùs probè videtur conſuluiſſe Gal. fluxioni ſuccorum, cujus tamen in omni vulnere maxima habenda eſt ratio, ut ſuperiùs patuit, cum omne vulnus periculo fluxionis ſit expoſitum. Videtur enim in hoc defeciſſe crebram ſolutionem diligens, nam cum in vulneribus propter partis imbecillitatem, quæ robuſtiores ſunt, ad eandem propria excrementa, ut ea, à quibus irritantur, promptè tranſmittant, & ex dolore quoque ad eandem fiat ſuccorum attractio, dum crebrò deteguntur vulnera, imbecillitas partis fit major (novimus, quid ſit partes proprio tegmine carentes denudare) & in contrectatione partis non poteſt ferè non concitari aliquis dolor: hæc autem, ut ad fluxionem arcendam faciant, nemo non videt: Inter prima ſiquidem arcendæ fluxionis capita ea ſunt, ut omnis cauſa, quæ dolorem inferendi vim habet, devitetur, & pars recipiens ad temperiei mediocritatem reducatur. Quod ex ipſomet Gal. ſuperiùs fuit traditum. Ne igitur idem nobis eveniat, expendamus, quid pro conſervatione, & robore naturalis caloris ſit agendum, & quomodo tractandum vulnus, utque minima præſtetur fluxionis occaſio.

Quid agendum pro conſervatione & robore naturalis caloris.

Quas indicationes præbeat naturalis vulneratæ partis calor, facilè erit invenire, ſi conſideraverimus, quidnam ratione vulneris fuerit perpeſſus. Duo autem ei contigerunt mala, ut ſuo loco explicatum eſt, quia & ejus ſubſtantiæ non minima portio in auras abiit, & ejuſdem vivifica qualitas perfracta eſt, quapropter & reparare illius ſubſtantiam oportebit, & qualitatem ad priſtinam commoderationem reducere, ac proinde cavenda omnia erunt, quæ ſubſtantiam diſſipare valent, & qualitatem labefactare.

Reparationem ſubſtantiæ caloris procurabimus, difflationem ejus

ejus prohibentes; cum enim nunquam deficiat naturalis caloris generatio, si difflatio prohibeatur, ejus substantiam augeri necesse est. Quomodo verò prohiberi difflatio debeat, ex illius consideratione fiet manifestum, quod in causa fuit, ut evanesceret: id autem fuit naturalis tegumenti defectus, quare, quoniam in nostra manu non est, naturale illud tegumentum nudatis partibus superponere, aliud arte parandum erit, quod ejus vicem suppleat. Qualitatem caloris conservabimus, & in pristinum vindicabimus statum, illum foventes, fotus enim calor vegetior evadet, ac eidem amica qualitate subvenientes. Calorem fovebimus congruo tegumento: qualitas naturali calori amica erit caliditas nativæ similis. Tegumentum igitur, quod caliditatem habeat nativæ propinquam, laudatur. Si verò daretur medicamentum, quod à totius substantiæ proprietate naturalem partis calorem roboraret, nihil melius desiderari posset.

Necessitas tegumenti.

Hæc si vera sunt, quæ tamen esse verissima rei natura demonstrat, si sumenda sit indicatio à temperamento, seu naturali calore, tantum abest, ut necessarium sit quotidie vulnus detegere, ac procurare, ut potiùs, quò longiùs fieri possit, protrahenda sit solutio. Si enim detectio est in causa, ut naturalis calor evanescat, & ejus qualitas minùs efficax fiat, sub tegumento autem substantia caloris augetur, & roboratur qualitas, cur solvendum est vulnus, nisi necessitas urgeat? Eodem modo tractato vulnere longè meliùs fluxioni consuletur, ut enim dicebat Gal. Pars promptè non recipiet, si ad temperiei mediocritatem reducatur, at ea curandi ratione constat partem ad temperiei mediocritatem redigi, cum nativus calor roboretur. Prætereà dum vulnus tegitur, præcavetur is dolor, qui crebræ illius contrectationis est comes. Quocirca si hac curandi via naturalis calidi jactura tam probè resarcitur, & fluxio, quæ omnibus naturalibus operibus ita officit, præcavetur, concludendum est, non solùm nullam necessitatem nos cogere, ut crebrò vulnus solvamus, verùm potiùs quàm rarissimè detegendum. Et hac ratione meliùs, ac faciliùs sanari vulnera non est dubitandum. Hoc tamen, ut clariùs appareat, in præcipuis operibus, quæ ad vulnera sananda requiruntur, ostendamus.

Sub tegumento vulnus non est ita fluxioni obnoxium.

CAPUT XXXII.

Quòd melius est vulnera quàm rarissimè solvere, atque detegere, quàm quotidie id facere, ad extrahenda peregrina corpora, quæ primis diebus extractionem refugerunt, ad agglutinandum, ad carnem generandam, ad suppurationem promovendam, nec non & ad præcavendam fluxionem.

QUomodo ad sananda vulnera necessarium sit peregrina corpora, si quæ intra vulnus contineantur removere, labia divisa agglutinare, dum vulnus est simplex, cavitatem verò carne replere, contusam carnem, aut si quid aliud sit, quod suppurationem postulet, in pus convertere, semperque fluxionem avertere, ac inhibere, superiùs constitutum est. Hæc omnia plerique censent faciliùs, ac tutiùs consequuturos, si quotidie, nec semel tantùm, sed bis multoties, & ter etiam quandoque vulnera solvant, detegant, abstergant, eademque medicamentis recentibus, ut ajunt, nutriant. Nos contra asserimus longè fœlicius hosce scopos attingi, si quàm rarissimè vulnera solvantur, ac detegantur, nisi superveniens aliquod malum ad solutionem nos cogat. Et quantum illi à vero aberrent, nostra verò sententia rationi, ac veritati sit consona, in unoquoque prædictorum expendamus.

Facilius expelluntur contenta peregrina corpora si raro vulnus solvatur.

Quòd igitur peregrina corpora, quæ à Chirurgo in principio educi non potuerunt, & naturæ opus desiderant, à natura faciliùs propellantur, si vulnera tecta asserventur, hinc licet colligere. Natura profectò meliùs opera sua perficit, ubi robustior est, atqui est robustior, quando vulnera cooperta servantur, & rarissimè solvuntur, ac deteguntur, ergo sub artificiali tegumento meliùs opera sua perficiet, & ex consequenti, quæ nocua sunt, faciliùs propellet. Quòd verò natura sub artificiali tegumento robustior reddatur, ex superiùs dictis nullo negotio probatur; Cum enim vulneratæ partis natura imbecillior reddatur, tum quia naturalis calor occursu ambientis obtunditur, tum etiam quia ejusdem substantia defectu naturalis tegumenti dissolvitur, dum vulnera tecta servamus, utrique huic incommodo consu-

consulimus; non solùm enim ambientis ad penitiores partes ingressus prohibetur, ex quo qualitas nativi caloris non hebetatur, verum etiam tegumento fovetur calor, ut ob id fortior fiat, ac propterea præcavetur, ne illius substantia ulterius dissipetur, unde incrementum substantiæ caloris sequatur necesse est. E converso autem quò sæpius solvimus, eo etiam magis partem prædictis incommodis exponimus, unde quamvis postea quoque expellat, id tamen tardiùs peragit, & majori negotio. Neque medicamentum recens impositum jacturam hanc resarcit penitus, cum sit in substantia, & qualitate caloris, ut majus sit damnum, quod ex detectione proficiscitur, quàm utilitas quæ medicamenti impositionem consequitur. Id etiam experientia demonstrat, observamus enim in dies expellenda citiùs expelli, si vulnera diutiùs tecta serventur, quàm si quotidie nova medicamenta admoveantur. Quòd non solùm veritatem propositæ conclusionis arguit, verùm etiam robustiorem ex tegumento reddi partis naturam.

Quod si Chirurgi manu, non ope naturæ removenda sint extranea corpora post primos dies censendum est pariter, melius esse, si tegumento curentur, cum enim ex eo robustior fiat natura, citiùs pus generabitur, ac tensio, si qua in parte fuerit, & inflammatio citiùs sedabitur: qua de re patebit magis via, & ita faciliùs, ac citiùs contenta corpora extrahi manuali operatione poterunt.

De agglutinatione nulla est dubitatio, cum enim sit naturæ opus, & hæc tegumento roboretur, constat longè meliùs perficiendam, si artificiale hoc tegumentum præparetur, quàm si quotidie immutentur medicamenta, cum fieri nequeat, quin calor naturalis in detectione aliquod detrimentum experiatur. Sed præterea & à medicamentis primo apparatu adhibitis præclarè adjuvari potest opus naturæ; citò siquidem fit agglutinatio, & vis medicamenti usque ad perfectam agglutinationem optimè perdurat, quando præsertim ejus essentiæ fuerit medicamentum quæ non promptè dissipetur. Neque enim excrementorum miscella vim medicamenti frangere, aut corrumpere poterit, cum effatu digna excrementa in vulneribus, quæ agglutinari solummodo po-

Agglutinatio melius perficitur raro solutis vulneribus.

ſtulant, non generentur. Hinc & multi ex iis, qui reliqua vulnera quotidie detegunt, ubi agglutinandum eſt, prima medicamenti impoſitione ſunt contenti.

Suppuratio, & carnis generatio melius abſolvitur ſi raro ſolvantur vulnera.

Sed & ſuppurationem, & carnis generationem longè meliùs abſolvi aſſervatis ſub artificiali tegumento vulneribus non eſt difficile oſtendere, quod enim ad ſuppurationem attinet, hæc naturæ eſt opus, ut ſuperius vidimus, & ſuppurantia ea ſolùm ratione ſuppurationem promovent, qua naturalem calorem fovent: igitur quò melius naturali calori fuerit conſultum, eò fœliciùs procul dubio continget ſuppuratio. At quis non videt, quòd melius ei conſulatur, ſi tecta ſerventur vulnera? Non enim aëris occurſus actionem naturalis caloris interpellat, neque in auras diſſipatur caloris ſubſtantia, quæ in ſolutione eveniant, neceſſe eſt. Huic atteſtatur experientia, quàm facilè enim & quàm brevi tempore ſub hac curandi ratione promoveantur ſuppurationes, vix credi poteſt. Quod etiam non leve argumentum eſt, longè majorem eſſe jacturam, quam ex crebra ſolutione calor experitur, quàm ſit utilitas ex recentis medicamenti applicatione proveniens, ac prætereà ſub artificiali tegumento ad propriam commoderationem redire naturalem calorem. Idem prorſus de carnis generatione dicendum eſt, quoniam & ipſa naturæ eſt opus, quare cum ſub tegumento robuſtior reddatur, & minus interturbetur, quò & faciliùs ſuccedat carnis generatio, fateri oportet, & rem non aliter ſe habere ipſa experientia eſt teſtis.

Fluxio facilius prohibetur raro ſolutis vulneribus.

Ad Affluxum ſuccorum tranſeamus, & quomodo longè minus commoveantur ſucci ad vulneratam partem, ſi vulnus tectum diutiùs maneat, videamus; licet de hoc etiam ſuperiùs actum ſit. Profectò inter fluxionis occaſiones eſt partis imbecillitas, nec non & dolor; hoc enim pars attrahit, & propterea ob condolentiam aliæ partes, quod in ipſis redundat, aut irritat, aut faciem habet irritantis ad eam facilè tranſmittunt, propter imbecillitatem verò promptè fluxionem admittit, diffuſius hæc fuere ſuperiùs expoſita: atqui ſi raro detegantur vulnera, & pars minùs dolore conflictabitur, & fiet robuſtior & ita minùs timenda erit fluxio. Robur quidem parti additur, quoniam proprium illi temperamentum reſtituitur, ſiquidem naturalis calor ad priſtinam

ſtinam naturam redit, læſio autem temperamenti in vulnere erat ob damnum calori nativo illatum. Quòd ſi vulnera quotidie detegamus, quotidie quoque calorem naturalem offendimus, unde fit, ut pars fluxionem promptiùs admittat. Dolore autem minùs conflictabitur, quoniam roboratus ſub tegumento calor, ſi quis flatus, aut humor eam diſtendat, ac dolore afficiat, celeriter diſcutit, & partem æquabilem reddit. Inſuper quia dolor ex contrectatione partis, dum illi medicamentum admovere volumus, excitari conſuevit, omnis evitatur. Fieri enim minimè poteſt, quin dum partem tractamus, aliquis non excitetur dolor; & eò major; quo majus fuerit vulnus, & in exquiſitiori ſenſu prædita parte, & quæ non niſi cum difficultate tractatur. Plerumque enim à convenienti ſitu, & figuratione partem; quò illi medicamenta apponere, & priùs impoſita jam pure conſpurcata ab eadem auferre valeamus, dimovere cogimur: ſolvimus poſtea partem, medicamenta detrahimus, vulnus ſpongia, aut lana, vel goſſipio, vel aridis filamentis, aut linteo exſiccamus, & à pure ac ſordibus abſtergimus; circumjacentes quoque partes ab excrementis; quæ extra vulnus fuere propulſa linteis emundamus; tandem nova medicamenta imponimus, & rurſus deligamus, quas quidem operationes citra dolorem abſolvi non poſſe certum eſt, & proinde neque citra periculum advocandæ fluxiónis ad partem eoque magis; cum frictio, etiamſi dolorem non inferat, aliquid tamen ad attrahendum faciat, ut hic curandi modus recto tramite opponi videatur ſcopis, quos habere in præcavendis fluxionibus ob oculos debemus. Hæc omnia incommoda partem tectam ſervantes, perbellè effugimus, partem enim à convenienti ſitu niſi rariſſimè removemus, ſed in quiete continemus, non ſolvimus niſi raró, neque deligamus, & circumjacentes partes haud tangimus: Quapropter ex hoc modo nullus infertur dolor, neque alia fluxionis occaſio præſtatur, verùm potiùs multæ arcentur. Quo fit ut reliqua opera ad vulnerum ſanationem neceſſaria fœlicius perficiantur: Ubi enim ad partem ſucci non confluunt, ipſa magis proprium temperamentum ſervat, minuſque à propriis operibus diſtrahitur, nec vitiatur materia carnis, aut glutinis.

CAPUT XXXIII.

Excrementa, quæ in Vulneribus generantur, non cogere, ut quotidie vulnera detegamus; immò ab ipsis meliùs expurgari vulnus, si sub artificiali tegumento foveatur.

QUi hactenus necessariam existimaverunt quotidianam vulnerum solutionem, forsan allatis rationibus acquiescerent, in aliamque irent sententiam, nisi eos deterreret excrementorum proventus; quod enim potissimùm eos adducit, ut id necessarium judicent, sunt excrementa, quæ in vulneribus cavis generari solent, tùm tenuia, tùm crassa, siquidem tenuiorum ratione à Gal. accipientes, siccantia medicamenta semper esse necessaria contendunt, crassiorum verò abstersionem convenire, tùm quæ manuali fit operatione, tùm quæ applicatione medicamentorum perficitur, de qua præcipuè sunt soliciti, quoniam non naturæ, sed medicamentorum est opus: ideoque cum citra ipsam sanari vulnus nequeat, obtinet enim puritas ulceris rationem ejus, sine quo non, unde hanc sordes interpellans curationem moratur, quemadmodum dicebat Gal. 3. Meth. 9. quis non videt necessariò nos devenire debere ad crebram vulneris solutionem, & detectionem, ut & manuali operatione, quam & ipse Gal. proposuit 6. Meth. 3. docens lana specillo obvoluta vulnera abstergere, & appositis medicamentis congrua fiat abstersio. Non minorem tamen solutionis necessitatem iisdem afferre videntur tenuia excrementa, dicente Hip. lib. de frac. sec. 3. tex. 1. Sæpiùs ergo ob redundantem humorem religare oportet, alioquin enim & febres concitantur, per humores enim non solùm ibi intelligit Hip. crassos, verùm etiam tenues, ut in com. ejusdem loci animadvertit Gal. & in lib. de Ulceribus, ulcera omnia siccanda esse præter contusa: quam doctrinam passim profitetur Gal. Si enim siccari ulcus postulat, profectò sæpè applicanda erunt siccantia, vanumque est existimare posse aliquod medicamentum vulneri admotum pluribus diebus vim propriam retinere, propterea quod partim calore affectæ partis exsiccatur, & ejus virtus exolvitur partim verò ob affluentia

Medicamenta applicata vulneribus non possunt diutiùs proprias vires retinere.

tia excrementa inficitur, & corrumpitur: neceſſaria igitur erit crebra medicamenti admotio.

His tamen non obſtantibus excrementa ad crebram ſolutionem nequaquam cogere non multò negotio probabimus. Priùs autem, quænam excrementa in vulneribus generentur, videre oportet, cognita namque excrementorum natura, non erit difficile aſſequi, quid pro eorum ablatione ſit neceſſarium. Gal. ut ſuperiùs vidimus, duplicis excrementi meminit ex coctione reſultantis, tenuis videlicet, à quo ulcus redditur humidum, & craſſi, à quo ſordidum, unde & ſordes dicitur. Nihilominus alterius etiam ſortis excrementa præter ea, quæ in tranſmutatione alimenti pro nutritione vulneratæ partis prodeunt, in vulneribus cognoſcimus. Celſus lib. 5. cap. 26. tria excrementorum genera recenſet, ſanguinem videlicet, ſaniem, & pus, & horum plures ſpecies enumerat. Ex his autem, dicebat, exit ſanguis, ſanies, & pus: Sanguis omnibus notus eſt. Sanies eſt tennior hoc, variè craſſa, & glutinoſa, & colorata. Pus craſſiſſimum, albiſſimumque glutinoſius, & ſanguine, & ſanie. Exit autem ſanguis ex vulnere recenti, aut jam ſaneſcente: ſanies eſt inter utrumque tempus: pus ex vulnere jam ad ſanitatem ſpectante. Rurſus & ſanies, & pus quaſdam ſpecies Græcis nominibus diſtinctas habent; eſt enim quædam ſanies, quæ vel ἴχωρ, vel μελίκηρις nominatur, eſt pus, quod ἐλαιῶδες appellatur ichor tenuis, ſubalbidus ex malo ulcere exit, maximeque ubi nervo læſo inflammatio ſequuta eſt. Meliceris craſſior, & glutinoſior, ſubalbida, mellique albo ſubſimilis fertur, hæc quoque, ex malis ulceribus, ubi nervi circa articulos læſi ſunt, & inter hæc loca maximè ex genibus. Elæodes tenue ſubalbidum, quaſi unctum colore, atque pinguedine, oleo albo non diſſimile, apparet in magnis ulceribus ſaneſcentibus.

Excrementa vulnerum quot & quæ.

Verùm Celſus ulcerum quoque excrementa comprehendere voluit, & ideò dicebat: His cognitis, etiam nunc quædam alia noſcenda ſunt ad omnia vulnera, ulceraque de quibus dicturi ſumus, pertinentia. Ex his autem exit ſanguis, &c. prætereà ſanguinem inter excrementa recenſuit, cum tamen non ſit proprium vulneris excrementum, at nobis, quæ vulnerum ſint propria, inquirendum eſt, propria autem vulnerum excrementa appello, quæ vul-

vulnerum occasione generantur, quandoque enim talia ab ipsis emanant, qualia in venis, aut carnosis partibus consistunt, nullam, aut levem, neque effatu dignam alterationem passa, quod tamen rarissimum est, priusquam vulnera in ulcerea abierint. Itaque propria vulnerum excrementa erunt, quæ in ipso vulnere generantur, vel ex sanguine in ipsis partibus contento, cujus pars, aut etiam major pars non rarò aliunde profluxit, vel ex ipsamet partium substantia putrescente. Quæ ex sanguine in partibus contento ortum habent, duplicis sortis existunt, alia siquidem generantur ex ea sanguinis portione, quam natura assumit ad nutritionem partis; alia verò ex eo, quod superfluit, cum enim non minor sanguinis quantitas ad vulneratam partem feratur, quàm sanitatis tempore pro ejus nutritione consueverit, immò fortasse major aliàs allatis de causis, & tamen calor ejus naturalis propter imbecillitatem nequeat tantam sanguinis copiam conficere, atque assimilare, quantam anteà, ideoque portionem tantùm pro nutritione partis assumat, quod superest, excrementum evadat, est necesse. Prioris sortis sunt illa duo excrementa à Gal. proposita, quibus nihil est apud Chirurgos magis tritum, tenue videlicet, quod ichor dicitur, & vulnus reddit humidum; & crassum, quod sordes appellatur, & vulnus efficit sordidum, suntque excrementa tertiæ coctionis, nutritionis videlicet vulneratæ partis; quamvis non desint, qui horum excrementorum generationem in vulneribus negent, & figmentum existiment. Si enim forent excrementa coctionis, dicunt, quò plus coquitur vulnus, eò majori in quantitate conspicerentur, quoniam tunc majorem alimenti copiam conficit, & ex consequenti copiosiora excrementa debent generari, & tamen quò plus coquitur vulnus, eò minùs apparent hujusmodi excrementa, immò pus tantùm conspicitur, non sunt ergo excrementa nutritionis vulneratæ partis. Quare concludunt, quamdiù vulnus crudum est, ad esse solummodo ichores, & saniem absque sordibus, posteà verò pus solum.

Propria excrementa vulneris. quæ.

Objectio.

Addunt alii, non esse majorem rationem, quòd hujusmodi excrementa generentur potiùs in uno vulnere, quàm in alio, in omnibus enim eædem militant causæ, in omnibus partes nutriuntur. Si ergo in vulneribus cavis generarentur, etiam in simplicibus;

at non generantur in ſimplicibus, ergo neque etiam in cavis. Non generari quidem in ſimplicibus ex eo, quod de ipſorum curatione tradit Gal. colligunt; ſiccantia enim, & adſtringentia illis convenire profeſſus eſt, nequaquam abſtergentia, quæ in cavis locum habent, qua de cauſa dicebat Gal. 3. Meth. 4. Omne ulcus tùm ſiccari, tùm adſtringi debet, non tamen detergeri; contra cavitas in carne ſiccari quidem poſtulat, & abſtergeri, minimè autem adſtringi. Si ergo abſtergentia ſimplicibus vulneribus non conveniunt, ſed potiùs quæ contrarium præſtant, ſcilicet adſtringentia, neque in ipſis generantur, ſordes, quarum, ratione abſtergendum eſt, & ex conſequenti neque in aliis.

Verum ſi in omnibus animalis partibus ex tertia coctione gignuntur ſemper talia excrementa, veluti eſt omnium Medicorum ſententia, cum pars vulnerata nutriatur, quomodo eorum generatio in vulnere negari poſſit, non video. Quin in vulnere præſertim cavo propter caloris naturalis imbecillitatem, rationi conſonum eſt, ut magis ſenſibilia evadant, & quod tenue ſanitatis tempore in auras diſſolutum expirabat, ſub ichoris, & ſaniei ſpecie prorumpat; ab imbecillo enim calore adeò attenuari non poteſt, ut halitus fiat, quod vero craſſum, & in ſummo corpore colligebatur, fiat ſordes, neque omnino extrinſecus propellatur, ſed & parietibus vulneris hæreat, vulnuſque ſordidum efficiat. Quapropter tantum abeſt, ut ſententia Gal. reprehenſionem mereatur, ut potius ſit laudanda, & penitus accipienda. A principio quidem ſenſu ipſo deprehenduntur hujuſmodi excrementa, ſed poſtea quò plus coquitur vulnus, eò minùs apparent, quoniam ex ſuperfluo alimenti pus generatur, & cum eo mixta, atque confuſa deliteſcunt. Neque etiam credendum eſt, quo plus coquitur vulnus, eo copioſius generari, quia plus alimenti conficiatur, & conſequenter plura debeant oriri excrementa; verum quidem eſt, plus alimenti pro nutritione aſſumi, & pro carnis generatione, ſed & exactius conficitur, & idcirco neque adeo copioſa ſuccreſcunt excrementa. In vulneribus autem ſimplicibus generantur profecto, ſed in ipſis naturalis calor robuſtior eſt, tum quia minus diſpendium paſſus eſt, tum etiam quia redductis labiis ad mutuum contactum, una pars fovet alteram, ut

Craſſa & tenuia excrementa neceſſario generantur in vulneribus.

Cur in ſimplicibus minor excre-

mentorum copia generetur.

prius, & aëris ingressus prohibetur, & restituitur ferè naturale tegumentum; quo fit, ut tenue excrementum majori ex parte insensibiliter perspiret, crassum verò, ut antea, in summo corpore colligatur, & propterea in ipsis non est necessarius, neque etiam opportunus abstergentium usus.

Ex residuo succorum, quod natura pro nutrienda parte non assumpsit, in primis fit in vulnere crudum excrementum tum tenue, tum crassum, tenue quidem ex tenuiori, atque serosiori humorum parte, crassum vero ex crassiori. Quare hæc est alia sors excrementi tenuis, & crassi, quæ necessario admittenda est, quoniam veri speciem non habet, tantam copiam excrementi crassi, tenuisque humiditatis, quantam in vulnere, dum adhuc crudum est, conspicimus, ex nutritione exigui adeò momenti provenire: aliunde autem provenire non potest, quam à residuo alimenti, quod coqui, & assimiliari non potuit. Etenim cum nullus humor in corpore talis, qualis erat ab initio, permanere possit, sed, ut dicebat Gal. 2. de dif. feb. cap. 5. necesse sit, ut aut coquatur, apponatur, atque assimiletur solidis animalis partibus aut corrumpatur, & putrefiat, quia humor, quem proprius calor non obtinet, nihil habet reliquum, nisi, ut ad putredinem convertatur, illud sanguinis, quod à nutritione remansit, licet à calore naturali alteretur, quia tamen non obtinetur, ad putredinem convertitur, & ita præternaturalem calorem concipit: unde simul, & semel alteratur sanguis ille & à calore præternaturali, & ab ipso naturali calore; & cum à principio neuter prævaleat, fit crudum illud excrementum, quod dictum est; paulatim tamen in pus bonum mutatur, dum paulatim naturalis calor robur acquirit, & ad pristinam naturam propiùs accedit, tunc enim magis convincit ea, quæ in parte continebantur. Sic ergo excrementum crudum prius meliorem consistentiam consequitur, deinde adhuc meliorem dispositionem acquirendo tandem eo pervenit, ut fiat pus illud laudabile, album videlicet, læve, æquale, ac minimè fœtidum, superante quidem ipso naturali calore, at non penitus materiam obtinente; si enim hoc esset, non in pus eam converteret, sed perfecte coqueret & assimilaret. Sane consistentia puris media esse consuevit inter sordem, & saniem, ut dicebat

Ratio proventus excrementorum in vulneribus.

Crudum excrementum unde.

Pus laudabile.

dicebat Celſus, ſed quandoque evenit, ut craſſum admodum ſit, & viſcidum, atque ita ſordis naturam adipiſcatur, eo quia longiori tempore in aliquo loco contentum, ac concluſum ſiccetur, aut quod à medicamento, vel ab aëre ambiente idem patiatur, aut quia pars, in qua generatur ex ſui natura ſit ſatis ſicca. At ſi ſuperetur naturalis calor, vel ſua ipſius ratione, cum ſcilicet ad tantam imbecillitatem pervenit, ut nullam poſſit facere optimam tranſmutationem in humore ad putredinem urgente, vel humoris vitio, etiam ſi ipſe non ſit valde debilitatus; tunc excrementum crudum in putridum omnino humorem degenerat, fitque ſordes nigra, pallida, lutea, & aliorum colorum, viſcida, fœtens, & aliis pravis qualitatibus infecta pro varietate exceſſus præternaturalis caloris, & varia diſpoſitione materiæ, quæ alteratur: ſicuti quando partim ſuperat, partim vero ſuperatur naturalis calor, hoc eſt, ſecundùm quædam vincit, ſecundùm quædam autem vincitur, medium quoddam excrementum inter illa duo ſuccreſcit, non enim fit pus illud laudabile, ſed modo deficit calor, modo odor, modo conſiſtentia, & æqualitas. Ex partibus, quæ ad putredinem convertuntur, veluti ex carne contuſa pus generatur, ſi naturalis calor ſuperet, at ſi vincatur, oritur potiùs putreſcentia quædam. Quamvis autem tot excrementorum ſortes in vulneribus oriri conſueverint, non tamen cenſenda ſunt omnia vulnerum propria, ſed ea tantùm, quæ naturaliter in ipſis generantur: nam quæ à nativo calore ſuperato, & præternaturali vincente ortum habent, ut quæ præternaturalia ſunt vulneribus nec propria vulnerum dici merentur. Quare his interim omiſſis, de propriis ſermonem habebimus.

Pus pravum.

Pus mediæ naturæ.

Iſta non ſolùm ad quotidianam ſolutionem non cogunt, verum etiam longè excellentiùs expurgantur, & abſumuntur, ſi vulnera decenti tegumento foveantur, neque niſi per rara intervalla fiat ſolutio, & eo tempore ſolùm, quo eam convenire poſterius trademus. Neque hoc paradoxum cenſendum eſt, licet paradoxi ſpeciem habeat. Cumque excrementa alia tenuia ſint, alia craſſa, primò de craſſis, quæ majorem faciunt difficultatem, id oſtendam, poſtea etiam de tenuibus. Dicebatur ratione excrementorum craſſorum abſtergendum eſſe, quod cum

Excrementa vulnerum ad crebram ſolutionem non cogunt.

medicamentorum ſit opus, non naturæ, ſequebatur, quotidie ſolvendum eſſe vulnus, ut quotidie poſſent quæ abſtergunt, admoveri. Sed hujus argumenti efficaciam conjice; nonne obſervamus ſuppuratas inflammationes, & non parvam materiæ purulentæ copiam continentes, ope diſcutientium pharmacorum evaporata materia, perduci ad ſanitatem? Si quis fortaſſe id numquam obſervaverit, is Galenum adeat. 13. Meth. capitulo 5. ubi hæc habet: Quin ſi pus aliquod notabile in ſuppurante particula ſit contentum, non expedit, quod nonnulli faciunt, protinus incidere, immò exhalationem moliri medicamentis ad id valentibus, quorum uſus ex affectu ſit conjectatus. Quid ergo abſtergit craſſa excrementa in hujuſmodi ſuppurationibus? quis non videt, ſi neceſſaria forent abſtergentia pro abſumendis ſordibus ſuppuratæ inflammationis ſanationem ope diſcutientium haud poſſe perfici; Accedamus ad abſceſſus diſruptos; nonne ſæpiſſimè obſervamus, ſinus notabiles & copioſum pus emittentes carne repleri, etiam nullo abſtergente in cavitate immiſſo, ſed ſoli oſculo admoto medicamento, ex quo nihil ejus ad fundum poteſt pervenire? Interna pariter vulnera ſanari videmus non rarò, cum tamen non liceat goſſipio, aut lana ſpecillo obvoluta ſordes detergere, nec abſtergens medicamentum apponere. Quin & profunda admodum vulnera in externis partibus ſanari conſpicimus ab iis etiam, qui vulgarem curandi modum ſequuntur, etiamſi nullum medicamentum ad remotiorem cavitatem perveniat, ſed ſoli oſculo appoſito pharmaco. Internos quoque abſceſſus diſruptos copioſiſſimam, atque craſſiſſimam materiam fundentes abſque ullius medicamenti uſu, de iis loquor quæ ad excrementa diriguntur, ſanatos vidi. Innumeræ ſanantur putredines, quibus nullum medicamenti genus admoveri poteſt.

Non eſt abſolute neceſſarius abſtergentium uſus ad removenda craſſa excrementa.

Hæc ſi, ut decet, perpendamus, facilè apparebit, haud neceſſarium eſſe abſtergentium uſum ad hoc, ut removeantur craſſa utcumque excrementa: ſi enim hoc eſſet, quomodo ſanarentur dicti affectus? quid eſt, quod eos ad ſanitatem ducit? Tunc tantùm neceſſaria ſunt abſtergentia, quando ſordities ob viſciditatem valdè affixa eſt parti. Et hanc veritatem credo tandem vidiſſe Galenum? nam lib. Art. med. c. 92. proſequens indicationes curativas

rativas in vulneribus cavis, ubi ad sorditiem devenit, non ait absolutè indicari abstersionem, verùm sub conditione loquitur. Hæc ejus sunt verba: Ita & si sordities aliqua fuerit adnata, intentio quidem erit abstergendi, & erit medicamen salubre abstersivum; quasi velit tunc tantùm indicari medicamen abstersivum, quando sordities adeò parti fuerit affixa, ut ferè adnata videatur. in aliis enim sordibus alii sunt removendi modi.

Non est necessarius exsiccantium usus ad removenda tenuia excrementa.

Hæc eadem non minùs demonstrant ad removenda tenuia, & aquea excrementa non esse omninò necessarium siccantium usum, quandoquidem absque cujusvis medicamenti appositione in allatis casibus carnem generari, & cavitatem repleri cernimus, quod non contingeret, nisi à tenuibus etiam excrementis expurgaretur vulnus, ut quæ sanationi obstent, si enim ulcus coire nequit, dicebat Gal. humecta caro est in causa. Quare nulla alia hujus expurgationis causa potest afferri, præter naturam ipsam partium, seu naturalem earum calorem. Hunc dicendum est habere excrementorum rationem, partemque ipsorum per halitum insensibilem digerere, partem verò sensibiliter per vulneris orificium expellere. Quam quidem sensibilem expulsionem experiuntur & ii, qui bis, & ter etiam qualibet die vulnera solvunt, atque detergunt, & nihil, aut parum, & per accidens robori naturalis caloris intendunt: non parvam enim materiæ copiam à natura extra vulnus propulsam ferè semper observant. Neque existimandum est excrementa hæc spontè ob gravitatem à vulnere decidere, posteaquam idem observatnr, etiamsi vulneris orificium sursum spectet. Quòd si naturalis caloris habeatur ratio, cureturque, ut pristinum robur recuperet, quam efficaciorem, credendum est, futuram esse expulsionem? Sed & ea ratione meliùs procedet vulneris expurgatio, atque excrementorum remotio, quod roborato naturali calore longè minor, si tamen cætera sint paria, est excrementorum proventus, & quæ generantur minùs crassa sunt, & viscida. Hoc nisi receperimus, nulla ampliùs remanebit via, qua sanari possit internus abscessus disruptus, & interna vulnera, & ea denique ad quorum fundum medicamenta pertingere nequeunt. Si robur expultricis nihil possit in eorum excrementa, & calor naturalis nihil eorum per halitum insensibilem resolveret, dubio procul

non ſequeretur ſanitas; ut enim aliàs dictum eſt ex Gal. mente, puritas ulceris rationem obtinet ejus, ſine quo non poteſt cavitas repleri.

Sed non eſt exiſtimandum hac in re expultricem deficere, à qua quotidie cujuslibet coctionis excrementa propelli cernimus. *Objectio.* Obſtare, dicet fortaſſè quiſpiam excrementorum quantitatem; cum enim in majori quantitate generentur quàm ſanitatis tempore, minùs profectò expultrici cedent, quæ ètiam, quod difficultatem auget, ex vulnere facta eſt imbecillior. *Solutio.* At neque ob id ſequitur, quod ab expultrice non poſſint expelli, quia expultrix non ſinit tantam excrementorum copiam colligi, ut ipſa poſtea propellere nequeat, immò ſicuti generantur, ita tanquam ſuperflua excernuntur: Neque ociatur natura. Præterea dato, quod expultrix ſit imbecillior, non ob id multò imbecillior cenſenda eſt ad propriam functionem, poſteaquam habet patentiores vias, per quas faciliori negotio, quod ſuperfluum eſt poteſt detrudere, orificium videlicet vulneris: atque arte etiam licet viam expeditam præparare, ſi vulneris orificium minùs ſit idoneum, ac figura, ſeu poſitus expulſioni minimè faveat. Addamus, quod imbecillitas expultricis provenit ex defectu naturalis caloris, ſi ergo jactura hæc reſarciatur, quod fieri præclarè ope artificialis tegumenti ſuperius oſtenſum eſt, citò priſtinum robur, aut ei proximum recuperabit facultas expellens.

Objectio alia. Sed adhuc duo obſtare videntur, ne remotionem excrementorum ipſi naturæ committamus, qualitas ſcilicet quam à tenui excremento caro contrahit, & ſordis viſciditas: tenuis enim humiditas, niſi medicamentis exſiccetur, ſubjectam carnem humectat, & in ea imbibitur, ob idque humidior caro, quam par ſit generatur, & priori nequaquam ſimilis, quod eſt in cauſa, ut & hanc ſupercreſcentiæ carnis cauſam agnoſcamus. Et ejus forſan ratione dicebat Hip. lib. de ulc. Quæcunque ulcera non probè, &, ut convenit, purgata; ſemper priùs pullulare incipiunt, iis maximè caro ſupercreſcit: quæ verò probè, &, ut decet, expurgata ſemper ad ſiccius promoventur, iis, niſi contuſa ſint, caro ut plurimum non ſupercreſcit: ob viſciditatem verò ſordes parietibus hærent vulneris, tollere autem vinculum, quo alligantur quodammodo,

non

non est naturæ, sed medicamentorum opus, ut dicebat Gal. aut alterius præsidii: quæ tamen nullum negotium facere comperientur, supposito artificiali tegumento, quod naturalem calorem foveat, tueatur, & roboret, namque tenuis humiditas, quemadmodum dictum est, partim extra vulnus propellitur, partim à naturali calore, qui robustior factus est, in auras dissolvitur: quapropter etiamsi, quod medicamentum extrinsecùs apponimus, nullam exsiccanti vim haberet, nihilominus nullum incommodum ab hoc excremento timendum esset. Sed concedamus, humidiorem carnem generari, nonne tandem naturalis calor, quidquid superflui humidi in ipsa reperitur, tandem absumet? Inspiciamus callum quo fracta ossa conglutinantur, ita loqui liceat, qui à principio valde mollis est, sed processu temporis naturali calore superfluam humiditatem consumente redditur siccissimus, atque durissimus. Pariter à sordium viscíditate nihil est, quod timeamus, primò quidem, quia robustiori reddito calore neque tantæ neque tam viscidæ generantur, deinde quia à tenui excremento, tandemque à pure ipso cum quo miscentur, & confunduntur, eas ablui, atque detergi contingit, unàque cum his extra vulnus pelli; nec, si quæ sordes ex nutritione partis primis diebus suboriantur, intra vulnus permanerent, usque ad puris confectionem, aliquod afferent incommodum, dictum est enim exiguam admodum esse illarum quantitatem; neque statim succrescit caro, sed priùs coquitur vulnus. Sordes verò, quæ crassior est pars crudi excrementi, mediante suppuratione potiùs auferri postulat, quam manuali operatione, ac detergentibus auxiliis, quibus magis irritaretur, & incrudesceret vulnus, detecto enim vulnere naturalis caloris substantia exsolvitur, & qualitas obtuditur ob frigidioris aeris contactum, ipsa verò abstergentia medicamenta semper aliquid habent mordacitatis, qua vulneratam partem irritant: quod Gal. animadvertit com. 3. in lib. de frac. tex. 43. nec pus ipsum abstersione indiget, posteaquam dum robori caloris consulimus, & quæ ad partis salubritatem, faciunt, non prætermittimus, non generatur adeò crassum, & viscidum, ut hæreat partibus, sed ad cavitatem vulneris pulsum foras detruditur: eoque faciliùs, quòd tenuiori humiditate admixta attenuatur & ipsum, *Solutio.*

ut

ut ob id facilius profluat, &, si quid inesset viscididatis reluctantis, omninò tollitur.

Non requiruntur siccantia, & abstergentia pro absumendis excrementis nisi propter imbecillitatem caloris naturalis.

Hæc ita experientia confirmantur, ut nullus sit dubitandi locus, propterea adducor in eam sententiam, nulla alia ratione requiri siccantia, & abstergentia pro excrementorum absumptione nisi propter naturalis caloris imbecillitatem, quando enim insignis est ejus imbecillitas, longè copiosiora generantur, ob copiam verò expultrici non cedunt, & viscidiora, quare nec possunt à natura separari, nec tenuis humiditas permixta potest viscitatem tollere. Præterea expultrix ipsa longè est imbecillior. Quando autem robustus est calor, contrarium prorsus accidit; nam nec tanta generantur, quoniam major pars alimenti conficitur, & assimilatur, & minus sanguinis ad partem confluit, & ejus insuper non exigua portio, antequam excrementum fiat, insensibiliter dissolvitur, itaque minor materiæ portio relinquitur pro generatione excrementorum, nec adeò crassa, & viscida, quoniam magis elaboratur materia: hinc est, quod pars excrementorum tenuior sufficit ad eorum ablutionem, præterea fortior est expultrix, idcircò absque quotidiana illa manuali detersione, ac medicamentorum iteratione facilè vulnus expurgatur, & ab ipso removentur excrementa, partem enim eorum robustus calor per insensibilem halitum digerendo absumit, partem verò per vulneris orificium sensibiliter expellit. Quod si ita res se habet, si robustus calor satis est ad vulnerum expurgationem, artificiali vero tegumento roboratur naturalis calor, cur detegenda, ac refrigeranda sunt quotidie vulnera, unde tot mala consequuntur? profectò tanto melior, ac præstantior erit expurgatio illa, quæ ope tegumenti perficitur, altera, quæ per quotidianam detectionem vulnerum, manualemque abstersionem, & medicamentorum abstergendi facultate præditorum impositionem habetur, quanto melius est, ac præstantius illud præsidium, quo citra ullam noxam propositum scopum assequemur; altero, quod prodest quidem, verum nec leviter officit? Et si experientiam consuluerimus, non aliter rem se habere liquido constabit; quando enim vulnus detegimus, quod longiori tempore tectum permansit, exactissimè purum comperimus, neque facilè esset usu abster-

abstergentis pharmaci tantam puritatem illi comparare. At quando propter naturalis caloris impotentiam accidit in vulnerata parte putrefactio potius, & corruptio quam coctio, aut bona suppuratio (hoc potissimum solet contingere in corporibus cacochymicis, & plethoricis, namque ob nimiam succorum copiam, licet probi sint, opprimitur, & suffocatur naturalis calor, sicuti & in magnis inflammationibus prohibita propter obstructionem evacuatione, in quibus etiam propter maximum fervorem à naturali statu nimis recedens, proprii muneris ferè obliviscitur; in cacochymiis verò insuper languet alimenti probi defectu) utique opus hoc naturæ non committerem, naturæ enim impotenti nullum opus alicujus momenti committi debet, sed arte succurrerem. Verum talis curatio non est propria vulneris, sed corruptionis, & excellentis putredinis. Et in his casibus curatio, quæ vulneri convenit, intermittitur, & illi, quod magis urget, attenditur. Hujus generis arbitror extitisse vulnera à Pareo relata; sed nec mirum videri debet, si in ipsis oriebantur vermes, quoniam turundis curabant vulnera, & pravos halitus, excrementaque mali moris supprimebant.

Ex his igitur manifestè apparet, superfluum esse Galeni studium circa medicamentorum admotionem, ut iis removeantur excrementa dum videlicet curandum præcipit, ut medicamentum siccans, & abstergens undique tangat vulnus: superfluum item, quod de metiendo convenienti siccitatis gradu adeò anxiè protulit: superfluam item. Mercati solicitudinem, ut aliquid imponatur, quod expulsam humiditatem ad cavitatem vulneris quodammodo imbibat, & absorbeat, cum hæc impedimenta à natura roborata longè majori cum fructu removeantur, postea quam non detegitur vulnus, unde tot sequuntur incommoda; nam, si citra detectionem apponi possent, utique frequentiorem eorum admotionem laudarem: sicuti neque sæpè admoveri vellem, cum in iis expellendis semper laboret natura. Voluerunt omnes methodum curativam condere, quæ communis foret tum vulneribus, tum propriè dictis ulceribus, cum tamen alia sit imbecillitas partis in vulneribus, alia vero in ulceribus, & proinde aliter removenda sint excrementa in vulneribus, aliter vero in ulceribus.

Defectus methodi antiquorum.

Quomodo Medicus naturæ opem ferat in re excrementorum.

Quoniam autem Medicus est naturæ minister, & adjutor, ideoque eidem egenti præsto esse debet, in hac quoque actione, quæ tanti est momenti, in quibus poterit, egenti naturæ opitulabitur. Interdum enim adsunt impedimenta, quæ difficilem, interdumque impossibilem reddunt excrementorum expulsionem, & propterea, ut natura faciliùs ea propellere valeat, in his removendis laborabit diligens Medicus. Impedimenta hæc ad vias spectant, per quas fieri debet expulsio; Etenim si nulla adsit via, per quam jam existens, aut, quæ mox colligetur, materia possit expelli, quia videlicet aut nulla fuerit à telo parata, aut quæ facta est, ab aliquo corpore, puta à telo sit obturata, vel adsit quidem, verum minus proba, utpote quæ angusta est, aut talis futura, inæqualis, & tortuosa, sursumque spectans, nemini dubium est, impediri expulsionem. Itaque in id elaborandum est, ut materia convenientem habeat effluxum, hoc est, ut adsit recta via, & patens, per quam fiat expulsio, &, si fieri possit, ut deorsum vergat, quamvis enim, & sursum expellat natura, rationi tamen consonum est, à superioribus ad inferiora faciliùs expelli materiam, ut quæ deorsum ob innatam gravitatem spontè feratur. Si igitur corpus aliquod viam occluserit, illud auferendum est, si nullam viam præparaverit telum, aliquam arte machinari oportebit, congruis nimirum sectionibus, & ossium quoque excisionibus, si opus sit: si minus probam, arte reddatur idonea, vel nova paretur.

Impedimenta, quæ debet Medicus tollere.

Hic autem exactum judicium in Medico desidero, ut oblato, atque inspecto vulnere, statim prospiciat, num per viam, quam sibi fecit vulnerans causa, satis expurgari possit vulnus, nec ne; an aliquid addendum sit, vel etiam novam machinari conveniat, & qua ratione hoc, vel illud sit agendum, ne in necessariis deficiens, mortis, vel alicujus magni mali sit in causa; quæ verò minimè necessaria sunt, aut nequaquam conveniunt, adjiciens, absque ratione ægrum torqueat, sanationem differat, & fortassis in discrimen vulnerati salutem adducat. In quo quidem non pauci delinquunt tractantes vulnera capitis, dum passim aliqua apparente in osse læsione ad terebrationem deveniunt. Quæ ergo præsentia sunt accuratè perpendat, quæ futura sunt, cautus prospiciat,

Judicium exactum in Medico desideratur.

ſpiciat, & habebit, an ſibi addendum ſit aliquod, vel non. Sed nec parum conferet, vim expultricem vulneratæ partis expendere, cum non omnes partes æquali expultrice ſint donatæ, quæ enim minùs pollent expultrice, patentiorem expoſcunt viam, & quæ deorſum magis vergat. Neceſſitatem parandi effluxum excrementitiæ materiæ optimè cognovit Gal. unde lib. Art. med. cap. 90. tradens, quomodo præcaveamus, ne quid labiis vulneris intercidat, quod erat tertium ex quatuor, quæ à Medico erant agenda, ut agglutinatio perficeretur, dicebat: In eo autem, quod ſequitur, tempore, per ſuffluxiones tertia intentio retinetur. Ipſam verò ſuffluxionem ex ejuſdem, & contrarii loci diviſione, & figura opportuna comparare oportebit. Quamvis autem ſuffluxionis neceſſitatem viderit, & modum, quo comparatur, tradiderit, non omnem tamen utilitatem ex illa provenientem ſatis eſt aſſecutus.

CAPUT XXXIV.

Quòd pro inducenda cicatrice non ſit neceſſaria crebra ſolutio.

QUando vulnus carne, ut convenit, repletum eſt, nihil eſt ampliùs, quod ab eo timeamus, & propterea ſive crebrò ſolvatur, ſive rarò, parùm referre putaverim; neque enim crebra ſolutio malum quodpiam effatu dignum afferre poteſt, neque diuturnior tectio. Sed quoniam poſſet aliquis dubitare, quiſnam modus magis ſit rationi, & veræ methodo conſentaneus, idcirco aliquid etiam de inducenda cicatrice ſubjungere volui.

Aliàs dictum eſt cicatricis inductionem partim naturæ, partim medicamentorum eſſe opus, cum medicamenta ſiccent, & adſtringant carnem, quæ vicem cutis debet gerere, natura verò formam cicatricis inducat: licet interdum abſque medicamentorum ope cicatrix obducatur: neminem quoque exiſtimo eſſe, qui ignoret, ubi carne, ut decet, repletum eſt vulnus, pauca admodum generari excrementa, quamvis plura, ſi multum cutis deficiat, & corpus ſit ſui natura cacochymum, neque decentes factæ fuerint purgationes, pauciora verò, ubi dicta contrario modo ſe habuerint, unde ſi pauca emanent excrementa, & medicamentum pa- *Quando raro ſolvendum eſt vul-*

 retur,

nus, ut facilius inducatur cicatrix. retur, quod diutiùs vim ſuam retineat, procul dubio meliùs inducetur cicatrix, ſi tecta ſerventur. Imò etiamſi medicamentum citò propriam vim amittat; nihilominus ſub tegumento meliùs propoſitum conſequemur, eo quòd pauca illa excrementa à naturali calore, qui ex tegumento fit rubuſtior, abſumuntur, ſiccaturque medicamentum appoſitum qua actuali ſiccitate fit non importunum epuloticum. Quòd ſi medicamentum ex eis ſit; quæ cum humida ſint, ſiccata confici, & evaneſcere conſueverunt, lintea remanent, quæ & ipſa ſiccando cicatricis inductionem adjuvant.

Quando crebrius ſolvendum eſt vulnus. Verùm ſi excrementa profluant in effatu digna quantitate, & quæ poſſint medicamentum, qualecumque illud ſit, inficere, atque corrumpere, & appoſita lintea large madefacere, meliùs erit, ſi tunc ſolvatur, cum eo deveniſſe medicamentum judicamus, ut ob excrementa non ſolùm proprias amiſerit vires, verùm etiam contrarias acquiſiverit, ſuperpoſitaque lintea tanta humiditate fuerint perfuſa, ut ſubjectam carnem poſſint madefacere: nam, ſi in hiſce caſibus differatur ſolutio, caro ut plurimum ſupercreſcit. Hinc obſervamus in aliquibus unica medicamrnti appoſitione non ſolùm repleri cava vulnera, verùm & cicatrice obduci; in aliis verò, ſi diutius protrahatur ſolutio, carnem, quæ detrahi poſtulet, ſupercreſcere. Raro autem in vulneribus hoc accidit, ſi vulneratus methodicè fuerit tractatus, imò & in propriè dictis ulceribus ſæpius obſervavi, citius induci cicatricem, ſi per aliquot dies tegumento foverentur.

Hiſtoria. Cum hæc ſcriberem, brevi obductam vidi cicatricem in ulcere cruris cujuſdam adoleſcentulæ, quæ ſemeſtri ſpatio, dum quotidie ſolvebatur, induci non potuit, quamvis nihil, quod ex arte eſſet, prætermitteretur, ſolius artificialis tegumenti ope. Ab hoc quidem ulcere, dum quotidie modò bis, modò ſemel pro excrementorum copia illi medicamenta admoverem, ſemper ſatis copioſa materia excernebatur: quare longæ curationis faſtidio cæpi alternis tantum diebus vulnus detegere. In prima quidem, & ſecunda detectione pauciora excrementa deprehendi, quàm antea duodecim tantum horarum ſpatio obſervabantur, & ulcus meliùs coloratum. Ratus itaque me veram viam adinveniſſe, ad

quar-

quartam diem ſolutionem diſtuli, res fœliciter ſuccedebat, & ita deinceps quarto quoque die ulcus procurans brevi ad ſanitatem perduxi. Idem poſtea in aliis fæliciſſimo cum ſucceſſu ſæpiſſimè ſum expertus: & ita comperi, crebram illam, qua nunc uti communiter conſueverunt, ſolutionem quantum facit ad oſtentandam diligentiam, tantum, & amplius, rebus ægrotantis officere.

Nonnunquam accidit, ſubjectam carnem ineptam eſſe ad recipiendam cicatricis formam, temperata enim ſit, oportet, ut aliàs dictum eſt; quæ ineptitudo tegumento tollitur, dum roboratur naturalis calor. Aliquando etiam ineptitudinem hanc contrahit ob aeris contactum, unde & tegumento huic incommodo conſulitur. Opus eſt igitur diligenter perpendere, qua de cauſa copioſus fiat excrementorum proventus, nam quandoque ob injurias ambientis, & vulneris crebriorem contrectationem accidit, & tunc quo ſæpius detegitur vulnus, ſeu ulcus, & abſtergitur, eo copioſius prodeunt. Plerumque autem in crebra ſolutione medicamentum aufertur, priuſquam operationem perfecerit, imò ſæpe ubi vix ad actum à natura deductum fuerit; unde eſt, ut naturæ fere ſemper laborandum ſit in reducendo ad actum recens appoſitum medicamentum, & propterea mirum non eſt, ſi parum videantur medicamenta, proficere, ſanatioque tardiùs ſequatur. Hoc Gal. animadvertit 4. de comp. med. per gen. cap. 4. in explicatione medicamenti ab Aſclepiade propoſiti ad Chironia, & curatu difficilia ulcera, ideo dicebat: Rectè, me hercules, ad finem ſuperioris medicamenti ſcripti hæc verba adjecit: Et hæc triduo ſoluito, fomentiſque mitigato, ipſumque emplaſtrum ablutum emollito, rurſuſque apponito, niſi enim diutius cuti pharmacum adhæſerit, nihil efficiet, quod pleroſque Medicos latuit, arbitrantes, ſi ter die ſaniem ab ulcere detergerent, meliùs ſe facturos iis, qui bis idem faciunt, qui verò ſemel ſolvunt, ab ipſis quoque ægris tamquam negligentes male audiunt. Et 1. de comp. med. per gen. c. 6. jam dixerat: At verò ulceribus, quæ ad cicatricem veniunt, multis diebus ſubſequentibus pharmacum immanere expedit, quo meliùs, & citius ita cicatrix inducatur, quod & pluribus aliis in locis repetit. Et Avic. 4. 4. trac. 3. cap. 2. Et de illis; quæ ſunt ne-

Quæ conſideranda, ut habeamus an hoc vel illo modo incedere oporteat.

Rara ſolutio probatur ex Galeno.

necessaria, est, ut dimittatur medicamentum super ulcus tribus diebus, deinde dissolvatur, nam, si priùs curaveris, vel si ante tres dies solveris, non faciet suam operationem. Undenam ergo venerit prava illa medendi consuetudo, jure dubitari potest, posteaquam medicæ artis Proceres aliter statuisse, luce clariùs apparet. Sed, ut nullum fraudis genus, prætermittatur, docet insatiabilis auri cupiditas.

CAPUT XXXV.

Concluditur officium Medici in curatione vulnerum, & de qualitate tegumenti.

Duo Medico propositæ.

EX his summatim colligere possumus, quæ sint partes Medici, qui vulnera sit curaturus, in duos namque scopos dirigi omnem ejus conatum manifestum est, in conservationem videlicet, ac robur naturalis caloris, cujus est agglutinare, suppurare carnem gignere, excrementa partim digerere, partim sensibiliter expellere, & non raro etiam peregrina corpora ejicere, atque in remotionem eorum, quæ impedire, ac irritum facere opus ejus possunt, quamvis tunc quoque naturali calori consulatur, cum pleraque impedimenta eidem sint infensa, & illius prosternant robur, quare si diligenter intueamur, comperiemus, Medicum longè minorem partem habere in curatione vulnerum, quàm cujusvis fere alius morbi: Nam si quis febricitet, medicamenta, & alia auxilia administrat, quæ febrem tollunt, absque natura non dixerim, sed tamen tollunt, refrigerantia enim calorem febrilem obtundunt, evacuantia febris causam demoliuntur, quamvis non sine natura; verùm solutam unitatem nullum tollit medicamentum, sive ea simplex sit, sive cum cavitate, sed, quicquid necessarium est, natura perficit, nisi impediatur, & propterea Gal. 4. Meth. 3. dicebat: Sive ulcera simpliciter sint, sive cum cavitate, si quis diligenter æstimet, ex fugiendis, prospiciendisque iis, quæ naturæ officiunt, sanatio perficitur. Nihilominus & alter scopus spectandus est, quippe conservandus, fovendus, atque roborandus est naturalis calor, tanquam primus opifex.

Hujus

Hujus rei necessitatem vidit Josephus Quercetanus, & proinde radicale Balsamum (hoc modo appellavit insitum calidum) tueri nos debere curantes vulnera professus est in suo Sclopetario; dicebat enim: Secunda remedia, quæ ad generaliorem indicationem usui sunt, pertinent ad disjunctas partes invicem consolidandas: quod fit potissimùm opera Balsami radicalis, & naturalis, quod in quaque parte continetur, tanquam principalis agentis, & virtute sua operantis cum alimento consentaneo, & congruenti, cujus magna vis est in efficienda agglutinatione, & earundem partium consolidatione: quod Balsamum tuendum est à Medico accommodanti se illi tanquam efficienti, & principali causæ, & providente, ne vis ejus, & efficientia impedimento aliquo retardetur: tollentique externas causas illi noxias, & adversarias, & quæ irritandi vulneris, & impediendæ consolidationis vim habent.

Sed Quercetano prior Theophrastus Paracelsus eamdem veritatem cognovit, & propterea omnem conatum in suæ Mumiæ conservationem, & propugnationem dirigit, ut videre est in ejus minori Chirurgia lib. 1. Mumiæ enim nomine nihil aliud intellexit, nisi insitum calidum, ut, & si ab aliis dissentire velit, non possit tamen nisi verbis. Quod verò Mumia illa apud eum nihil aliud sit, quàm insitum calidum, apertè declarant, quæ ipse de hac Mumia his verbis prodidit: Primum igitur Mumiam fore scito, quæ cuncta vulnera curat. Et inferius: Ad ea, quæ de Mumia dicta sunt, curare vulnera scilicet, animadverte hanc fore liquorem per totum corpus diffusum in omnia membra potentissime, prout decet, atque in modum hunc dividitur, in carne juxta carnis conditionem, in ossibus, arteriis, & ligamentis, in medullis, in pelle &c. secundum cujusque horum, & suæ naturæ conditionem, ac requisitam in eis necessitatem. Inde sequitur: Mumiam carnis, hujus, etiam, nempe carnis curare vulnera, Mumiam ligamentorum sua curare, sic membri cujusque vulnus propriam exigit Mumiam, ut sibi convenientem. Et inferiùs: Dico naturam corporis offensam, aut læsam propriam in se continere sanationem, prout in arbore tenella videmus fieri, quæ saucia per se, Mumiaque propria curatur, & concluditur, ut alnus &c. Hoc ipsum

ipſum etiam accidit in hominibus. Et poſtea: Quicquid igitur latiùs de vulneribus hoc loco habebitur, volo curam eorum per naturæ Mumiam fieri, tum quod ſuperponetur medicamentum incarnativum nullo modo vocari, ſed benè conſervativum, &c. Quis non videt quæcumque ipſe ſuæ Mumiæ tribuit, ea omnia calido innato convenire ſecundùm Gal. & Hipp. doctrinam? Totum id clarius expreſſit in altera ſua Chirurgia cap. 2. calidum inſitum Balſami naturalis nomine deſignans, his verbis: Ignorari minimè debet, omnibus corporis membris ineſſe Balſamum naturale, carnis, venarum, nervorum, oſſium &c. quod ipſis innatum ab initio per naturam vulnera quævis illata ſanat, hoc eſt naturale Balſamum in carne ſitum naturaliter carnem, & quod in oſſibus, fracturas eorum, & ſic de reliquis membris intelligendum erit, utpote quodvis proprium in ſe continere medicamentum, quod ipſum quoquomodo læſum perſanat.

Eſt igitur natura ſibimet proprius medicus, qui, quod in ipſa deficit, optimè reparat. Et paucis interjectis: Medicæ manus in læſionibus curandis hoc ſolum eſt officium, ut naturam eo loci defendat ab accidentibus, & inimicis externis intrinſeci Balſami, ne per eos inficiatur, aut impediatur, quo minus vires ſuas valeat exercere naturales, at potiùs in illis auxilio Chirurgi corroboretur. Et paulo poſt: Quapropter is, qui hoc loco defendere, tuerique noverit, Chirurgus erit optimus, eaque ratione protector naturæ nominandus, quod ab externis elementis contrariis, atque reluctantibus illum vindicare novit &c. quomodo igitur artificiali tegumento primum ſcopum aſſequamur, ſuperius explicatum eſt. Et ſi ratione, atque experientia compertum ſit, medicamenta reperiri; quæ ingeſta naturalem calorem in operibus ad vulnera ſananda requiſitis mirificè adjuvant.

Dantur medicamenta, quæ ingeſta naturalem calorem in ſuis operibus adjuvant.

Quæ naturæ opus impediunt, etiamſi alioqui valens foret, hæc eſſe concluſum eſt, peregrina corpora intra vulnus contenta, quæ manuali operatione, quando fieri poſſit, ſunt auferenda, aliàs opus hoc naturæ committendum, aut medicamentis perficiendum, ut ſuperiùs dictum eſt; diſtantiam labiorum, quando agglutinare oporteat, ad mutuum enim contactum reducenda ſunt

ſunt Medico, quæ diſſident labia, & ut adducta permaneant, curandum: Quæ propulſionem excrementorum, impoſſibilem aut ſaltem difficilem efficiunt, & propterea parandus eſt effluxus expellendæ materiæ. Tandemque humorum decubitum in partem vulneratam, quorum ratione revellentia, derivantiaque præſidia convenire demonſtratum eſt, nec non & repercutientia, atque intercipientia, & quæ ſuccos ineptos ad motum reddunt, pravamque illorum qualitatem corrigunt, & quæ fluxionis materiam demunt: quæ verò occaſio fluxioni eſſe poſſunt, procul arcenda, atque fugienda. Sed & materiæ, ex qua parari gluten, & generari caro debet, pravitas impedimento eſſe conſuevit opifici, imò & ipſum poteſt prave diſponere, proinde danda eſt opera, ut proba materia generetur. Quare concludere poſſumus nullius vulneris tanquam ſimplicis cujuſpiam affectus inſtituendam eſſe curationem; neque latet affectuum complicatio, poſteaquam in primis adeſt continui ſolutio, dein temperamenti vitium, tertiò fluxionis non contemnenda principia, quorum omnium habenda eſt ratio. *Nullum vulnus eſt ſimplex affectus.*

Sed & virtus partis, cujus eſt vulnera ſanitati reſtituere, conſervanda ſeſe offert. Nec vulnus illud, quod ſimplex communiter appellatur, re vera ſimplex eſt affectus, quamvis Gal. ſimplicis vulneris paſſim meminerit, & ab omnibus accepta ſit illa vulneris diſtinctio in ſimplex, & compoſitum; idque & ex ipſius Galeni & omnium poſteriorum doctrina facile eſt demonſtrare. Habemus ex Galenica curandi methodo, unum non niſi unum indicare, eo quod unum quatenus unum unam tantùm habeat eſſentiam; quod vero indicat, per ſui eſſentiam indicat. Quocircà ſi in morbis plura ſint indicata, neceſſariò dicendum eſt, plura quoque eſſe indicantia, & affectus plures. Modò in vulnere, quod ſimplex dicitur, non eſt unum, quod indicatur, ſed plura; nam primò indicatur uniens propter continui ſolutionem. Sed cum labia diſtent, neque uniri poſſint diſtantia, oritur altera indicatio, remedii videlicet labia ad mutuum contactum adducentis, & adducta conſervantis, donec natura agglutinationem perfecerit. *Compoſitio affectuum in ſimplici vulnere.*

Hactenus habemus duplicem affectum, ſcilicet continui ſolu-

tionem, & labiorum distantiam, quam morbum vel in figuratione, vel in positu licebit appellare, vulneratæ siquidem partes proprium locum non obtinent, ut quæ deberent se tangere ac inter se distant, ex quo & figura partis pervertitur, & ob id adduci postulant: hinc adductis labiis, adhuc remanet continui solutio. Amplius omne vulnus exsiccari postulat ex Hippocrate lib. de Ulceribus, & Gal. passim in sex prioribus Methodi libris, & aliis in locis; igitur & alia reperitur compositio in simplici appellato vulnere, videlicet superfluæ humiditatis, quæ exsiccari desiderat, unde Gal. lib. Art. med. cap. 90. opus nostrum in simplici vulnere esse dicebat applicare extrema distantium partium, & ita ut in unum coacta sunt, conservare, & substantiam partis salubrem mediocriter exsiccantibus conservare. Et alias docuit agglutinantia siccandi, atque adstringendi vim habere, adstrictione distantiam labiorum respiciens, siccitate verò superfluam humiditatem. Secundùm igitur Gal. doctrinam saltem sunt tres affectus in simplici vulnere, videlicet continui solutio, labiorum distantia, & superflua humiditas. Quibus temperamenti vitium addere possumus, atque fluxionis principium, quod vulnus omne comitatur. Sed & virtus partis in simplicibus est conservanda, utpote quæ unionem molitur. Verùm quid sibi voluit Gal. quando vulneris divisionem proposuit in simplex, & compositum? profectò Gal. nihil aliud voluit nobis significare, quàm distinctionem inter vulnus in quo nihil deest neque cutis, neque carnis, & illud, in quo aliquid deficit, & regenerandum est, & cavum ab illo dicitur; quamvis omnia vulnera sint cava; Etenim si telum ad penitiores partes habuit aditum, & omninò si etiam penitiores partes sint sejunctæ, fieri non potest, quin vulnus non sit cavum. Verùm alia est ratio hujus, alia illius cavitatis, vulneris enim appellati simplicis cavitas per applicationem labiorum repletur, & nihil aliud remanet, nisi ut fiat agglutinatio; At cavitas vulneris, quod verè cavum est, non potest nisi per carnis regenerationem repleri; ut statuendum videatur, omnia vulnera esse cava, sed aliorum cavitas carnis indiget regeneratione, ut repleatur, & hoc est vulnus propriè cavum, aliorum verò per juxta positionem labiorum repletur, & hoc est vulnus simplex. Cum ergo tot affectus sint vulneribus adnexi, mirum

Cur quædam vulnera dicantur simplicia.

rum

rum non eſt, ſi pluribus quoque remediis ſint tractanda.

Cæterum reliquis interim omiſſis de tegumento, quod naturalem calorem conſervat, & roborat, & in quo præcipuè conſiſtit noſter curandi modus, agamus. Non enim quodlibet tegumentum, & utcunque paratum aptum cenſendum eſt ad tuendum, & roborandum naturalem calorem, ſed quod partes proprio, & naturali tegmine deſtitutas, ab injuriis ambientis defendat, caloriſque evaporationem, ac diſſolutionem prohibeat, ipſumque foveat neque noxam effatu dignam inferre poſſit. Quare ut habeamus, quale tegumentum parandum nobis ſit, aeris ſtatus erit conſiderandus, corporiſque & vulneratæ partis natura, & ipſius vulneris magnitudo: quod enim eſt in uno corpore, aut in una parte decens tegumentum, in altero, aut altera parte forſan non contemnendi mali erit in cauſa, non ſatis, aut pluſquam par ſit calefaciens: & quod in aere calido præclaram operam præſtat, in frigido non ſatis ab ejus injuriis partem tutabitur: quod verò in frigido egregrie proprium munus explet, in calido nimis calefaciat, ponderoſumque comperietur. Et quod in carnoſa parte experitur præſtantiſſimum, ſi viſcus aliquod, puta cerebrum fuerit convulneratum, aut detectum, ſæpius incommodum, & noxium, quin interdum lethale deprehendetur. Itaque ſi citra diſcrimen conſtruatur, turpes, & exitiales errores contingant neceſſe eſt. Ad hæc ergo reſpiciens elegans Medicus tegumentum aptum facilè parabit ex duplicato, triplicato, aut quadruplicato, vel pluries etiam plicato linteo, vel pluribus linteis; modò etiam ex tenui ſtuppa, vel molli lana, aut goſſipio contectis ſpleniis, vel pulvillis, ſi firmiori tegumento fuerit opus; tantæ verò latitudinis, ac longitudinis, ut de parte ſana non parum comprehendat. Et ne ab eo noxa contingat, curabit, ne ponderoſum nimis evadat, linteaque deliget non aſpera, & inæqualia, ac dura, ſed lævia, æqualia, & mollia. Præterea cavebit, ne ob arctam deligationem nimis hæreat parti, & eam comprimat, præterquam quod enim pars vulnerata majori fluxionis periculo eſſet expoſita, cum adſtrictione, atque compreſſione dolor inferatur, & ſanguis attrahatur, egreſſus inſuper excrementitiæ materiæ prohibetur, cujus ratione dicebat Hip. lib. de frac. tex. 20. com. 3. niſi quod faſcia laxior injiciatur,

Tegumentum ut parandum.

ne pus retineatur, ſed facilem exitum habeat; clauditur enim à comprimentibus, linteis vulneris oſculum; & pravorum halituum, ſi qui generentur, impeditur diſſolutio. Hæc igitur pericula, laxiori facta deligatione, vitabimus. Sed neque adeò ſit laxa, ut à vulnere poſſit amoveri tegumentum, ſi fortè moveri partem contingat, utraque ergo extrema ſunt fugienda.

Medicamentum vulnerum quale.

Ad perfectionem quoque tegumenti requiritur, ut oſculo vulneris apponatur linteolum medicamento aliquo illitum, quod poſſit diſſolutionem caloris prohibere; ac impedire, ne ita madefiant effluentibus excrementis appoſita pro tegumento lintea ſeu ſplenia, cujuſque ſubſtantia diutius perduret, nam quæ cito exſiccantur, & evaneſcunt, parum utilitatis afferunt, nec ſit talis, quæ poſſit ſuffluxiones tollere. Hujuſmodi erit, quod medium eſt inter molle, & durum, quodque emplaſticum eſt, ac viſcidum, nec non & oleoſum, unctuoſitas enim citam exſiccationem & evaporationem prohibet. Palam autem eſt, nullam eidem ineſſe debere qualitatem, quæ ad ciendam fluxionem faciat, aut naturali calori ſit adverſa. Et ſi quæ illi ineſſe debeat evidens qualitas, ſit exſiccans, niſi vulnus ſit contuſum, ut ad abſumptionem excrementorum aliquid conferat, aut ſuppurans, ſi vulnus fuerit contuſum, & omnino ſuppuratione indigeat; ſiccans verò, & adſtringens ſit, &, ut uno verbo dicam, agglutinans, ſi vulnus agglutinari poſtulet. Maximè autem probaverim, ut ſemper apponeretur medicamentum, quod qualitatem haberet naturali calori amicam, & qua naturalis calor robuſtior redderetur ad opera pro vulnerum ſanatione neceſſaria, amicam videlicet caliditatem, quod ſi eidem proprietate totius ſubſtantiæ prodeſſet, omnes profectò haberet numeros. Et ideò quando ſuppetit medicamentorum copia, & eorum delectus haberi poteſt, non eſt ſtandum manifeſtæ qualitati medicamenti, ſed quod experientia efficaciùs comprobavit, illud eligendum. Hæc apud aliquos forſan erunt difficilia, & propterea in iis pauliſper immoremur.

CAPUT

CAPUT XXXVI.

Cur aliis medicamentis citius, aliis tardius ſanentur vulnera, & quod dentur medicamenta à totius ſubſtantiæ proprietate vulneribus conferentia.

QUi vulneribus curandis dant operam, quotidie obſervant ex uſu unius, magis quàm alterius medicamenti, quamvis in manifeſtis qualitatibus ſint ſimilia, facilius ac citius vulnera ad ſanitatem perduci; eſt enim reperire quædam medicamenta, quorum uſu unius diei ſpatio magna etiam vulnera agglutinantur. Hinc extolluntur balſama quædam arte facta, oleum magni Ducis Hetruriæ pro vulneribus, oleum Hiſpanæ appellatum, Aquæ balſami, & matres appellatæ balſami, & innumeri propemodum ſtillatitii liquores, balſama naturalia, & potiſſimum, quod nuper ex Indiis, advectum eſt, Peruvianum dictum, Tacahamacha Inda, & alia id genus: quibus non pauca in manifeſtis qualitatibus ſimilia reperies, ſub quibus tamen non æquè fœliciter ſanantur vulnera. *Medicamenta efficacia ad vulnera.*

Quænam ergo eſt hujus diverſitatis cauſa? Jam oſtenſum eſt re vera non eſſe medicamenta, quæ vulnera ad ſanitatem ducant, ſed calorem naturalem, quare non aliter medicamenta vulneribus conferunt, quàm opitulando naturali calori, quod dupliciter contingit, uno quidem modo, quando impedimentum aliquod auferunt, aut ne quid accidat, quod naturæ opus impediat, aut remoretur, prohibent; altero vero modo, quando agenti directè opem ferunt, hoc eſt, fovent, ac roborant naturalem calorem. Jam vero licet medicamenta quædam ſint primis qualitatibus ſimilia, alterum tamen altero poteſt efficacius aliquod ex dictis juvamentis præſtare pluribus rationibus, aut videlicet, quia propter certum ſubſtantiæ modum diutius vim propriam conſervat, unde longiori actione potentius aget, & magis conferet; aut quia ipſius uſus nullo, aut parvo ſit labori ipſi naturæ, puta quia in ejus expulſione nihil, aut parùm naturæ ſit laborandum: cum enim omne medicamentum ſit à natura alienum, neceſſe eſt, ut *Quomodo medicamenta vulneribus conferant.* *Cur alia aliis magis conferant.*

tandem expellatur, si intra vulnus fuerit, non secus, ac propria excrementa, at in quorumdam medicamentorum expulsione parum defatigatur natura, ut quæ calore attenuata in auras dissolvantur; aut quia ob peculiarem substantiæ modum, qui oritur ex certa quadam elementorum proportione, magis sese in omnes vulneris partes insinuet, altiusque penetret; aut quia sit magis naturæ amicum: nihil enim prohibet ex duobus medicamentis in manifestis qualitatibus similibus alterum altero esse magis naturæ amicum, sicuti non pauca medicamenta reperies in caliditate, ac siccitate, adstrictioneque absynthio similia, quæ tamen non sunt æquè amica jecinori, ac absynthium ipsum: aut quia non manifestis tantum qualitatibus conferat, verum etiam à totius substantiæ proprietate.

Dantur medicamenta à proprietate potius substantiæ vulneribus conferentia.

Dari medicamenta, quæ à totius substantiæ proprietate partibus quibusdam conferant, & peculiares quosdam morbos, aut morbificas causas demoliantur, adeo in re medica est frequenti experientia confirmatum, ut nullus videatur relictus dubitandi locus, ideoque Gal. 1. de comp. med. per gen. 1. in illos invehitur, qui talem medicamentorum operationem negabant, imo eos irridebant, qui arbitrabantur, ex medicamentis alia jecur, alia lienem, alia renes, alia vesicam, alia cerebrum, vel pulmones, vel oculos juvare, dicentes: utrum præses quidam illis imperat quemadmodum in Tragœdia, Tu vise latas propere ripas Inachi, tu perge Thebas, modo quas Cadmus condidit. sic in his, tu ad hepatis portas, tu ad vesicam, vel renes duos proficiscere? An quod ingestum est in ventriculum, jecur quidem excipit, inde verò per universas corporis partes defertur? quos omnes imperitiæ arguit ibidem Gal. utpote minùs versatos in cognitione facultatum medicamentorum, & ad hujusmodi errorem confutandum experientiam adhibet, posteaquam talis proprietas sola experientia, neutiquam ratione innotescit, unde dicebat; At hoc scomma eos, qui hujusmodi cavillantur, tam esse medicamentorum facultatis imperitos arguit, ut à marino lepore pulmonem exulcerari ex omnibns corporis particulis penitùs ignorent, vesicam solam à cantharidibus, ab aliis, renum lapides conteri, ab aliis rursus pulmonis, atque thoracis promptas fieri excretiones, quem-

Proprietas totius substantiæ sola experientia innotescit.

admodum

admodum ab aliis alia in una quadam particula peculiariter perfici. Eandem medicamentorum operationem agnoſcit lib. de Theriaca ad Piſonem. Sicuti ergo in aliis morbis inventa ſunt medicamenta à tota ſubſtantia conferentia, ita quoque in vulneribus rem ſe habere exiſtimandum eſt; non quidem quod medicamenta ſanent vulnera, jam enim dictum eſt, id eſſe naturæ opus, ſed quod proprietate totius ſubſtantiæ innatum calorem ita roborent, ut omnia neceſſaria munia fœliciſſimè obeat. Dari autem medicamenta alia aliis præſtantiora, potentioraque ad vulnerum ſanationem, experientia ipſa teſtatur. Sed ex his potentioribus aliqua reperiri, quæ totius ſubſtantiæ proprietate id præſtent, hinc licet colligere, quòd operationis ipſorum nulla poteſt reddi ratio, hoc enim eorum eſt proprium, quæ à tota ſubſtantia operantur.

Quoniam verò nullum ferè ex talibus medicamentis reperitur, quod ſimul aliqua manifeſta qualitate præditum non deprehendatur, propterea objicere quiſpiam poſſet, effectum à manifeſta illa qualitate prodire, non à totius ſubſtantiæ proprietate, nam fruſtrà ad abditas cauſas confugimus, quando manifeſtæ præſto ſunt. Cur, ſi medicamenta, quibus ad curationem vulnerum utimur, omnia ſunt ſicca, & exſiccatio eſt maximè vulneribus conveniens, à tota ſubſtantia vulneribus conferre ſunt æſtimanda? Evidenti tamen ratione adducimur, ut ſtatuamus, effectum præcipuum à totius ſubſtantiæ proprietate provenire: ſi enim effectus à manifeſta qualitate prodiret, omnia medicamenta eandem qualitatem in eodem gradu participantia, & ſimilem ſubſtantiæ modum, eundem ederent effectum, modò aliud quodpiam non obſtaret, aut reluctaretur eorum operationi, vel ipſa medicamenta alienam ſimul non haberent qualitatem, quæ conferentis qualitatis effectum poſſet impedire, ſicuti ſi prætereà medicamentum eſſet nimis calidum, & mordax, aut frigidum; at multa medicamenta comperiuntur eandem qualitatem in eodem gradu participantia cum ſimili ſubſtantiæ modo, quæ tamen non eundem effectum operantur, etiamſi contrariam qualitatem non obtineant, vel aliud quodpiam eorum actioni ſit impedimento: igitùr non à manifeſta illa qualitate, ſed à totius ſubſtantiæ pro-

Objectio.

Solutio.

prietate

prietate talium medicamentorum effectus ortum ducit. Hujus etiam ſignum eſt, quod hujusmodi medicamenta & agglutinant, & carne replent, quæ diverſis facultatibus peraguntur; imo adſtrictio, qua prædita ſunt agglutinantia, carnis generationi obeſt, teſte ipſo Gal. 3. Meth. 4. utpote quæ ſordem ulceribus arctiùs affigat, quàm ut facilè poſſit abſolvi: non ergo manifeſtis qualitatibus utrumque præſtant. Non ob id tamen aſſertum volo, qualitatem manifeſtam in eodem medicamento, quod à tota ſubſtantia operatur, eſſe prorſus inutilem, ſed ſuo modo agere cenſeo, puta exſiccando humiditatem ſuperfluam, at quod effectus adeo celeriter ſubſequatur, itaque facilè, ac tuto in robur, quod à medicamento amico naturalis calor contraxit, referendum dico, quem tamen effectum faciliorem reddere manifeſta qualitas poteſt.

Nec eſt, quòd quis objiciat, eorum medicamentorum, quæ à tota ſubſtantia operantur, nullam eſſe rationem, nos autem rationem attuliſſe cur vulnera ſanent; diximus enim hoc præſtare roborando naturalem calorem; nam ſi inſpiciamus, effectum tantùm medicamentorum, quo proſunt, cognoſcimus, actionis autem cauſam ignoramus. Scimus ea roborando naturalem calorem vulneribus conferre, verùm qua ratione roborent, ignoramus, & hæc eſt operatio, quæ à proprietate totius ſubſtantiæ provenire dicitur. Jecur lupi præparatum à tota ſubſtantia hepaticis ſubvenire exiſtimatur, quod non alia præſtat ratione, quàm naturalem calorem jecinoris roborando; ſed qua ratione tantum roboris naturali hepatis calori præſtet, ignoramus, & hæc eſt operatio ipſius à tota ſubſtantia procedens. Semper autem manifeſta qualitas eundem ſcopum reſpiciens, ſive per ſe, ſive ex accidenti, adhuc magis ad propoſitum finem conſequendum conducit. Sicuti non raro in Gallica lue caliditas, & ſiccitas Guajaci adjuvat ejuſdem operationem, quæ eſt à tota ſubſtantia in expellenda lue.

Hujuſmodi ſanè fuerint medicamenta, quæ à tota ſubſtantia vulneribus prodeſſe exiſtimantur, veluti balſamum Peruvianum, Tachahamacha Inda, caranna, balſamina, ſymphitum, dictamnum Creticum, ophiogloſſum, balſamum arte confectum pro vulneribus,

bus, aqua, & mater balſami, nec non & olea multa, quæ ex multiplici maceratione, & fermentatione medicamentorum, quæ ad vulnera faciunt, præparantur: cujuſmodi eſt oleum noſtrum ex multiplici infuſione hyperici, & aliorum multorum. Sicuti enim in Theriaca ex tanta mixtorum diverſitate mediante fermentatione oritur tertia quædam forma venenis adverſa, unde ipſa non agit quatenus calida, & ſicca, neque in virtute alicujus ſimplicis medicamenti ejus compoſitionem ingredientis, ſed à tota ſubſtantia; ita de compoſitis illis medicamentis ad vulnera cenſendum eſt. Neque ſolum eſt reperire pharmaca à tota ſubſtantia vulneribus communiter conferentia, verùm ſicuti in aliis effectibus alia huic, alia illi parti conferunt, ita & in vulneribus partium evenire conſpicimus, alia ſiquidem obſervamus vulneribus capitis magis convenire, alia nervorum, & ſic deinceps. Capitis enim vulneribus magis prodeſt gummi Ellemi, betonica, matrisſilva, pimpinella, & quæ ex illis componuntur, nervorum autem hypericum, momordica, vermes terreſtres balſama factitia, & naturalia, & ſic de reliquis,& ſi quæ reliquarum partium vulneribus peculiariter proſint, non adeò ſint manifeſta.

Dantur medicamenta quæ in quodam peculiari opere à proprietate totius ſubſtantiæ naturalem calorem adjuvant.

Illud præterea in id genus medicamentis obſervamus, quod ſunt nonnulla, quæ in uno quodam opere peculiariter naturalem calorem adjuvant, ut patet de dictamno Cretico, quod præcipuè calori ſuffragatur ad extranea corpora propellenda: nec mihi objiciat quiſpiam, id à vi attractoria dictamni proficiſci, poſteaquam & intus ingeſtum idem præſtat. His igitur ita ſe habentibus, nullum erit abſurdum, immò non leviter profuturum exiſtimandum eſt, ſi medicamentorum, quando fieri poſſit, delectus habeatur, & quæ efficaciora ſunt, amplectantur: neque tantùm extrinſecus apponantur, verùm etiam intra vulnus, ſi cavum fuerit, inſtillentur: quamvis quod extrinſecus apponitur, niſi decentem ſui natura conſiſtentiam habuerit, ut tegumentum ſit utilius, & ipſum quoque medicamentum diutiùs vires proprias retineat, ad convenientem formam alterius miſcella reduci poſtulet. Neque pauci momenti habenda eſt medicamenti inſtillatio, quod una tantùm, vel altera vice, aut ſaltem raró inſtilletur, & ipſe proprias vires intra vulnus conſervare propter excrementorum permixtionem

diutiùs nequeat, tantoque minùs, si ex illis fuerit, quæ promptè dissolvuntur, immo quando etiam tale non fuerit, quod à natura non multò post tanquam extraneum expellatur, posteaquam semel admotum non mediocriter potest naturalem calorem roborare, & alias insuper utilitates afferre, & robur, quod ab una illa impositione recipit calor, deficiente medicamenti virtute non amittit, sed constanter retinet sub fido tegumento tutus: qua de re, ut sæpè adhibeatur, non est auferendum tegumentum, & majus damnum procurandum, quàm commodum.

Alia consideratio in delectum medicamentorum.

In aptis quoque medicamentis deligendis, non erit spernenda consideratio naturæ ipsius vulnerati, & propriè illius curationis, & ejusdem naturæ proprietatis ineffabilis, siquidem non est existimandum, omnem naturam, ut dicebat Gal. 3. Meth. 7. eadem medicamenta requirere, sed infirmioribus, mollioribusque mitiora, validioribus, sicciorib usque valentiora conveniunt. Et sunt quædam naturæ, quæ ab aliquibus benè habent, ab aliis verò licet qualitate similibus, insignem noxam percipiant. Novi ego quosdam, qui usum terebinthinæ peculiari quadam dote perferre non poterant, & hæc proprietas ad filios etiam transiit, & eandem fuisse avorum, & patrum naturam referebant. Et propterea non immeritò dicebat Gal. loco citato, perspicuum esse, tum ægri naturam esse considerandam, tum cujusque hominis esse propriam curationem, tum supra hæc illud tertium, nempè quoniam cujusque naturæ proprietas ineffabilis est, nec exactissima scientia comprehensibilis, hunc esse optimum cujusque particularis ægritudinis Medicum, qui jam methodum quandam comparavit, ex qua & dignoscere, naturas possit, & conjectura consequi, quæ sint propria cujusque remedia. Itaque & propter qualitates excrementa respicientes, si cui talibus uti placuerit, non erit ab re, si observentur, quæ superiùs ex Gal. mente proposita sunt pro metiendo siccitatis gradu, quin transferenda hæc eadem erunt ad caliditatem, frigiditatemque medicamenti, sicuti enim, ut dicebat Gal. 3. Meth. 8. humidior natura humidiora, siccior sicciora medicamenta exigit, ita calidior calidiora, frigidior frigidiora requirit, contrariam scilicet semper iis, quæ præter naturam sunt, & iis, quæ secundùm naturam indicationem præstantibus. Quippe

quæ

quæ secundùm naturam similium sibi sunt indicativa, quæ præter naturam contrariorum, si modò illa servari, hæc summoveri necesse est. Immò & illud addi ex Gal. poterit, quòd si temperamentum totius, & partis non convenerint, id autem nonnunquam evenit, particula ipsa, exempli gratia, sicciori existente, quando ægri temperamentum est humidius, vel è converso, & ideò contrariæ indicationes nobis sese offerant, diversa existente indicatione, quæ à patiente particula sumitur ab ea, quæ ex totius elicitur natura, si quantùm ægri temperamentum ad unum extremorum lapsum est tantùm ad alterum extremum lapsa sit particula, medicamentum tale esse oportebit, quale conveniret, si vulnus foret in temperata particula temperati corporis. Si verò lapsus particulæ versus suum extremum major sit, quàm temperamenti corporis ad alterum, in tantùm oportebit medicamenti vires, quas affecta particula præscribit, intendere, quantùm excessus particulæ est suprà excessum corporis; nam si particula tanto siccior sit temperato, quanto ægri temperamentum est humidius justo, tale profectò medicamentum convenit, quale in vulnere temperatæ particulæ temperati corporis. At si particula sit siccior temperato, quàm ægri temperamentum sit justo humidius, tantò siccius medicamentum conveniet, quantò magis particulæ siccitas corporis humiditatem exuperat. Quod & de caliditate, ac frigiditate intelligendum venit. Hinc Gal. 3. Meth. 9. Pone igitur totum laborantis corporis temperamentum humidius esse, eoque medicamenta desiderare, quæ minus siccent, ipsam verò ægram particulam ex eorum numero esse, quæ sicciores sunt, quales esse diximus, quæ minus sunt carnosæ, diversa in his est ea, quæ à patiente particula accipitur indicatio, ab ea, quæ ex ægri sumitur natura: quare si quanto ægri temperamentum justo est humidius, tanto particula justo sit siccior, nec adjiciendum, nec detrahendum pharmaco quidquam est, sed tale adhibendum, quale si ulcus in medii temperamenti particula corporis mediocriter temperati consisteret, adhiberemus. Sin siccior debito particula tantò fuerit, quantò corporis temperamentum justo est humidius, utique in tantùm intendi siccitatem medicamenti conveniet, quantùm particulæ temperamentum totius temperamentum excedit. Veluti

ſi quatuor numeris ſit exulcerata pars medio temperamento ſiccior, ægri natura gradibus tribus humidior, manifeſtum eſt particulam, quæ nunc exulcerata eſt, ſiccius uno gradu deſideraturam medicamentum, quàm quæ pars ſit temperata.

Notandum. Unum tamen noto propter eos, qui quotidie medicamenta imponunt, animadverſione dignum, videlicet, nullum eſſe inconveniens, quando medicamentum, quod imponitur, ex iis eſt, quorum ſubſtantia, ac vis promptè evaneſcit, ſi illud ſiccitatem, caliditatemque particulæ exceſſerit, propter brevitatem enim actionis nihil officiet, immo efficacia agendi brevitatem actionis compenſabit: error autem cum non levi ægrotantis damno committeretur, ſi diutiùs vim illam retineret medicamentum. Hinc videmus aliquos ex iis, qui veterem modum ſequuntur, uti aqua ardenti fœlici cum ſucceſſu; quod ſi ſubſtantia ejus, ac virtus perduraret, propter inſignem caliditatem, ac ſiccitatem non poſſet ſæpè non obeſſe.

Alia conſideratio. Ad eligendam quoque manifeſtam medicamenti qualitatem neceſſaria eſt temperamenti aëris ambientis conſideratio; cum enim & totum corpus, & particula ipſam afficiat, & propterea excedente qualitate poſſit non leviter moleſtum eſſe, ejus exceſſui medicamentis eſt occurrendum, ita ut calidioribus temporibus frigidiora, frigidioribus calidiora admoveantur, unde Gal. 3. Meth. 7. Si igitur hæc ita ſe habent, ſicuti profectò habent, inſpici etiam convenit, & circundantis nos aëris temperies, ſiquidem eſt veluti medicamentum quoddam: is quoque corporibus noſtris forinſecus incidens, ubi immodicus calore, vel frigore eſt, ſanationem moratur. Danda igitur opera eſt, ut medicamenta ejus exceſſui occurrant, ideoque Hipp. in calidioribus anni temporibus iis, quibus frigidior facultas ſit, medicamentis utitur, calidioribus per frigidiora.

CAPUT

CAPUT XXXVII.

Non esse absurdum asserere unica medicina omnia simplicia vulnera posse agglutinari, & cava carne repleri, immò quolibet dato medicamento non corruptivo, neque mordaci, si decentis fuerit consistentiæ, vel ad eam reducatur, posse idem præstari ostenditur.

QUamvis aliis medicamentis citiùs, aliis tardiùs, & minùs fœliciter sanentur vulnera, & ob id laudandum sit, si medicamentum, quod adhibetur, ex iis sit, quæ magis sunt efficacia; nihilominus, quoniam naturalis caloris est, qui sanat vulnera, etiamsi medicamentum tales vires non habuerit, posse omne vulnus simplex agglutinari, & cavum, quod sanari tamen possit, carne repleri non est dubitandum, posteaquam tegumentum supradicto modo paratum adeò fovet, ac roborat naturalem calorem ut citra opem medicamenti tali facultate præditi quæcunque necessaria sunt, præstare valeat. Immo tantam in eo vim, & energiam agnosco, ut asserere non dubitem, unica medicina posse omnia simplicia vulnera agglutinari, & cava, quæ sanationem haud respuant, carne repleri.

Jam non paradoxa docere, sed desipere videbor, dicente Gal. 3. Meth. 3. Nemo tamen eorum adeò fuit præceps, ut omni ulceri cavo unam se habere Medicinam, quæ carnem restituerit, profiteretur: non enim apud ullum invenies ejusmodi pharmacum, quod omne ulcus cavum sanet, immo pro modo humoris, sordisve, atque ipso laborantis temperamento immutandum medicamentum esse. Et eodem cap. 5. Porrò existimare communem quandam esse omnium hominum curationem, sicuti stupidissimi Methodici putant, extremæ est dementiæ. Cæterum neque desipio, neque paradoxa affero. Galenum, & antiquos non reprehendo. Consentanea jactis principiis protulit Gal. sed & assertum meum verum esse, nisi judicem agas, priusquam partes audieris, comperies. Quod Gal. docuit in sua doctrina, & juxta sua principia, suamque curandi methodum, verum est: quod ego asserui, si fundamentis adhuc jactis standum est, non minùs

eſt verum; in Galeni tamen doctrina falſum eſſet, revera enim ſi excrementorum ablatio medicamentis ſit committenda, quemadmodum ſentit Gal. varianda utique erunt medicamenta pro varietate naturarum, & pro excrementorum modo. At nos non medicamentis, ſed naturæ curam excrementorum committimus, & propterea ſatis nobis eſt, ut medicamentum vicem gerat tegumenti, & naturalem calorem foveat, ac tueatur, palam autem eſt, unam, & eandem medicinam poſſe in omnibus vulneribus talis tegumenti rationem ſubire. Sufficit, ſi naturalis calor, cujus eſt vulnera ſanare, ſit robuſtus, cujus ratione contingit, ut & ab iis, qui quotidie vulneribus medicamenta adhibent, ſæpè ſanentur vulnera, etiamſi perperam curentur. Quis non obſervat in dies curari vulnera ab imperitis, & à gregalibus Medicis abſque ulla diſtinctione, immò absque ulla cognitione ipſorum medicamentorum, & corporum, quibus adhibentur, & omninò contra Gal. methodum, & rationem, unde abſtergunt, & ſiccant, ubi eſt ſuppurandum, ubi vero abſtergendum eſt, aut agglutinandum, ſuppurant, & in cavis vulneribus paſſim adſtringunt, vulnera in partibus nervoſis oleo ferventi comburunt, & tamen non rarò ſanari hoc modo curata vulnera? Eſt ne levis error inutilibus linamentis partem vulneratam diſtendere, ac purulentam materiam ſupprimere, putredini, atque corruptioni, quæ imminet, non ire obviam, præſentem verò communibus ſarcoticis, atque adſtringentibus admixtis corrigere, ſubfluxiones ſpernere, vulnus ab injuriis ambientis non defendere? Et tamen quemdam novi, qui ſe etiam magni nominis virum exiſtimabat, & ubique mirabilia de ſe prædicabat, atque ſe ſolum ſapere profitebatur, aliiſque omnibus ſine circuitionibus detrahebat, in his, & aliis delinquere ſolitum, à quo tamen non pauca vulnera ſanabantur. Fateor non paucos ab eodem me vidiſſe interfectos, vel, ut meliùs dicam, ejus culpa interiiſſe, ſed & multi tali curatione ſani evadebant. Quis adeò cæcus eſt, qui non videat ſanitatis cauſam referendam eſſe in robur naturalis caloris, qui nocentia ſpernit, & nocumenta corrigit à prava curatione illata? Quod ſi imbecillis eſſet calor; aut vulnus in parte foret, in qua illatæ noxæ citò fiunt inemendabiles, profectò actum eſſet de vita ægrotantis,

Una, & eadem medicina poteſt in omnibus vulneribus rationem habere tegumenti.

tantis, in quo tam frequentes errores committuntur. Hinc vulnerati capite quamvis leviter, plerique in manibus eximii illius viri peribant, ut in gravibus casibus error ejusdem non possit delitescere: nam evenit propemodum Medicis, quod malis gubernatoribus, veluti Senex lib. de vet. Med. his verbis scriptum reliquit. Plerique, inquit, Medici eadem, quæ mali gubernatores in se admittere videntur, etenim illi, cum in tranquillitate navigantes delinquunt, non sunt manifesti, cum autem eos deprehenderit ventus magnus, & tempestas, palam jam conspicui sunt omnibus hominibus, ignorantia, & culpa erroris sui navem perdidisse. Sic sanè etiam mali, & plurimi Medici cum curant homines nihil grave patientes, in quos si quis etiam maximè delinquat, nihil grave faciat. Sunt autem multi tales morbi, & multò sæpiùs quàm graves hominibus accidunt. In talibus sanè delinquentes non fiunt manifesti idiotis hominibus; Ubi vero contigerit magnus, & fortis, & periculosus morbus, tunc ipsorum delicta, & ars omnibus in conspicuo sunt: Neque enim longè absunt singulorum pœnæ, & cruces, sed brevi adsunt. Sanè vim naturæ in sanatione vulnerum quandoque veluti ludens, & per otium observare volui, communia vulnera medicamentis adversis curans in robustioribus, & usu medicamenti suppurantis agglutinata vidi vulnera, carne repleta, & cicatrice obducta. Medicamentum, quo utebar, erat id, quod digestivum lotum appellant. Quis diceret tale medicamentum posse vulnus simplex agglutinare, cavum autem carne replere, ac cicatricem inducere, cum hæc omnia in Galen. doctrina siccantibus perficiantur? Aliàs observavi ejusdem digestivi usu vulnera sclopo inflicta suppurata, expurgata, & carne repleta, & erant gravissima, sed posteà ob nimiam humiditatem supercrevit caro, quæ erodentibus indiguit. Verè, ut reliqua omnia, ita ab Hippocrate dictum est, naturas esse morborum medicatrices. Quod in vulneribus potissimùm observamus. Et quicumque crediderit aliàs, ut rectè dicebat Paracelsus, aut sibi temerè sanationem vulnerum adscripserit, sese, nec non alios miserrimè seducet, cum artis propriæ, vel ejus, quod profitetur, nullam cognitionem habeat. Subfluxiones para, si desint, & calorem protege, ac fove, teque vel invito sanabuntur vulnera.

Medici similes gubernatoribus.

Vis naturæ in curatione vulnerum.

Si

Si ergo tanta est vis naturæ, ut nocumenta corrigat prava curatione illata, & illud asserere possumus, cum tegumento nostro naturam roboremus, unica medicina, quæ in omnibus vulneribus complere tegumentum potest, omnia simplicia vulnera posse agglutinari, & cava carne repleri. Quòd verò unica medicina valeat tegumentum perficere in omnibus vulneribus, non est ut probemus, quoniam ad hoc sufficit, ut exhalationem caloris prohibeat, & ab injuriis externis una cum suprapositis linteis cum defendat, & cum iisdem foveat. Quæ omnia sola corpulentia præstabit medicina. Nemini autem dubium est, eandem corpulentiam omnibus vulneribus posse inservire.

Unica medicina possunt sanari omnia vulnera.

Objectio.

Objicies, talis medicina qualitatem aliquam habeat, necesse est, vel enim erit temperata, vel calida, aut frigida, aut humida, aut sicca, vel secundùm horum combinationem, sed quamcunque habuerit qualitatem, cum naturæ hominum adeò sint diversæ, talis qualitas, licèt forsan aliquibus naturis futura sit ex usu, aliis tamen fuerit necessariò minus opportuna, siquidem quæ medicina unius naturæ respectu est modicè calida, alterius respectu, erit calidior, quàm par sit, alterius minùs calida, vel etiam frigida: igitur propter qualitatem corpulentiæ adnexam fieri nequit, ut unica medicina omnibus vulneribus possit adaptari. Verùm hæc objectio in nostro curandi modo nullius est momenti; etenim qualitati medicamenti non omnia tribuimus, tegumentum curamus, etiamsi qualitas adjuncta corpulentiæ fuerit minùs conveniens naturæ, cui applicatur, numquam tamen adeò illi potest esse inconveniens, ut aliquid mali inferat: potissimùm enim medicinam deligimus, quæ moderatum habeat calorem, at in omnibus naturalis calor moderatè calidus est, & calidis fovetur, nec esse potest alicujus momenti discrimen in diversitate naturarum. Deinde qualitas hæc medicinæ non multò post aliàs dictis de causis perit, unde in eo, quod sequitur, tempore apposita medicina solius tegumenti vicem habet, quo roboratur calor: & si a medicinæ qualitate, dum videlicet apponitur aliqua minùs convenienti qualitate prædita, quid nocui fuerit profectum, totum à roborato calore emendatur, &, ut uno verbo dicam, major est utilitas, quæ ex tegumento, quam jactura, quæ ex minùs convenienti qua-

Solutio.

qualitate provenit: neque enim vellem qualitatem hanc esse corruptivam, & deleteriam, aut mordacem, ut ob id fluxionem proritaret. Quare nec absurdum existimarem hoc assertum: Dato quolibet medicamento convenientis corpulentiæ, quod corruptivum, & deleterium non existat, aut adeò acre, & mordax, ut fluxionem concitet, possunt omnia vulnera cava, quæ sanabilia sunt, carne repleri. Ratio est in promptu, qualitas talis medicamenti, quæcumque ea fuerit, tandem propter calorem partis, & affluentia excrementa perit, semper autem vim habet tegumenti ejus corpulentia. Immò si applicaretur medicina, quæ in auras dissiparetur, idem tamen effectus sequeretur, quia saltem remanet tegumentum linteis paratum: unde & absque ullius medicamenti ope ægrius forsan idem consequeremur. Hinc & Celsus lib. 5. cap. 26. dicebat. Licetque sine peregrinis, & conquisitis, & compositis medicamentis vulnus curare.

Dato quolibet medicamento possunt omnia vulnera sanabilia sanari.

Ex his patet, mirum non esse, si medicamentis suppurantibus agglutinentur vulnera, expurgentur, carne repleantur, & quandoque etiam cicatrice obducantur: appositionemque medicamentorum non esse absolutè necessariam, sed ad benè esse tantùm; sicuti coctioni, quæ fit in ventriculo, prodest fomentum, verùm non est necessarium, namque & sine ipso celebratur coctio, ope tamen fomenti meliùs, & faciliori negotio perficitur.

CAPUT XXXVIII.

Quando detegere vulnus oporteat.

IN omnibus vulneribus idem esse solutionis tempus, nemo sanæ mentis judicabit; idque ex eo solo licet colligere, quòd ex vulneribus alia citiùs, alia tardius sanantur, clarum autem est, citiùs solvendum esse, quod citiùs sanatur. Accedit, quod & si temperamentum vulneratæ partis, & fluxionis periculum tegumentum postulent, non est tamen existimandum in omnibus vulneribus protrahi solutionem debere usque ad perfectam sanationem, interdum enim connectuntur affectus, qui majorem vim habent ad indicandam solutionem, quàm

temperamentum, & fluxionis metus ad indicandum tegumentum. Non erit autem difficile ſolutionis tempus invenire, ſi conſideretur, cujus gratia tecta ſerventur vulnera: hoc facimus, quemadmodum ſuperiùs dictum eſt, tum ut faciliùs fluxionis periculum evitemus, tùm, ut calorem naturalem tueamur, foveamus, ac roboremus, quo poſſit facilius propria munia obire. Igitur quando nihil adſit, quod magis poſſit ad indicandam ſolutionem, & detectionem, quàm fluxionis periculum, & naturalis calor ad indicandum tegumentum, ſemper tecta ſervanda ſunt vulnera: At, quando aliquid tale adeſt, tunc ſolvendum eſt vulnus, ac detegendum.

Unde habeatur tempus ſolutionis.

Quæ ſolutionem indicant.

Quæ magis poſſunt ad indicandam ſolutionem ea ſunt, quibus ſine manuali operatione ſuccurri non poteſt, aut quia, ſic illis poſcentibus, aliquid manu addendum ſit, aut detrahendum, aut quia medicamentum aliquod apponendum, & tamen, niſi eis quamprimùm ſuccurratur, magnum quodpiam malum minantur. Ea pariter, quibus ſine manuali operatione ſuccurrere non poſſumus, quamvis nihil grave ſint allatura, ſed tantummodò niſi ipſis conſulatur, impedimento ſint, ne optatum finem conſequamur, magis poſſunt ad indicandam ſolutionem, quando jam naturalis calor, quæ majoris ſunt momenti, præſtiterit, ut ob id ceſſet tegumenti neceſſitas. Hujuſmodi eſt caro ſupercreſcens; ſolvendum enim ejus cauſa vulnus eſt, ut medicamentum apponi poſſit, quod eam detrahat, aliàs numquam induceretur cicatrix. Similiter quando jam vulnus carne repletum eſt, ceſſat illa tegumenti neceſſitas, & proptereà ſi ratione ſuperfluæ humiditatis, quo inducatur cicatrix, neceſſaria fuerit exſiccatio vulneris, & appoſitio medicamenti, quod cicatricis inductionem adjuvet, ſiccando videlicet, & adſtringendo carnem, profectò tunc magis poteſt humida, & laxa caro ad indicandam ſolutionem, quàm naturalis calor tegumentum: hic enim quia, quæ majoris ſunt momenti, perfecit, non multum indiget tegumento; at ſi perfectè ſanandum ſit vulnus, & cicatrice obducendum, propter humectam, & laxam carnem, ſolvere vulnus oportet. Prioris ſortis ſunt ea, quæ corruptionem, & internecionem naturalis caloris minantur, inflammationem, proſtrationem virium, & hujuſmodi.

di. Sanguinis igitur fluxus maximam habet vim ad indicandam solutionem, nisi enim supprimatur, virtutem prosternit; ut vero supprimatur, applicanda sunt medicamenta, quæ sanguinem sistunt, osculo ipsius vasis, aut ligandum vas ipsum, aut ignito ferro, aut medicamento eschara inducenda, quæ osculum vasis occludat, aut vulnus suendum, aut denique aliquid agendum, quod manuum operam requirit, & ideo solvendum, & detegendum est vulnus, ut vulneri admoveri manus possint. *Sanguinis profluvium solutionem exigit.* Gangræna quoque & sphacelus ad solutionem cogunt, nam minantur interitum non partis tantùm, sed totius, & eorum ratione scarificare oportet, & quandoque etiam inurere, & portiones carnis ossiumque abscindere, immò integram partem, aut magnam ejus portionem non raro præsecare, & congrua medicamenta apponere. *Corruptio partis.* Ingens putredo, & sordities, quæ sæpius accidunt propter magnam cacochymiam, & pravam aëris constitutionem, ac ejus inquinamentum solutionem postulant, suffocationem quippe, & corruptionem naturalis caloris, & partis minantur; itaque manualis detersio est necessaria, & quæ per fortiter abstergentia perficitur, & congruis etiam medicamentis inhibenda est putredo, propterea solvendum est vulnus, ut ei manus admoveantur, congruaque medicamenta applicentur, ac etiam ut pravis vaporibus, quos à putrida illa materia elevari est necesse, detur liber exitus. Ob id forsan vulnera à Pareo relata quotidianam solutionem expostulabant, & si qua die prætermissa fuisset solutio, & medicamentorum applicatio, oriebantur in ipsis vermes. *Ingens putredo, & sordities.* Purulentæ materiæ suppressio, nisi supprimatur à suprapositis linteis, quia nimis comprimant, quo in casu satis est deligationem laxiorem reddere, compressionemque tollere, ac lintea forcipe usque ad vulnus incidere, una vel altera parte, dein exteriora suere, ut per incisionem fluere possit materia, seu potiùs erratum in paranda subfluxione commissum, cujus causa materia non habet exitum: ad idem nos cogit, ut idoneum effluxum paremus, & purulentam materiam suppressam evacuemus: & ideo, quando suspicamur materiam retineri propter suffluxionis vitium, quia videlicet prorsus non est nobis exploratum; convenientem effluxum nos præparasse cogimur ad solutionem, ut si quid delictum sit com- *Excrementorum suppressio. Erratum in paranda subfluxione.*

 missum,

Subfluxio prætermissa, seu imperfecta. missum, totum corrigatur. Immo quando à principio vulneris curam suscipimus, quandoque cogimur bis, & ter vulnus solvere, ac detegere, ut subfluxionem, quam primo, vel secundo apparatu non licet, moliamur. Rarum autem est, ut quarta solutio sit necessaria, & has solutiones bis in die facimus, ut quamprimùm fieri possit, exitus materiæ præparetur, ne importunè postea nos ad solutionem cogat. Et quò paucioribus detectionibus id præstiterimus, eo minorem futuram perfrigerationem, & ita minus damni sequuturum non est dubitandum. *Inflammatio partis.* Inflammatio partis, cui non licet nisi per vulneris osculum subvenire, quando pars ex præstantioribus fuerit, solutionem postulat. *Retentum peregrinum corpus.* Retentum corpusculum, quod primis diebus extrahi non potuit, & sine manuali operatione, aut medicamentorum ope extrahi non potest, quoniam expectandum non est, ut unà cum pure à natura propellatur, ut, quæ necessaria sunt, agamus, solutionem requirit. Idem dicendum est de osse à natura separato, non tamen extra pulso, ob idque pungente carnosas partes, vel osculum vulneris occludente. *Abscessus.* Abscessus superveniens, quando natura per se nequeat purulentam materiam expellere, eo quod non adsit patens ad exitum via, manuum admotionem poscit, & solutionem. *Dolor vehemens.* Dolor vehemens ad idem cogit, ut anodyna apponantur. Evenit tamen, interdum magnum adesse dolorem, eo quia vulnus fuerit diutiùs injuriis ambientis expositum, qui tamen ope tegumenti brevi restinguitur. *Imbecillitas caloris Pruritus.* Tanta quoque caloris imbecillitas, ut ad expulsionem excrementorum sit impotens, detectionem suadet, ut aliter auferantur excrementa.

Sed fortasse quispiam absurdum judicabit, & minimè principiis nostris jam constitutis consentiens, indicari à caloris imbecillitate solutionem, cùm inventum sit tegumentum, veluti superiùs dicebamus, ut eo robur accipiat naturalis calor, quandoquidem fovet, & auget ipsum; aut ergo falsum est quòd ope tegumenti roboretur calor naturalis; aut si hoc est verum, quò imbecillior fuerit calor, eò magis tegumento erit utendum; atque ita ob caloris imbecillitatem non erit ad solutionem deveniendum.

At si rectè perpendantur, quæ superiùs dicta sunt, nulla suberit difficultas, nec illa invicem pugnare comperientur; Diximus enim

enim imbecillitatem illam quæ proportione respondet vulneri, seu quæ secundùm rationem vulneris accedit, tegumento tolli; at si alia accidentalis imbecillitas effatu digna accedat, hæc solutionem exposcit, non quidem qua imbecillitas est, hac enim ratione melius tegumento curatur, sed qua excrementorum ferax, eorum enim magnam copiam generat, & ad eorum propulsationem est impotens; quare tegumentum talis imbecillitatis non est sufficiens remedium. Hoc apertè conspicimus in valdè imbecillibus, & cacochymis, atque iis, qui diù pravo vivendi modo sunt usi, in quibus languens calor, si vulnus accidat, requirit ut excrementa, quibus opprimeretur, detergantur, & aliquid apponatur, quod qualitatem ejus vegetam reddat.

Erosio, & ingens pruritus, qui à molli vulnerati natura perferri nequeat, ad detectionem cogit, vel saltem ad solutionem, & detractionem linteorum pure madentium, & circumsitarum partium absterlionem. Namque illi sæpè licet consulere, etiamsi ipsum vulneris osculum non detegatur. Si tamen magna esset tegumenti necessitas, & vulneratus posset molestiam ex pruritu contingentem perpeti, spernendus esset pruritus, quia revera ex pruritu nihil gravis consuevit accidere. Cumque pruritui aliquid concedimus, id potiùs in ægrotantis gratiam facimus. Pruritus conditionem subit fœtor ex multitudine purulentæ materiæ extra vulnus pulsæ, ac retentæ, & conclusæ proveniens, non solùm enim molestus est vulnerato fœtor, verùm etiam interdum vermes generantur, qui subjectam carnem depascunt: In manibus tamen oculati Medici rarò colligetur sub linteis ea purulentæ materiæ copia, sed extra paulatim profluet. Ossa fracta, quæ probè non sunt coaptata, solutionem volunt, ut rectè componantur. Quo circa si qua oboriatur suspicio, ne sint pravè composita, solvendus est vulneratus, aliter actio membri periclitatur. Hac pariter de causa, & Hip. lib. de frac. sec. 1. tex. 43. in fracturis ossium solvendum esse statuit. Hæc, & hujusmodi vulneribus accidentia solutionem requirunt.

Fœtor.

Ossa à sede sua emota.

Ex quibus patet, quando vulnus solvimus, ac detegimus, hoc esse propter alicujus affectus complicationem: totiesque solvere vulnus oportebit, quoties aliquid ex prædictis urgebit. Patet.

Tempus primæ solutionis in cavis.

tet insuper tempus primæ solutionis in vulneribus cavis, quibus nihil ex supradictis accidit, esse, quando vulnus carne repletum est, & cicatrice obduci postulat, si conjectemur humectam esse carnem, cui obducenda est cicatrix, ut ob id epulotico medicamento indigeat. Hoc dico, quoniam observatur non raro, cava vulnera prima medicamenti impositione carne repleri, atque etiam cicatrice obduci, cum scilicet sunt hujusmodi, vel ob vulneris qualitatem, vel ægrotantis naturam, ut pauca excrementa in ipsis generentur. Quia tamen transacto inflammationis periculo, non est tanta tegumenti necessitas, si quis vellet eo tempore in ægrotantis, vel assistentium gratiam, vel quoniam non esset in hoc curandi modo admodum versatus, semel, aut bis vulnus solvere, ac abstergere, novumque tegumentum apponere (ad hoc potissimùm inducimur propter pruritum, & fœtorem in vulneribus, quæ tardiùs carne replentur, veluti sunt ea, quæ complicata sunt cum ossis fractura, & os est abscessurum) nihil inde mali timerem, præsertim si dum vulnus tractat, diligenter ab injuriis ambientis ipsum protegeret. Hoc solutionis tempus timidis magis placebit, illud cordati magis deligent. At si vulnus fuerit simplex, modò nihil mali accesserit, non est auferendum tegumentum ante perfectam agglutinationem.

CAPUT XXXIX.

Quomodo cognoscamus vulneris statum, dum linteis tegitur.

NOn deerunt fortasse, qui repugnantia, & quæ obtineri nequeant, præcipere nos suspicentur: Siquidem solutionis necessitatem ex iis, quæ vulneribus accidunt, & ex certo quodam vulneris statu, oriri statuimus, sed altera ex parte volumus, ut vulnus linteis coopertum asservetur. Hæc profectò videntur implicare. Quomodo vulneris statum cognovero, si sub conspectum meum non cadit? Et si vulneris statum non agnoscam, quomodo solutionis necessitatem perspectam habuero? Divinare igitur oportebit, quando vulneri aliquid adnectitur, quod solutionem postulet. In cavis pariter vulneribus primæ solutionis tempus ut plurimum esse

esse diximus, quando vulnus carne repletum est, at si vulnus inspicere non datur, quomodo exploratum nobis erit, quando jam carne repletum est.

Hæc tanti sunt momenti apud aliquos, ut vanum omninò, & absurdum censeant, alium invehere curandi modum ab eo, quo vulnera qualibet die non semel tantùm, sed & bis solvuntur, ac tractantur, utpotè quo solo exactè vulneris status innotescat, dum qualitas, quantitasque excrementorum, vulneris color, & hujusmodi oculis conspiciuntur. Quibus tamen persuasum est, in latentibus sedibus contingentes affectus à perito Medico intellectus oculis deprehendi, & cum ratione curari, non ita difficilè indicabunt vulneris tecti statum cognoscere: nam quæ mala superveniunt, aut symptomata sunt, quæ per se manifesta esse nemo ignorat, aut sine symptomatis non accidunt, à quibus produntur. Dolor, pruritus, erosio, & fœtor latere non possunt, neque sanguinis fluxus. *Ut cognoscatur vulneris status.*

Abscessus ex præcedenti inflammatione, quam tumor, dolor, calor, & febris patefacit, cognoscitur, quando non fuerit resoluta inflammatio, sed suppurata: suppurare verò inflammationem significant perseverans tumor cum dolore, ac pulsu: dein pure confecto solent copiosa excrementa è vulnere profluere, febrisque remittit, quæ sæpè horrifica est, dum pus conficitur; sed & inflammationem quæ suppuravit tactu dignoscimus lintea forcipe incidentes ea in parte, in qua magis viguit inflammatio, non solùm enim partem inspicere dabitur, verùm etiam tangere, & inundantem materiam tactu percipere. Semper autem tumore in parte perseverante, & majore puris copia prodeunte, quàm natura vulneris requirat, ac febre præter naturam vulneris persistente, suppuratam inflammationem suspicari oportet. *Signa abcessus.*

Puris suppressionem ex gravitate, dolore, tensione, ac febre colligimus, & sæpè ob id pars inflammatur, nec justa puris quantitas extra vulnus propellitur. Ad hujus quoque, sicuti & ad inflammationis cognitionem faciunt symptomata propria partis, in qua pus retinetur, vel ei consentientis, veluti in detectione membranæ cerebrum ambientis, ac in ejusdem, & cerebri vulneribus delirium, & in nervosarum partium vulneribus dolor, & convulsio. *Signa puris suppressi.*

sio. Neque parum conducet recolere, qualemnam effluxum paraverimus, conditionemque partis excutere.

Signa putredinis, & corruptionis.

Innotescit putredo, atque corruptio ex natura corporis, & partis affectæ, cœli statu, præcedenti victus ratione, vulneris qualitate, substantia, quantitate, colore, ac fœtore eorum excrementorum, quæ extra vulnus effluunt, non enim pus bonum conspicitur, sed virulentia, & mala sors puris, & omninò fœtet pars vulnerata, & febris malè habet vulneratum, Gangræna, & sphacelus ex deficiente partis sensu fit conspicuus. Et si, cum priùs ingens adesset dolor, posteà derepente sine manifesta causa obscuretur, de hujusmodi malis affectibus suspicari oportet, potissimum si accesserint alia, quæ sequi eosdem consuevere, ut si à vulnere qua virulentia pravi caloris, atque fœtens loco boni puris emanet, & pars vulnerata fæteat, & febris malè morata, cujus nulla est manifesta causa, soliciter. Sæpè etiam cordis morsus, & animi deliquia, singultus, deliriaque accidunt ob pravos halitus ab affecta parte elevatos. Ut plurimùm tamen vehementes inflammationes sequuntur hi affectus propter naturalis caloris suffocationem: unde si inflammatio vehemens acciderit, & aliquod ex prædictis signis apparuerit, vereri oportet, ne partis internecionem inflammatio attulerit. Aliquando & absque inflammatione contingunt propter naturalis caloris penuriam, & imbecillitatem, ut fieri solet in corporibus valdè cacochymis, & qui diutiùs prava victus ratione usi fuere, in his enim facilè extinguitur, & à pravis succis suffocatur calor, & ideò tunc ad alia signa confugere oportebit. Ferè autem in his à principio fiunt, in aliis potiùs in progressu. Cæterum, quando aliquid tale suspicamur, semper considerandus nobis est adjacentium partium color, & incidenda in aliqua parte lintea ferè usque ad vulnus, ut meliùs animadvertatur color.

Signa mollis, & laxæ carnis.

Carnem, qua vulnus repletum est, humidam, ac laxam esse ex magnitudine vulneris, natura, & statu corporis, & ex copia excrementorum arguere licebit. Retentum peregrinum corpus extrinsecùs adveniens intra vulnus contineri à principio est cognitum.

Signa ossis, quod abscesserit.

Os verò, quod abscesserit ex punctione suborta, ex tempore abscessus ossis, de quo suo loco, & quod primò etiam consi-

considerandum est, ex qualitate fracturæ ipsius ossis, fit manifestum, & quando valdè laborat nativus calor, aut malum pus apparet, aut pauca, & tenuis quædam sanies, & virulentia. Natura quoque vulnerati, & vulneratæ partis, nec non & vulneris qualitas, erit inspicienda. Denique nihil mali unquam vulneri superveniet, quod peritum, & oculatum Medicum lateat. Et si anceps fueris, quia nondum artem hanc probè sis assequutus, vulnus detege, unica enim detectione cautus existens, parum oberis.

Quando autem à vulnere bonum pus emanat, & pro ratione vulneris, nullusque, aut parvus adest dolor, gravitas, ac tensio nulla aut pauca, & proximæ partes molles sunt, & boni coloris, neque vulneratus febricitat, saltem febre, quæ animadversionem requirat, quis non intelliget, rectè se habere, quæ ad vulnus attinent? Non est igitur tam arduum vulneris tecti statum assequi. Qui etiam opera naturæ observare consuevit, haud multo negotio quando vulnus carne repletum est, percipiet. Ego quidem longa experientia didici, quando nihil mali vulneribus superveniat, mediocria vulnera septem circiter dierum spatio carne repleri, leviora unius diei spatio, aut bidui indigere: majora, quæ tamen carnosam tantùm partem attigerint, & contusa non sint, intra decimam quartam repleri; quæ contusionem habent adnexam intra vigesimam, ad quod tempus etiam pervenient maxima vulnera carnosarum partium citra contusionem. Quibus accessit ossis læsio, nisi ossis abscessus sit expectandus, circa vigesimam quartam repleri consueverunt. Quando tamen tota ossis substantia perfracta est, pro magnitudine, qualitateve ossis, modo ad trigesimam, modo ad trigesimam quintam, & quadragesimam protrahetur repletio. At si ossis abscessus sit futurus, repletionis tempus ex ossis recessus tempore conjectare oportebit, non ignorantes, vulnus nunquam perfectè carne repleri, nisi os, quod periit, recedat. De tempore verò recessus alibi pertractabitur.

Signa boni status vulneris.

Quando censendum est vulnus esse carne repletum.

Illud insuper animadvertendum est, multùm differre tempus à tempore, ætatem ab ætate, naturam à natura, & læsionem à læsione. In pueris, & temperatis longè citiùs vulnera replentur

Alia consideranda.

tur carne: vidi contusum vulnus in capite pueri cum ossis introcessione, ut comprimeret, & pungeret duram meningem, decem, & octo dierum spatio perfectè sanatum. Os, quod à telo initium separationis accepit, citiùs recedit, & quo magis à sano osse est separatum eo etiam citius. Vulnus pariter, quod meliorem habet subfluxionem, citius repletur. Hæc fusius in præsagiis fuere pertractata. Sed neque multùm refert, si quandoque vulnus detexeris nondum prorsus repletum carne; satis erit, si ferè sit repletum; ne existimes, me solutionis terminum in indivisibili, & puncto statuere. Immò & si non statim, ac repletum est, solvas, verum ulteriùs dissolutionem differas, non erit error consideratione dignus. Neminem latet, ultimum instans, quo vulnus carne repletum est, comprehendi non posse.

CAPUT XL.

Colligitur præstantia novi modi, eumque communi præponendum esse, ostenditur.

EX his, quæ hactenus tractata sunt, liquido constat, quid nova hæc methodus, quæ tegumentum probat, à communi, quæ crebram vult solutionem, differat, & huic multis numeris illam esse præferendam. Hoc tamen summatim colligamus. Constitutum est, quod vulnera curat, naturam esse, non Medicum, aut medicamenta; namque si pus movere oporteat, hoc à natura perficitur, si caro sit generanda, & callo ossa fracta firmanda, hæc ejus sunt opera, si agglutinandum, id ea præstat, si excrementa expellenda, hoc est ejus munus, & propterea methodus curandorum vulnerum, quemadmodum superiùs dicebamus, huc spectare debet, ut natura probè munia sua exerceat, & ita cum Medicus sit tantummodò minister illius, erunt partes, ut naturæ languetis robur adaugeat, & quæ ipsam offendere, aut impedire possunt, avertat, ac removeat. Quare in hoc sita est artis perfectio, ut optimè, seu quàm meliùs fieri possit, egenti naturæ succurratur, & qui curandi modus fœliciùs hoc præstat, proculdubio potior est judicandus. Videamus itaque, an modo

In quo consistat perfectio artis curativæ vulnerum.

nostro,

nostro, an communi illo perfectiùs hoc assequamur, & utriusque præstantiam habebimus.

Illum medendi modum meliùs adjuvare naturam censendum est, qui ipsam robustiorem reddit, & à pluribus, quæ illi officere, & impedimento esse possunt, securiorem; at modus curandi, qui tegumento innititur, naturam robustiorem efficit, & à pluribus, quæ illi officere, & impedimento esse possunt, securiorem, quam is faciat, qui crebram solutionem requirit; igitur & naturam meliùs adjuvat, & perfectiùs illi succurrit, & ex consequenti perfectior est, & alteri præponendus. Minor ex antea traditis est manifesta; nam in communi modo quotidie solvuntur vulnera, deterguntur, eisdemque medicamenta linamentis, seu penicillis excepta imponuntur: unde necesse est, dum vulnus crebrò denudatur, & ambienti exponitur, calorem naturalem vulneratæ partis non leviter offendi, tum quia ob naturalis tegumenti defectum ejus substantia dissipatur, tum etiam, quia propter ambientis qualitatem illius symmetria pervertitur, cum semper ambiens sit latentibus nostri corporis partibus, & naturali nostro calore frigidior. Quod igitur ad hanc partem, communi modo natura potiùs offenditur, quam roboretur: & hinc fiet, ut minùs prosperè, quod suum est, peragat, & copiosiora excrementa impedimento ipsi naturæ futura, generentur. Præterea ex naturalis caloris offensione pars imbecillior facta, periculo etiam fluxionis est magis obnoxia. Ex solutione postea vulneris, tractatione, ac motu partis, nec non & ex detersione, penicillorumque, aut linamentorum impositione, quæ insuper non rarò materiam supprimunt, & pressu quandoque, dum ad pus eliciendum partes circumpositas premunt, & nova deligatione, semper aliquis dolor, & interdum etiam vehemens infertur, non levis profectò est fluxionis occasio. Amplius quoties vulnus solvitur, ac detegitur, toties interturbatur, & à proprio munere distrahitur natura. Id genus incommoda à tali curandi ratione proveniunt; utilitates verò majoris momenti duæ sunt, una est recentis medicamenti, quod naturam modò ad pus movendum, modò ad generandam carnem adjuvet, quotidiana applicatio; altera est crebra vulneris ab omnibus excrementis abstersio. At modus noster, dum tegumento vulnus fovet, caloris

Defectus communis modi.

Perfectio nostri modi.

caloris quoque naturalis dissolutionem prohibet, & ab actione ambientis partes, quæ nunquam antea ipsum fuerunt expertæ, defendit, unde est, ut ab hac curandi ratione non solùm non offendatur naturalis calor, verùm potiùs vegetior, ac robustior fiat, & ex consequenti ad propria munia magis potens, ut ad robustiorem reddendam ipsam naturam videatur inventus hic modus. Præterea ob robur nativi caloris pauciora excrementa generantur, & pars robustior effecta non ita promptè fluxiones admittit, & quia pars non tractatur, multæ præcaventur doloris, & fluxionis causæ; Neque enim crebra solutio, & religatio, motioque partis, detersio, ac linamentorum turundarumque impositio dolorem promovent, quapropter, & hac curandi via fit natura securior à pluribus, quæ ipsam læderent, & in suis operibus interpellarent. Neque à crebra solutione interturbatur natura, aut à proprio munere distrahitur: Ut necessarium sit concludere novo hoc modo longè meliùs naturæ succurri. Nec illud obstat, quod vulnera quotidiana detersione careant; jam enim ostensum est, non esse necessariam quotidianam illam absterfionem, quæ fit manuali operatione, seu per medicamenta detergentia verùm ex accidenti tantùm requiri, ob defectum videlicet caloris naturalis, & intemperiem vulneratæ partis. Quod etiam medicamenta quotidie non imponantur, negligendum est, alias enim vidimus naturam perficere, quod à medicamentis expectari solet, majusque damnum ex quotidiana medicamentorum impositione proficisci, quàm utilitatem. Sed præterea neque omninò medicamentorum ope destituuntur vulnera nostro modo curata, satis tamen est rara ipsorum appositio.

Præponenda est nová methodus.

Communi ergo curandi via methodum nostram potiorem esse, ac præstantiorem, non est dubitandum, & proindè primas mereri partes nemo ambiget, posteaquam longè meliùs egenti naturæ consulit, & impedimentorum habet rationem. Ut inferre liceat, verissimum esse, quod a Gal. 6. Meth. 2. dicebatur, videlicet methodum non solùm meliora medicamenta, quam priùs, verùm etiam universum curationis modum invenire posse. Ad certiorem tamen fidem testimonium addamus ab eventu desumptum, ut enim dicebat Hip. lib. de decenti ornatu: Quicquid artificiosè dictum est, non autem factum, methodi inartificialis de-

demonſtrativum exiſtit, nam putare, & non facere, ignorantiæ, & inartificialitatis ſignum eſt. Et Gal. 5. de ſan. tu. cap. XI. & alibi pluries fidem ejus, quod ratione inventum eſt, experientia comprobat: qua de cauſa 6. Meth. 2, aſſerebat, præcedere debere, quæ à vera methodo proficiſcitur, remediorum inventionem, huic verò experientiam ad certiorem etiam fidem ſubſcribere.

Si ergo ab effectu velimus utriuſque modi præſtantiam dijudicare, facilè apparebit noſtri modi ſuper alterum excellentia: experientia ſiquidem oſtendit, noſtro hoc modo faciliùs, citiùſque, ac totiùs, & minori cum laborantis incommodo vulnera curari, quam communi illo; Quando enim contuſa capitis vulnera cum oſſis introceſſione viginti dierum ſpatio modo illo communi ſanabuntur, veluti noſtro modo ſanata ſunt? Quando eodem temporis ſpatio, & minori, vulnus capitis cum membranarum ſectione modo illo communi carne replebitur? id tamen præſtat ſæpe noſter modus. Vulnus pila plumbea fulmine bellico exploſa capiti inflictum, ſic ut ad penitiores anteriores cerebri partes globulus pervenerit, nec inveniri, & educi potuerit, triginta diebus duabus, aut tribus ſolutionibus integrè ſanatum eſt: num communis modus hoc poſſit, ejus fautores aperiant. Capitis vulnera ſint vulnerum in aliis corporis partibus exiſtentium norma, ut quæ magis negotii, quam reliqua curantibus afferant. Et quidem quanta facilitate, ac celeritate externarum partium vulnera hoc modo ſanentur, dici nunquam poſſet. *Ab effectu colligitur præſtantia noſtri modi.*

Ad facilitatem verò, & celeritaem curationis non parum facit, quod ſub hoc curationis modo communis reſpectum pauca admodum generantur excrementa, ut nec vigeſima pars puris excernatur, quæ ſub communi curatione obſervatur, unde natura leviora habet impedimenta, & quòd non abſcedit os, quod aliàs ſolet abſcedere (experientia hoc aſſequeris) cum enim nonniſi longo temporis ſpatio os recedat, curatio evadat longa, neceſſe eſt, ubi ſine oſſis receſſu ſanitas advenire non poteſt. Et hæc res eſt maximi momenti ſi inſpicias. Quòd ſi omninò ſanari non poſſit vulnus abſque oſſis abſceſſu, longè citiùs comperies os abſcedere noſtro hoc modo, quam communi, & ſæpiùs in minori

longè quantitate. Si faciliùs, ac citiùs curantur vulnera hoc modo, quod etiam tutius absque dubio inferendum est; cum enim natura sit, quæ vulnera sanat, ubi citiùs advenit sanitas, inditio est, adversus impedimenta prævalere magis naturam: at quò magis natura prævalet, eò tutiùs fieri curationem, nemo, arbitror, inficiabitur.

Sed illius securitatem nihil magis ostendit, quam observatio modi, quo sub ea curatione inducitur sanitas. Observabis vulnera, quæ aliàs negotia non parva Medico, ægro verò non leves molestias inferrent, nostro modo curata fœlicissimè ad sanitatem pervenire, rarissimè verò symptoma effatu dignum, modò non erres, consequi videbis: nec pauca vulnera sanabis, quæ sub alia curatione hominem tollerent. Quid pulchrius excogitari potest, quam hominem cernere perfectè sanum, quo tempore, aliter instituta curatione, adhuc in discrimine versaretur ejus salus? Vulnera capitis vigesima quarta die sanata conspicies, quæ communi modo curata usque ad quadragesimam diem Medici animum solicitant, & dubiam spem exhibent salutis. Tantùm abest postea, ut aliquid in commodum vulnerato afferat hæc curatio, ut potiùs eidem sit maximè grata, utpotè qui horret semper, dum accedit Medicus ad solutionem vulneris, importunamque illam detersionem, & medicamentorum impositionem, & ab opere ipso non leviter discruciatur. Liberatur ergo per hunc nostrum modum vulneratus, & ab animi angore, atque corporis molestia. Omitto, quod expensæ sunt multò leviores. Quare si optimæ curandi rationes, quemadmodum dicebat Gal. 14. Meth. 13. tripliciter judicantur, videlicet ex temporis curandi brevitate, tum ex maximè tutè curando, tum ex curando citra dolorem, qua ratione communiter dici solet, citò, tutò, & jucundè, cum hæc tria magis reperiantur in hoc nostro curandi modo, quam in communi, & ei præferendum esse, nemo ambiget. Et ratio igitur, & experientia nostro modo primas dant partes.

Colligitur præstantia novi modi.

Verùm illud mihi videtur maximum præstantiæ argumentum, quod sub eo multo pauciora excrementa generantur, quam sub communi. Absurda namque est quorundam opinio de vulnerum expurgatione, nisi enim multam puris copiam observent, dicunt, vulnus

De vulneris expurgatione.

vulnus non esse expurgatum, & propterea in hoc improbant nostrum modum, quod non satis expurgentur vulnera, videntes, minorem longè puris copiam à vulneribus effluere, quam dum quotidie solvuntur: Absurda, inquam, & irrisione digna est hæc opinio, & qui sic sentiunt, declarant, se non intelligere, quid sit vulneris expurgatio. Tunc vulnus censendum est expurgatum, quando excernuntur excrementa, quæ necessario suboriuntur tum in alimenti transmutatione ob naturalis caloris imbecillitatem, tum ex residuo alimenti, sive sit bonus sanguis, sive pravis succis permixtus, quod assumi pro nutritione ob nimiam ejus quantitatem, vel malam qualitatem, aut ob caloris imbecillitatem non potuit. Et omninò quæ ratione vulneris ex iis, quæ præter naturam in parte continentur apta ad talium excrementorum generationem, proveniunt. Neque ut isti censent, totius excrementa debent per vulnus expurgari, quam ob causam opportunam vulneris repletionem turundis, ac linamentis violenter prohibentes, in longius tempus curationem protrahunt; dicunt enim prius expurgandum esse vulnus, quod non nisi longiori tempore fieri potest: quæ tamen expurgatio, si consideretur, est loculi, ut dicebat vir præstantissimus, non vulneris. Si nullum non movemus lapidem, ut à parte vulnerata avertatur fluxio, & salubris conservetur partis substantia, cur amandum erit, ut corpus totum per vulnus expurgetur? Erit ergo perfectionis signum paucorum excrementorum generatio, quoniam significat minùs inutilis materiæ ad partem vulneratam confluere, & quæ in ipsa reperitur, magis elaborari à naturali calore, & omninò longè majus esse robur naturalis caloris in parte, ob idque ad propria munia obeunda magis posse. Non minorem arguit excellentiam, os non abscedere, quod in aliter curatis vulneribus abscederet, vel in minori quantitate, ac citiùs, evidentissimum signum roboris naturalis caloris, & absolutæ curationis, ut quæ magnificè prodest, nullum detrimentum inferens.

Asseremus ne igitur, modum hunc novum esse omnibus numeris absolutum? Nequaquam, meo quidem judicio, nihil reperitur in hoc nostro orbe, cui nihil desit. Eo minus autem id concederem, quòd cum sæpiùs mecummet, quid in ipso esset boni, quidve mali cogitarem, duos maximi momenti defectus animad- *Quæ objici possunt nostro modo.*

animadverti, quos ut veritatis amator non poſſum, poſteaquam ſeſe occaſio obtulit, ſilentio involvere: & adhuc libentius ipſos detegam, quod eosdem obſervarunt adverſarii, ſed modeſtiæ gratia, quæ ipſorum eſt humanitas, quid tale modo noſtro noluerunt opponere. Et quia ambo hi defectus in maximum damnum curantis Medici vertuntur, propterea etiam magis ſunt conſideratione digni. Primus defectus eſt, quod nimis citò ſanantur vulnera, quæ hoc modo curantur; alter eſt, quod nimis facilè, & parvo, ut apparet, Medici labore, vulneratique moleſtia. Quàm hæc obſint Medicis, non eſt, quod explicem. Longa curatio, & cum multo labore inſtituta multam pecuniam reportat. Si vulnus brevi ſanatur, dies recipiendæ mercedis ſunt pauci. Dum ita facilè ſanitas inducitur, & absque Medici labore, vulneratique moleſtia, nihil magni videtur Medicus præſtitiſſe, etiamſi ſit ex graviſſimis, & qui à principio graviſſimum judicaverant, videntes curationis facilitatem, perperam ſe judicaſſe exiſtimant; quare & hac ratione, & quod parum pro vulnerati ſalute laborare videtur, pauca mercede dignus habitus, paucam pecuniam recipit. Sic in noſtro modo quæſtus eſt longè minor, quam in communi, in quo curatio longiùs producitur, & quotidiana ſolutione, ac deterſione, & novi medicamenti applicatione nulli labori pro vulnerati ſalute parcere videtur Medicus, & ſemper quid magnum præſtare, etiamſi ex levioribus ſit vulnus; eoque magis, cùm ſæpè difficilia, & anguſta loca pertranſire vulneratum oporteat, quibus de cauſis majori mercede dignus judicatur. Hujus rei oculatus ſum teſtis, qui ex curatione graviſſimorum vulnerum ſæpè longè minus pecuniæ recepi, quàm alii, qui communem modum ſequebantur, ex iis, quæ parvi erant momenti, nec alia ratione, niſi quia brevi ſanabantur, & cum parvo, ut videbatur, labore meo, ac ſtudio, parvaque ipſius vulnerati moleſtia. Idem ab aliis audivi. Quid in hac re dicam, ferè non habeo, hominum ſtupiditatem miror, qui ex multo labore, quem artifex ad opus perficiendum adhibet, ejusdem peritiam in rebus artis, meritaque metiuntur. Quia ergo Petrus multo labore, atque ſudore aliquod opus confecit, habendus eſt Paulo peritior, ac dignior, qui ſine ullo incommodo, nulla vi adhi-

Ex labore artificis non eſt judicanda ipſius peritia.

adhibita, ſed mira facilitate idem opus complet? Mihi quidem videtur potius contrarium eſſe ſtatuendum, dato enim eodem opere, ſi quiſpiam illud facilè, & absque labore perficiat, alter vero in eo abſolvendo vehementer inſudet priorem tanquam peritiorem alteri eſſe anteponendum, non video, quomodo quis poſſit in dubium revocare. Imperitiam labor compenſat. Scientia eſt, quæ opus facilè reddit, ignorantia verò difficile: hinc videmus imperitos artifices ſæpè in parvis magis laborare, quàm peritos in maximis. Si ergo idem vulnus nos facile, & quaſi negligendo curamus, quod alii difficillimè, multoque adhibito labore, ſtudium noſtrum profectò, atque ingenium magis, quàm aliorum probandum erit, poſteaquam id ea ſola ratione poteſt contingere, quod rem vulnerum magis cognoſcamus, quam alii. Hoc quidem plebem latebit, ac indoctos, verùm ſapientes, & qui majus bonum ab eo, quod eſt minus bonum diſtinguere noverunt, nequaquam. Et ideò ſapientiores ſemper audivi modum noſtrum miris laudibus extollentes. Et hoc Medico ſatis eſſe deberet, qui magis gloriæ, quam pecuniæ eſt cupidus. Illa eſt excelſa laus, quæ à viro laudato provenit.

Cæterum non ea nunc ſunt tempora, in quibus habeat Medicina, quæ recenſet Hipp. lib. de decenti ornatu, nam omnia, dicebat, quæ ad ſapientiam, inſunt in Medicina, argenti contemptus, reverentia, verecundia, habitus ſubmiſſus, auctoritas, judicium, quies, obviam itio, munditia, doctrina, cognitio ad vitam utilium, ac neceſſariarum purificationum, alienitas à mercimoniis, alienitas à ſuperſtitione, præeminentia divina. Habent enim quæcunque habent ad coercendam intemperantiam, inſcitiam, avaritiam, concupiſcentiam, rapinaſque, ac impudentiam: non, inquam, modo ea ſunt tempora: ad omnia cogit auri ſacra fames. Non ad honorem, & exiſtimationem comparandam, ſed ad quæſtum eſt Medicina: & à præceptis Medicinæ diſcedere quæſtus gratia in medicina facienda non erubeſcunt. Et quid mirum, ſi & non pauci lenociniis, atque aſſentationibus, ut potentium gratia uti ad quæſtum poſſint, ſacram Medicinam fœdare, & ſibi ipſis æternas infamiæ notas inurere nihili faciunt. Si ergo plerique propter avaritiam adeò congerendæ pecuniæ ſtu-

dent, ut propriæ existimationis obliviscantur, quam de nostro curandi modo opinionem concipere poterunt, qui minus lucrosus ab ipsis creditur, quàm is, cui jampridem sunt addicti? Utique paucis ipsum extollent laudibus. Quamvis si interiùs rem considerarent, non minùs lucrosum deprehenderent hunc modum, quam alium quemvis. Demus enim, quod ex una curatione pauciores coronati reportentur, quando tamen elegans Medicus excellentiam modi operibus egregiis notam fecerit, multa necessariò ad ejus existimationem fiet accessio, ejusque nomen fama circumferet: hinc accidet, ut ad plures ægrotos advocetur, neque ad vulneratos tantùm, verum & aliis morbis afflictos, posteaquam mos est ferè omnium, ut, quos in aliqua re peculiari excellere cognoscunt, in reliquis etiam, quæ ad rem illam quoquo pacto pertinent, tales judicant. Deindè non semper nobis est res cum gregariis militibus, & infimæ sortis hominibus, atque ignaris, sed non raró cum iis, qui res intelligunt, aurumque ab auricalcho discernere noverunt, ac debitam mercedem liberaliter persolvunt.

Itaque hortor vos, ô tyrones, (illis enim, qui in aliis hæresibus consenuerunt, & nolunt quidpiam esse aliis notum, quod ipsi non cognoverint, ideoque diligunt potiùs malè sentire, & in erroribus, & usque ad ultimum diem persistere, quàm à vetere instituto ne latum unguem recedere, ne tempus conteram, non loquor) ut omne studium adhibeatis, quo vobis perspecta reddatur hæc curandi via, à levioribus, & facilioribus inchoando, atque ab his sensim ad graviora, & difficiliora progrediendo, donec opera naturæ probè teneatis. Ad hoc enim si perveneritis, dubio procul comperietis, vos usque ad id temporis in tenebris fuisse versatos, tuncque primum vobis patefactas esse curationis vulnerum januas. Nec minorem fructum experiemini, verùm multò majorem, quam ex quovis alio curandi modo. In quo unus deficiet, plures abundabunt. Seplasiarii forsan erunt vobis infensi, ut qui sub tali modo non multum lucrentur. Probi non ægrè ferent, mali sunt spernendi. Prudentia denique omnia moderatur.

Nolim tamen oblivioni à vobis tradi, & contemni communem

nem modum; ne forsan existimetis dum illum extollo, hunc me damnare penitus; ejus enim cognitio perquam necessaria est & in nostro modo propter ea quæ vulneribus accidunt solutionem postulantia medicamentorum operam; cum enim in cura appellata sumus, ad communem modum confugimus, donec cedat qui accessit affectus solutionem postulans; In quo tamen modus quidam tenendus est, non enim semper bis in die vulnus solvere utile est, sed sæpius semel solvisse satis est; & multoties etiam si tertia quaque die solverimus, abundè sufficiet. Si quis hac ratione communi modo palmam dare vellet, quòd ipse cuilibet vulneri aptari potest, nec altero indigeat; cum noster sine communi consistere nequeat, hoc est, cum necessarium sit interdum ad crebram solutionem devenire, non refragarer; scio enim ab Arist. in Rhetor. illud melius dici, quo aliud indiget, cum ipsum eo non egeat; dummodo consideret longè fæliciùs sanari vulnera, quibus modus noster adhiberi potest. Cum autem non raro accidat vulneri quod ad crebriorem solutionem nos cogit, perfectum curatorem vulnerum eum appellabimus qui utrumque tenens modum curandi, utroque cum oportuerit uti noverit. Nisi velimus dicere unam tantum esse curatricem vulnerum methodum, quæ interdum raro solvit vulnus, quando videlicet non est complicatus affectus qui solutionem desideret; interdum crebriùs ob complicatum affectum; sicut una est methodus universalis curatrix morborum, quæ interdum jubet ut primò tollamus causam, deindè morbum; & symptoma contemnamus; interdum verò præcipit ut primo occurramus morbo, vel symptomati, quia hæc urgeant, vel rationem habeant causæ sine qua non.

CAPUT XLI.

Ut reddatur manifestum, quid in hac re senserint Hipp. & Gal. adducuntur loca, ex quibus nonnulli colligunt, hoc modo utrumque vulnera curasse.

QUi olim Romæ hanc curandi viam invenere, ut eidem quoque in eo principio auctoritatem quandam compararent,

non seipsos auctores fecerunt, sed primum artis Medicæ parentem Hippocratem, qui nunquam aliter vulnera curaverit, & ab eo se talem modum didicisse palam profitebantur. Unde & Hip. modum appellabant. Ut vero huic invento major fides adhiberetur, multa collegerunt loca, ex quibus videtur elici posse, non aliam fuisse Hip. sententiam. Galenum quoque modum hunc novisse, atque comprobasse, nonnulli ex multis ejus locis ostendere conati sunt. Propterea expendere constitui, num re vera talis modus alicui ex antiquioribus fuerit cognitus, præcipuè verò Hip. & Gal. cujus ratione aliquot eorum loca examinare oportebit, quæ afferri ab iis audivi, qui primos inventores sectati sunt, & huic modo favere videntur, & alia insuper non pauca, ex quibus, & quænam fuerit ipsorum sententia, aut quomodo ipsi vulnera curaverint, non erit difficile percipere.

Quod Hipp. fuerit cognitus hic modus.

Quod igitur voluerit Hip. ut tecta serventur vulnera in primis colligunt ex tex. 2. com. 3. lib. 3. de frac. ubi inquit Hip. ossium fracturam cum ulcere, modò ossa fracta non extent, neque talis sit fracturæ modus, ut timendum videatur, ne ab osse aliquod fragmentnm separetur, simplici modo esse curandam, hæc ejus sunt verba: Quibus etiam ulcus quidem accesserit, (de fractis ossibus loquebatur) fracta tamen ossa extra non extant, neque talis est fracturæ modus, ut timendum videatut, ne ab osse aliquod fragmentum separetur, simplex his adhibendus est curandi modus. Ex hoc enim facilè propositum deducunt, siquidem simplex modus is est, quem in principio lib. de frac. tradidit Hipp. conveniens videlicet fracturis sine ulcere existentibus, ut notat Gal. in com. 3. ejusdem lib. ad tex. 2. & ipse Hipp. explicat tex. 8. com. 3. At hoc modo pars fracta rarissimè solvitur, nisi quodpiam superveniens malum ad id cogat, jubet enim Hip. ut quarta tantum die ab ea, qua ossa fracta fuere composita, necnon & septima fiat solutio, ut videre est tex. 39. & 40. com. 1. & inde usque ad vigesimam non solvit partem, nisi quid supervenerit, quod solutionem postulet, ut patet eodem tex. 40. quocirca & ubi ulcus ad fracturam talem accesserit, quarta tantùm die, ac septima, à qua fracta ossa fuere composita, viginti dierum spatio solvenda pars erit, nisi quid aliud molestiam afferat,

& ita

& ita longo tempore ulcus coopertum permanebit.

Et quoniam solutio illa partis fit solummodo propter deligationem, hoc est, ut aptius pars deligetur, veluti manifestè colligitur ex ipso Hipp. eodem libro tex. 39. com. primi, nam verba faciens de solutione facienda quarta die ab ea, qua membrum distentum, ac directum fuit, dicebat: Et si primis illis diebus moderatè devinxisti, hæc tibi deligatio paulo priore magis erit adstringenda, & tex. 40. ejusdem com. in quo de ea solutione loquens, quæ fieri debet die 7. dicebat: Atque si hæc omnia rectè cesserint, mox dirigere, & appositè ad ferulas deligare opus erit. evidentissimum argumentum desumitur, quod ipse voluerit, ulcus tectum manere debere, non enim propter ulcus, sed propter fracturam solvit. Hoc idem confirmant ex tex. 5. com. 3. ubi eos reprehendit, qui in talibus fracturis cum ulcere ulcus sine vinculo relinquunt, ac refrigerari sinunt, dicebat enim? Item & alii sunt, qui statim ab initio ejusmodi fracturas linteis curare aggrediuntur, quibus linteis hinc, & inde deligant, ipsum autem ulcus sine vinculo relinquunt, ac refrigerari sinunt, deinde medicamentum aliquod, quod purgando sit ulceri, imponunt, atque id pannis vino madefactis, & succida lana curant; Pravus sanè est is modus rationique consentaneum est, eos, qui his, vel aliis etiam fracturis in hunc modum medentur, quam maximè à recta via aberrare. & ex tex. 8. in quo maximè damnat hanc perfrigerationem, cum enim mala enumerasset ex tali prava curatione provenientia, quæ tamen ipsi in aliud infortunium referunt, & quomodo eisdem succurrant, explicasset, subjungit: Cum minimè adduci possint, ut credant, deligationem, quæ hinc, atque illinc injicitur, atque ulcus ipsum nudum relictum (nudum non relinquebant semper, nam purgatorium medicamentum adhibebant, & ideò nudum relictum dicere Hippocratem asserunt, quia ipsum tectum non asservabant, sed quotidie ipsum detegebant, ut medicamentum apponerent, & sic refrigerabant, unde & altera lectio habet, non ulcus nudum relictum, sed ulceris perfrigerationem) istorum esse in causa, sed potiùs quodpiam aliud infortunium, & in sui excusationem, qui diffusè nimis hunc modum reprobaverit, cum in aliis brevitati studere consueverit,

 addit;

addit: Non equidem ita in iis ſcribendis multus fuiſſem, niſi planè ſciviſſem, inutilem omnino eſſe hunc deligandi modum (quia ulcus non tegat, dicunt, cum ſupra ipſum non ducatur deligatio, ob idque perfrigerari, & recrudeſcere ulcus ſinat) & multos prætereà reperiri, qui illum in medendo ſequantur, atque admodum opportunum eſſe, ut is dediſcatur; ut tandem concludat oportere, in quibuſcumque nulla oſſium abſceſſio futura expectatur, eandem curationem inſtitui, quæ illis adhiberetur, ſi ſine ullo ulcere eſſent fracta oſſa. Cujus quidem curationis commoda recenſet Hip. tex. 10. his verbis: Et ſi prout ratio requirit omnia agantur, pars, quæ ad ulcus pertinet, ſemper gracilior reperietur: cœteræque omnes, quæ ſub deligatione fuerint, graciliores erunt, atque ad ſuppurationem hæc aliis citius devenient, quæ alia via curantur: nec non & caruncula quæcumque in ulcere denigratæ, aut emortuæ ſunt, ſub hoc curationis modo abrumpuntur citius, & decidunt, quam in aliis. Cicatricem quoque velocius hoc modo tractatum ulcus contrahit, quàm alio.

Et ne quiſpiam exiſtimaret, aut objiceret curationem hanc iis tantum ulceribus convenire, quæ cum oſſis fractura contingunt, adducunt tex. 13. ejusdem com. 3. in quo Hipp. ait: Eodem etiam modo curanda ſunt ulcera, quæ ab initio, quando fractum fuit os, nulla erant, contracta vero fuere vel ex nimia linteorum adſtrictione, vel ex inhærentia ferularum, vel ex quapiam alia occaſione, unde ſubjungebat tex. 14. Sed ſi horum nihil adſit, ulcus verò irritatum, & nigrum valdè, vel impurum, carneſque ſuppurari reperiantur, ac nervi exciſuri videantur, hos nudos nullo pacto relinquere oportet, neque hujusmodi ſuppurationes ſunt pertimeſcendæ, ſed curandæ in reliquis juxta, ac ubi ulcus à principio fracturæ contingit. & tex. 16. hanc curationem multo utiliorem aſſerit ea, qua purgatoria medicamenta ulceri admoventur, dicebat enim: Oportet autem, & id agnoſcere, caro ne an nervus ſit caſurus, ita enim fiet, ut & minùs ſerpat, ac ut citiùs decidat: & erunt partes, quæ circumcirca ſunt, longè graciliores, quàm ſi quis detractis linteis aliquod expurgans medicamentum ſupra ulcus imponat. At verò ubi citiùs

tiùs ſuppurans decidat, citiùs quoque caro gignetur, citiùſque cicatrix inducetur, quàm ſi illo, vel alio modo curetur.

Secundò idem colligunt ex 4. morb. pop. tex. 4. ſic enim loquitur Hip. de quodam capitis vulnere: Circa Plejadum occaſus Metrophonti filius caput percuſſus ab alio puero per teſtam, cum perveniſſet ad duodecimam diem febricitavit. Occaſio autem erat, quòd cum detergeret partes circa ulcus, perfricuit, & perfrigeratus eſt, & labia ſtatim ſunt elevata. Attenuata eſt autem cutis multis in locis ulterius ab ulcere. Quibus verbis videtur Hip. cauſam ſubſecutorum malorum referre in perfrigerationem, dum in detergendis partibus circa ulcus, datus eſt ingreſſus ambienti aëri. Quare apparet, ipſum voluiſſe, ut tecta ſerventur, & eo magis, cum ex ipſius verbis eam ſolutionem, qua perfrigeratum fuiſſe tradit, fuiſſe primam colligatur, & tamen erat circa duodecimam diem, inquit enim: Cum detergeret partes circa ulcus, perfricuit, & perfrigeratus eſt, & ſtatim labia ſunt elevata; illud verbum, ſtatim, indicat eam fuiſſe primam ſolutionem, ſymptomata namque ſecuta ſunt in duodecima, & ſtatim poſt deterſionem, & perfrigerationem; ſignum ergo eſt, non fuiſſe priùs deterſum ulcus.

Tertiò in ejuſdem comprobationem adducunt locum deſumptum ex 4. de morb. inquit enim Hipp. tex. 22. Quin & ulcera, ſi curentur, maximè in his diebus, ſcilicet, imparibus, inflammantur, venit enim humor ad omnes venas, cum turbatur, eaſque replet, & ubi ad ulcus pervenit, ſiquidem non curetur, & pus exitum habeat, expellitur ab humore, qui in turbatione accedit, & ulcus foras expurgatur. Si verò curetur, pus exitum non habens, & iſthic unà cum eo, qui acceſſit, permanens, dolorem inducit, & carnem circa ulcus attollit; his profectò verbis, ſi ulcera curentur, nihil aliud ſignificare videtur Hip. quam vulneris deterſionem, quæ manuali fit opere, medicamentorumque applicationem, quam puris retentio, & inflammatio ſequitur, eò quòd propter deterſionem ulcera perfrigerantur, & ex perfrigeratione imbecillis factus calor nequit propria munia, ut anteà, obire: illis verò, ſiquidem non curetur, tegumentum deſcribere palàm eſt, dum enim non curantur vulnera, tecta manere notum eſt: quaſi velit

velit dicere, si ulcera non curentur, sed tecta serventur, modò pus liberum exitum habeat, foras expellitur unà cum humore, qui accessit, hoc est, unà cum excremento, quod generatur ex superfluo succo, qui ad vulneratam partem defluxit, eò quòd ob tegumentum roboratur naturalis calor; constatque, non de propriè dictis ulceribus intelligendum esse Hip. sermonem, sed de vulneribus, quippè hæc sunt, quæ maximè inflammantur, & ex quibus turbamentum humorum accedit, quod repentina fiat immutatio.

Adducunt quartò casum Billi ab Hipp. narratum quinto pop. textu trigesimoquarto, & septimo pop. textu decimo octavò, his verbis: Billo percusso in dorsum spiritus multus per vulnus cum strepitu processit, & sanguis erumpebat: Ubi verò medicamentum cruentis vulneribus destinatum, adhibitum, ac deligatum esset, sanatus est. Videtur hic, me hercule fuisse unica medicamenti impositione sanitati restitutus.

Quìntò afferunt locum ex secundo de morb. sumptum, ubi textu decimooctavo frontem sectam curandi gratia morbum quemdam capitis, imposito splenio cera, ac pice illito usque ad septimam non solvit, sic scribens: Cùm igitur sic habuerit, deraso capite, si non calefactoriis cesserit, frontem ea parte, qua capillus desinet, à capite findito, ubi verò secueris disparata, ac diducta cute, cum sanguis defluxerit, salem tenuissimum inspergito, & postquam effluxerit sanguis, fixuram componito, & duplici filo totam ipsam includito, deinde splenium cera, ac pice illitum ulceri imponito, & lana sordida super imposita deligato, & ad dies septem resolvito, si non dolor vexet: si verò dolor adsit, exsolvito. Quomodo etiam quotidianam illam solutionem non amaverit Hipp. ostendunt ex textu trigesimotertio, commentarii tertii, libri de frac. quo in loco præcipit Hip. ne tertia, aut quarta die ulceribus manus admoveantur. Ita ut etiam specilli admotio his diebus ex ejus decreto sit cavenda, eo quod iis diebus vulnera soleant recrudescere. Unde maximè damnat, qui illis diebus vulneribus manus adhibent, dicens: Qui verò prima, aut altera die lana deligandum censent, de fracturis cum ulcere loquebatur, tertia verò, & quarta linteis deligantes adstringunt, at tunc maximè exten-

tendunt, hi in arte medica, atque in re magni momenti ingens peccatum committunt, nunquam enim vulnera tertia, vel quarta die sunt vexanda, ita ut in universum cavendum sit etiam ab admotione scalpelli, (alia lectio habet, specilli) his ipsis diebus, & ab omnibus præthereà aliis, quibus vulnera irritantur; plerumque enim in tertia, & quarta die vulnera solent recrudescere. Ea nimirum, in quibus tum inflammationes, tùm sordes excitantur, quæque febres afferunt. Hoc præceptum, si quodpiam aliud, plurimi faciendum est, nihil enim est adeo in Medicina opportunum, cui id non communicet, nec in ulceribus tantùm, verùm & in aliis morbis.

Tandem adducunt Hipp. libro de artic. textu vigesimo sexto, & vigesimo septimo commentarii quarti, quibus in locis Hippoc. ulceribus luxationi adjunctis adhibenda præcipit medicamenta plurium dierum, hoc est, quæ pluribus diebus perdurant, & quæ paucorum sunt dierum, hoc est, quæ paucis diebus resolvuntur, reprobat, neque alia ratione, nisi quia vult, ut pluribus diebus relinquantur, inquit enim textu vigesimosexto: His etiam conferunt aliqua ex illis medicamentis, quibus in cruentis vulneribus uti solemus, quæcumque videlicet ipsis idonea magis sunt: lanæque vino perfusæ imponendæ, ac multo tempore relinquendæ. Quæ autem ex medicamentis, quibus incruentis vulneribus uti consuevimus, sint magis idonea, textu vigesimoseptimo, explicat, dicens: Quæcumque verò ex medicamentis, quæ cruentis vulneribus adhibentur, paucorum dierum sunt, quæque resinam recipiunt, non ut illa sunt idonea, cum ulcerum purgatio his longiori tempore fiat, multo enim tempore madent. Unde Galenus in commentario textus vigesimisexti dicebat: Tam in his libris, quam in libro de ulceribus ἔναιμα medicamenta ea vocat, quæ statim recentibus vulneribus apponuntur. Ex his ergo ea maximè deligenda esse censet, quæ post longum tempus resolvuntur. Ac interim dum solvuntur, hoc est eo tempore, quod inter unam, & alteram impositionem, seu solutionem intercedit, perfundi possunt. Instituit enim, ut quemadmodum omnia in universa curatione eò spectare debent, ut vim leniendi habeant, ita & hoc, ut non sæpè deligetur, & sæpè solvatur ipse ægrotans. Ex his autem medica-

mentis ea ad longius tempus diſſolvi poſſunt, quæ vim majorem exſiccandi habent. Id tamen cavendum eſt, ne ob vehementem eorum vim contrahant; & textu vigeſimo ſeptimo: Non eſt admodum difficile invenire, quænam ipſe ex medicamentis, quæ cruentis vulneribus imponuntur, paucorum dierum appellet, ſi eorum memor es, quæ in explicatione præcedentis orationis dicta ſunt, palàm enim eſt, quòd ſic ipſe vocaverit ea, quæ poſt paucos dies ſolvuntur. Quæ autem ex ipſis imbecilliora ſunt, ea interjecto paucorum dierum intervallo ſolvenda ſunt, cum enim non exſiccent, quantùm ſatis ſit, ſaniem copioſiorem in ulceribus contrahi permittunt. Ex his igitur apparet, non ſolùm modum hunc fuiſſe Hip. cognitum, verùm etiam ipſum Hippocratem hac curandi via uſum fuiſſe, poſteriſque eandem tradidiſſe.

Quod Gal. cognoverit hunc modum.

Quòd verò Galenus modum hunc cognoverit, & probaverit, ac etiam tractaverit primò ex iis colligunt, quæ Galenus ait quinto Meth. ſeptimo, de illo agreſti juvene, cui Medicus juvenis arteriam pro vena, ſanguinem ei miſſurus, diviſit, cum enim medicamentum appoſuiſſet, ad quartum ſolutionem diſtulit, & tunc denuo appoſito medicamento juſſit, ne ſolveretur, niſi multis poſt diebus, ejus hæc ſunt verba: Cum enim Medicus, qui venam erat inciſurus, brachium hominis deligaſſet, contigit attolli veluti in globum arteriam, itaque hanc pro vena Medicus diviſit. Exigua ſanè inciſio erat, ſanguis autem flavus, ac tenuis, & fervidus ſtatim ejaculabatur, idque cum quodam veluti ſaltu. At Medicus quidem ut erat admodum juvenis, & operum artis parum peritus, venam ſe inciſiſſe putabat. Ego verò cum quodam alio ex his, qui aderant Medicis, utique ſaniore, ubi quod accidit, animadverti, præparato ex emplaſtrorum genere, quod ſanguinem ſupprimit, medicamento, tum inciſionem curioſè conjunxi, tum ſuper medicamentum illicò impoſui, ac ſpongiam molliſſimam extrinſecùs ſuper hoc deligavi: mirante verò, qui arteriam inciderat, inſolitam noſtram in hoc caſu providentiam, indicavimus homini rem factam. Sed poſteaquam inciſi hominis diverſorium exiiſſemus, juſſimuſque ne vel ſolveret nobis abſentibus, vel ante quartam diem id aggrederetur, ſed ita, ut deligatum erat, haberet, ſpongiam dumtaxat deſuper madefaciens. Poſtea verò quam in

quarto

quarto ſolventes planè conglutinatam inciſuram invenimus, rurſus idem medicamen imponere juſſimus, tum ſimili modo deligare, nec multis poſtea diebus ſolvere. Atque ita procurata eſt hujus hominis inciſa arteria, ſola omnium, quas in cubito inciſas vidi. Secundò idem oſtendunt ex commentario textus vigeſimiſexti, & vigeſimiſeptimi, commentarii quarti, ad librum de artic. Cùm enim eo in loco approbet Galenus curationem Hippoc. in luxatione tibiæ cum ulcere, in qua curatione rarò pars ſolvitur, non ſolùm videtur hunc curandi modum cognoviſſe, verùm etiam approbaſſe, inquit enim textu vigeſimoſexto: Tam in his libris, quam in libro de ulceribus ἔναιμα medicamenta ea vocat, quæ ſtatim recentibus vulneribus apponuntur. Ex his ergo ea maximè eligenda eſſe cenſet, quæ poſt longum tempus reſolvuntur (ecce tarda ſolutio) ac interim dum ſolvuntur perfundi poſſunt. Inſtituit enim, ut quemadmodum omnia in univerſa curatione eò ſpectare debent, ut vim leniendi habeant, ita & hoc, ut non ſæpè deligetur, ac ſæpè ſolvatur ipſe ægrotans. In eandem ſententiam multa ſcribit text. 27. Sed ejus verba ſuperiùs retulimus.

Quòd etiam Gal. raram ſolutionem adamaverit, inferunt ex eo, quòd quarto, de compoſitione medicamentorum per genera, capit. quarto examinans medicamentum ab Aſclepiade compoſitum ad Chironia, & curatu difficilia ulcera, laudat Aſclepiadem, qui juſſerit, ut tertio quoque die tantùm fieret ſolutio, & eos reprehendit, qui ſæpiùs qualibet die ulcus detergunt, inquit enim: Rectè, me hercules, ad finem ſuperioris medicamenti ſcripti hæc verba adjecit; Et hæc triduo ſoluito, fomentiſque mitigato, ipſumque emplaſtrum ablutum emollito, rurſuſque apponito, niſi enim diutius cuti pharmacum adhæſerit, nihil efficiet: quod pleroſque Medicos latuit arbitrantes, ſi ter die ſaniem ab ulcere deterſerint, meliùs ſe facturos iis, qui bis idem faciunt, qui verò ſemel ſolvunt, ab ipſis quoque ægris tanquam negligentes malè audiunt, & idem docet pluribus aliis in locis. Si ergo Galen. in ulceribus dyſepuloticis raram ſolutionem laudat, in quibus virulentia, & malæ ſortis ſordes, eædemque copioſæ generantur, & ob id maximè conveniret crebra deterſio, quantò magis raram ſolutionem credendum eſt, ab ipſo probari in cruentis vulneribus in

quibus nec virulentia, nec sordes, quæ alicujus sint momenti, generantur? Argumentum insuper desumunt ex com. 3. in lib. de frac. tex. 43. ubi utilitates narrat, quas ex naturali tegumento ulceratæ partes experiuntur, qua de causa jubet, quando accidit ulcus cum fractura, ut cutis adducatur, quo subjectæ, denudatæque partes contegantur, veluti in textu monuerat Hip. dicens: Respicienda autem est, & ulceris figura, ne nimium hians, & varicatum, dum deligatur, fiat. Hæc sunt Gal. verba: Cavendum ergo esse ait, ne dum deligatur ulcus, labia expansa evadant, vult enim, ut illa adducantur mutuò, partibus videlicet cutis se in suam sedem recipientibus: inde enim fiet, si ita agatur, ut & minùs premantur, atque ut ulcus subjectum maximè in musculis contegatur. Idque sciendum est, omnes subjectas partes pelle sua maximè delectari; neque unquam partem aliquam subjectam citra noxam nudari posse: & quid mirum sit, si hæ partes, utpotè quæ naturale, & sibi familiare tegumentum ex cute habent, ea gaudeant, ab aliis verò omnibus malè, ac molestè habeant? Undè sæpè hoc observavi, quod cum non præcidissem cutis partes, sed potiùs ab aliis partibus, quod denudatum fuerat, adduxissem, immo, & quod mirabile visum est, aliquando statim ab ictu jam locus niger factus erat, tamen ea agglutinata statim est, sed his etiam non paucis; qui in senili ætate erant constituti, cutim detractam, & jam nigrescentem reducentes, eam adhærere, & agglutinari videmus. Quod si caro excoriata ita absque cute, nudaque relinquatur, præter id quòd ægrè cicatrix inducitur, morsionibus quoque, & sordibus obnoxia est. Nam medicamenta, quæ faciunt ad repellendam inflammationem, & sedandos dolores, quemadmodum illud est, quod παρίγρον, nec non & id, quod τετραφάρμακον appellatur, membrum quidem affectum ab inflammatione tuentur, verùm ulcus sordidum præstant, rursus verò quæ ulcera purgant, ob detergendi facultatem, qua prædita sunt, morsionis sensum incutiunt. Ab his autem incommodis libera est pars excoriata, si adducta cute contegatur. Huic etiam non dissimile est id, quod in pustulis facere consuevi, quæ ex vaiis occasionibus ortum habent, ac in tumorem attolluntur, interdumque insignem dolorem inurunt. Nostis autem me in hunc modum eas curare consuevisse, primùm

acuta

acuta acu illas aperio, ut humor exitum habeat, quem etiam leviter exprimo, ac cutem inhærentem relinquo. Quòd si eveniat, ut concluso foramine, rursus eadem repleatur, iterum pustula plena eodem modo aperitur, expressoque humore cutis reducitur, & servatur, quoad supposita illi caro ulcerata ad cicatricem deducatur.

Hæc à nobis relata sunt, quæ possunt esse evidentia argumenta indicantia expedire, ut omne ulcus cognata cute tegatur. Sicuti ergo arguunt, laudat Galenus ut omne ulcus cognata cute tegatur, tanquam naturali, & sibi familiari tegumento, profectò necesse est, ut etiam laudet artificiale tegumentum, quando cute tegi non possunt denudatæ partes, ut contingit, quando vulnus est cavum, quoniam easdem ferè utilitates præstat factitium quas naturale tegumentum; etenim sicuti naturale tegumentum suo naturali calore subjectarum partium calorem fovet, & conservat, & eas ab injuriis ambientis defendit, ita etiam artificiosum tegumentum suo calore fovet subjectarum partium calorem, & easdem ab injuriis ambientis tutatur. Quare concludunt non fuisse Galeno incognitum modum hunc curandi.

CAPUT XLII.

Ostenditur hac via non fuisse curata vulnera ab Hipp. & Gal. & interpretantur loca, ex quibus contrarium colligebatur.

QUamvis hæc aliquam probabilitatis speciem habere videantur, horum tamen opinionem probare nunquam potui, considerans enim accuratè quæ ab Hipp. & Gal. dicuntur, dum res vulnerum tractant, cognovi certissima argumenta posse colligi ad comprobandum, quod utrique placuerit crebra solutio, & quod hoc modo, nequaquam autem novo jam descripto usi fuerint.

Et quod ad Hipp. attinet, in primis percurramus librum de ulceribus, & comperiemus ipsum uti medicamentis ad ea omnia peragenda, quæ pro sanandis vulneribus requiruntur, modò videlicet suppurantibus, modò detergentibus, modò sarcoticis, modò cicatricem inducentibus, & pro vario vulneris statu hu- *Hippocrati non fuit notus hic modus.*

 jusmodi

jusmodi medicamenta applicat, quocirca saltem postquam suppuratum est vulnus solvet ipsum, ut detersorium apponat, & post abstersionem solvet, ut medicamentum sarcoticum adhibeat, & tandem ut cicatricem inducat, iterum solvet vulnus. Sed neque unica medicamenti impositione cujusvis sortis potest esse contentus, posteaquam plura scribit medicamenta, quorum vis citò exolvitur, unde cum virtuti medicamentorum totum tribuat, necesse est, ut sæpè vulnus resolvat, quo etiam sæpe immutet medicamentum, sic enim habet ad verbum tex. septimo: Cataplasmata tumorum, & inflammationis in circum sitis ulceris partibus sunt verbascum coctum, & trifolii folia cruda, & ligustri folia cruda, & polium. Si verò etiam purgari opus habuerit ulcus, omnia quidem etiam hæc purgant, sed & fici, & oleæ folia, & marrubium: coquere autem oportet hæc omnia, & maximè viticem, & fici, & oleæ folia, & mali punici folia similiter coquere oportet. Crudis verò his utendum est, maluæ folia terito cum vino, & rutæ folia, & origani viridis omnibus his lini semen torrefactum, & tusum quam levissimè admiscere oportet. Quis non videt, quàm brevi medicamenta hæc applicata exsiccentur, & proprias vires amittant, ut neque in eorum numero haberi possint, quæ paucorum dierum ab Hip. libro de artic. appellantur? Idem est de aliis, quæ ad conglutinandum adhibet, inquit enim tex. octavo: Et ubi committere, atque coalescere ulcus voles, rubi canini folia velut lentem præparato. Nasturcium item sauridion appellatum à lacerti similitudine, vinum, & lini semen tenuiter tritum commiscentur. Nec diuturniora comperies tria suppurantia textu nono, his verbis descripta; Aliud, sanas succidas paucissima aqua tingito, deinde vini tertiam partem aliquam misceto, ac coquito, donec bona provenerit crassitudo. Ex his recentia vulnera quam citissime suppurari possunt. Aliud, aron siccum inspergito, ac adaptato. Aliud, fici corticem viridem cum succo ex vino tritum immittito. plurima alia hujusmodi in eo libello reperies. Eo magis autem asserendum est, Hip. crebro vulnera detexisse, quod etiam arida inspergi posse tradit: Et si sicco, inquit tex. undecimo, carico uti voles, liquida removere oportet, & pharmacum inspergere, & in eo libro plura

sicca

ſicca inſpergenda proponuntur, quid autem prodeſſent ſicca hæc medicamenta ſemel, aut bis inſperſa? Sed & ipſum voluiſſe crebram ſolutionem apertiſſimè cognoſces ex iis, quæ ait tex. vigeſimo ſecundo, inquit enim: Sicca ad vulnera hæc faciunt, veratrum nigrum tenuiſſimè tritum inſpergetur, quamdiu aliquid humoris inerit, ac depaſcentis; deligatio vero eadem, eſt quæ in emplaſtris. Aliud, ſalis grana ſicciſſima in æneam ollam, aut fictilem novam immittito, magnitudine maximè æqualia, non magna, & mel optimum dupla ſalis menſura pro conjectura facta ad ſalem affundito, deinde ollam prunis imponito, & dum totum combuſtum fuerit, ſinito. Poſtea exterſo, & expurgato per ſpongiam ulcere inſpergito, & velut prius deligato, & paulo magis comprimito. Poſtridiè vero qua parte non adhæſerit, pharmacum inſpergito, comprimito, & deligato. Ubi verò pharmacum diſcedere voles, acetum calidum affundito, donec diſcedat, & rurſus eadem facito, ſi opus fuerit exterſione per ſpongiam facta. Hic expreſſam vides quotidianam ſolutionem non in ulceribus propriè dictis, ſed in cruentis vulneribus. Idem colliges eodem libro textu quarto, ubi inquit: At ubi deligare voles, pharmaca non prius imponere oportet, quàm ubi ſiccum valdè feceris ulcus. Tunc vero apponere oportet, ulcus autem ſæpe ſpongia detergere, & rurſus linteum ſiccum, ac purum ſæpe adhibere, atque ſic impoſito medicamento, quod conferre videtur, deligare, aut non deligare. dum enim ait, ulcus ſæpe ſpongia detergere, & rurſus linteum ſæpè adhibere, neceſſitetem crebræ ſolutionis explicare videtur. Libro etiam de vulneribus capitis eandem inſinuat curandi rationem, hæc enim habet textu decimo nono: Si vero os quidem carne fuerit denudatum, ſubcava vero fuerint ulcera in obliquum, cavitatem quam plurimam reſiccare oportet, ubi non facilè eſt medicamento quocumque pervenire. Quibus patet, ipſum non tegumento, ſed medicamentis curam facere, quæ præthereà intra vulnus immittit. unde & propter excrementorum permixtionem, & quia una cum ipſis à natura extra propelluntur, tanquam extranea, brevi tempore vulnus eorum virtute deſtituitur, & ex conſequenti neceſſe erit crebro vulnus detegere, ac adhibere medicamenta: textu quo-

que

que vigesimo septimo, colorem vulneris, & ossis observat, inquit enim: Et postquam hoc factum fuerit, ulcus colorem amittit, & ex ipso sanies pauca effluit, & quod inflammatum est ex ipso, emoritur, & viscosum fit, & apparet veluti salsamentum, colore fulvum, subfluidum: & os tunc corrumpi incipit, & fit valdè nigrum, postremo pallidum, aut valdè album evadens. Non posset profectò Hipp. hæc ita observare, nisi crebro vulnera solveret. Item textu vigesimo tertio, ex mollitie, ac humiditate carnis instituit præsagium, dicens: Malum est etiam humidam esse carnem in ulcere, & putrescentem, & ad multum tempus purgari, quæ non cognoscuntur nisi in detectione vulneris. Igitur crebrò solvere, ac detergere dicendum est. Insuper libro de fract. & libro de offic. Med. vult, ut lintea sint munda, at, quæ vulneribus apponuntur, citò fluentibus excrementis conspurcantur. Crebrò igitur ab ipso immutantur. Jubet pariter libro de fract. textu vigesimo commentarii tertii, ut crebrò pars solvatur, si fractura fuerit cum ulcere, & tenuium ossium abscessio expectetur: Cum ergo tenuiorum ossium, dicebat, abscessio expectatur, nulla insigni mutatione opus est, nisi quod fascia laxior injicienda, ne pus retineatur, sed facilem exitum habeat; sæpiusque, quo ad os recedat, solvendum, ac deligandum est. Et superiùs textu videlicet 19. dixerat: Sæpiùs ergo propter redundantem humorem religare oportet; alioquin enim & febres concitantur. Quòd si crebram vult solutionem, quando adest ulcus cum fractura, cum tamen fractura desideret, ut pars deligata servetur, tanto magis solutionem crebram expetet, quando adest ulcus sine fractura. Sed nolo orationem longius protrahere, ex allatis enim satis evidenter apparet, mentem Hipp. fuisse, ut vulnera crebrò solverentur.

Neque Gal. cognitus fuit hic modus.

Ad Galenum deveniam, quem ejusdem fuisse sententiæ non dubito: cum enim 3. Meth. 3. asserat, nullum esse tempus, in quo illa duo excrementa, tenue videlicet, & crassum in vulneribus non generentur, & propterea etiam nullum esse tempus; in quo medicamenta siccantia, & abstergentia non sint necessaria, non possumus non admittere, eam fuisse Gal. mentem, posteaquam, ut aliàs dictum est, non possunt medicamenta vulneribus

appli-

applicata diutiùs vires ſuas retinere, unde, qui medicamentis curam faciunt, neceſſe eſt, ut ea ſæpè immutent. Præterea 3. Meth. 3. jubet, ut obſervetur effectus ſiccantis medicamenti, quod vulneri applicavimus, ut cognoſcamus, num ſatis ſiccaverit, an minùs, & ſic medicamenta convenientem ſiccitatis gradum habentia deligere valeamus. Hinc dicebat: Eſto namque notum ſit hoc, vel illud pharmacum ad cavum ulcus implendum facultatem habere in iis, qui, ut nos loquimur, humidiore ſunt temperamento, ut autem obſervator, & Empyricus, iis, qui molli ſunt carne, ac mulieribus, & pueris, deinde nunc tali admotum nihil profit: nos igitur cujus cauſa nihil profuit, inveſtigabimus, atque hanc in duo æſtimanda reducemus; nam aut parcius ſiccavit medicamentum, aut nimium, horumque notas habebimus ſordem, & ſaniem, nam ſi pluſculum ſordis, totumque ulcus humidius, intra modum ſiccavit: ſin purum, & abſque humore cernitur, ultra. Statim igitur menſuram quoque exceſſus, & defectus ex ipſo notatum modo intelligemus; &c. nemini dubium eſt, obſervationem hanc crebram vulneris detectionem requirere: ſicuti & obſervare effectum detregentis medicamenti, ut cognoſcamus, nùm validius ſit, an imbecillius, quod aplicuimus, medicamentum, quod propoſuit 3. Meth. 6. his verbis: Etenim ſi quàm maximè ſordidum ex utroque medicamento, valido ſcilicet, & imbecillo ulcus deprehenditur, at certè cavitas major ex valenti, & quod colliquat medicamento efficitur. Quin etiam labiis præaltis, rubrumque, ac phlegmone quodammodo affectum ulcus cernitur. Aliquando verò roſionem quoque manifeſtam ex hujuſmodi medicamento æger ſentit. Quod verò minùs, quàm par eſt, ſiccat, non quidem mordet, nec quicquam efficit eorum, quæ retuli. Idem confirmari poteſt ex eo, quod velit, ut omnem vulneris partem tangat medicamentum, tractans enim tertio Meth. quarto de præparatione ſarcotici dicebat. Siquidem cavo ulceri, quicquid volumus, ſtatim applicamus, ſive ſiccum id, ſive humidum medicamentum ſit, licet enim omni parti ulceris ea tum inſpergere, tum illinire: At in vulneribus quorum major eſt profunditas, id non licet: quippè ubi ſemel labia conjunxeris, contingere, quæ in imo ſunt diviſa, non poſſis. Conſiderandum eſt igitur non modò an ſiccans, abſtergenſque modicè

medicamentum ſit, verùm etiam an pervenire ad imum valeat. nam & ceruſſa, & lithargyrus ſiccant, adſtringuntque modicè, ſed ſi ea cineris ritu circa vulnus inſpergas, nihil proficies, neque enim ad fundum pervenit medicamenti vis, quod ita ſit ſiccum; humiditatem igitur quandam deſiderat, quo ſimile emplaſtici ſit, vel etiam humidioris cujuſpiam medicaminis. Si ab intromiſſis medicamentis aliquid fructus exoptat, neceſſe eſt, ut ea ſæpè immutet, nam brevi quæ immittuntur, partim expelluntur, partim ob excrementorum miſcellam corrumpuntur. Sexto, etiam Meth. ſecundo, crebræ ſolutionis non obſcurè meminit agens de nervi punctura ab alio Medico perperam curata, ſic enim habet: Ipſe verò oleum ſabinum utique ſubantiquum modicè calefaciens fovi vulneratam partem, reſectoque leviter puncturæ, quod connivebat, foramine, impoſui medicamen, injunxique homini inediam. Medico verò præcepi, ut veſperi rurſus eum ſolveret, ac ſimili modo, quo me viderat, oleo uteretur. Similiter & lib. de fract. com. tertio. tex. vigeſimotertio, dicebat enim agens de fractura cum vulnere: Quando abſceſſio alicujus fragmenti grandioris expectatur, præcipuam in hac curatione vim primis diebus habet perfuſio, quando videlicet expedit ab ulceris partibus quidquid humoris ſupervacui in eis jam receptum eſt, elidere, quodque ex ſuperioribus partibus eò defluit, reprimere. A tertio autem die ceratum picatum adminiſtratur, utpote quod ea concoquere valeat, quæ in ulcere ſunt. Eandem curandi rationem inſinuat libro de fract. tex. decimoquarto, com. tertii, his verbis: Verùm, dum ait, nudos nullo modo relinquere oportet, inſinuat mediam quandam medendi diligentiam, quæ ſanè erit, ſi apparente quopiam ex prædictis ſignis jubeat deligationem ad fracturas appoſitam ſtatim ſolvi, uno autem, atque altero die ulceris curam habeat. Quam enim aliam curam habere poterit Medicus ipſius ulceris uno, atque altero die, quam ſolvendi, detergendi, atque medicamentum ulceri conveniens apponendi? Si tegumentum pro ulceris curatione probaſſet, non erat, cur ſolveretur pars fracta, & ulceris haberetur ratio. Sed ſuperfluum eſt alia Gal. loca adducere, cum ex allatis perſpicuè appareat, Gal. ſæpè ſolvendo potiùs, quàm diutiùs tegendo vulnera curaſſe.

Super-

Supereſt, ut ad verum ſenſum adducta Hipp. & Gal. loca trahantur. Quando Hip. libro de fract. com. tertio præcipit, ut fracturæ cum ulcere, quando oſſa fracta extra non extant, neque eſt talis fracturæ modus, ut timendum videatur, ne ab oſſe aliquod fragmentum ſaltem effatu dignum ſeparetur, ſimplici modo curentur, hoc eſt ac ſi fracta eſſent oſſa ſine ulcere, unde neceſſariò ſequebatur, raró ſolvendam eſſe partem; profectò tunc Hip. non habet curam ſolius ulceris, verùm & fracturæ, immò iſtius magis, ut quæ plus urget, quàm ulcus. Id in medendi methodo propoſitum eſt, ut, quando plures complicantur affectus, ei, quod magis urget, incumbamus, altero, ſi fieri poſſit, non neglecto: quando ergo fractura ſimplex complicata eſt cum ulcere, ulcus ferè non poteſt eſſe magni alicujus momenti, & propterea, quod fractura indicat, præſtamus: indicat autem diuturnam, ſic loqui liceat, & eam quidem convenientem deligationem, qua oſſa firmentur; & compoſita maneant, donec fuerint conglutinata, & ideò nec ſimplici modo utimur, nec ſolvimus partem, niſi deligationis ipſius gratia, hoc eſt, ut meliùs deligemus, & ſupervenientium ſymptomatum. Quo etiam curandi modo aliqua habetur ratio ipſius ulceris, poſteaquam decenti deligatione humorum fluxus arcetur, & qui præerat copioſior ſanguis in parte, aliò exprimitur, ut ad reliqua perficienda ſatis ſit natura. Hinc Hip. eodem libro tex. decimoſexto, com. tertii, dicebat: Atque hæc omnia eò ſpectant, ut rectè deligare ſciamus: & tex. quinto: In hoc etenim id maximum eſt, ut cognoſcamus, quomodo initia linteorum ſint injicienda, & qua maximè parte adſtringere expediat, itemque, quantum ægrotanti conferat, ſi rectè quis initium linteorum conjiciat, & qua parte id maximè convenit, adſtringat: quam etiam obſit, quando vel non rectè deligare incipiat, vel, ubi opus non eſt, comprimat, ſed hinc, & inde. Sed & quod ibi fracturæ potiùs, quam ulceris rationem habeat Hip. illud apertè declarat, quòd, quando ulcus eſt alicujus momenti, & curationem ad ſe trahit, crebrò ſolvit, qua de re tex. 19. dicebat; Sæpiùs ergo ob redundantem humorem religare oportet, alioquin enim & febres concitantur. & tex. XX. Sæpiùs quo ad os recedat, ſolvendum, ac deligandum eſt. Idem ex Gal. colligi poteſt, nam tex. 14. hæc

Interpretantur Hip. loca, ex quibus deducebatur ei cognitum fuiſſe hunc modum.

 habet:

habet: Verum, dum ait nudos nullo modo relinquere oportet, insinuat mediam quandam medendi diligentiam, quæ sanè erit, si apparente quopiam ex prædictis signis, jubeat deligationem ad fracturas appositam statim solvi, uno autem, atque altero die ulceris curam habeat. Si pars solvitur, & uno, atque altero die habeatur ulceris ratio, profecto dum deligata pars manebat, non habebatur ulceris ratio, quæ haberi poterat, sed potiùs fracturæ. Et propterea tex. 3. eos, qui purgatorium aliquod ulceri adhibentes, deligationemque à principio negligentes, quod ad ulcus attinet, non male curare dicebat, fracturæ tamen inter initia nullam habere rationem, posterius eam adhibentes deligationem, quæ à principio erat adhibenda.

Incommoda vero, quæ recenset Hipp. provenientia ex prava eorum curatione, qui purgatorium ulceribus adhibent, non idcirco sequuntur, quia ulcus tegumento privetur, namque etiamsi vinculo, quod adhibetur in fracturæ gratiam, non tegatur, potest tamen aliter contegi, & Medicos ea medendi ratione utentes convenientibus linteis tegere ulcus consuevisse existimandum est, sed quia mala fit deligatio non solum pro fractura, verum & pro ulcere, & longe majus damnum affert ulceri talis deligatio, quam sit utilitas, quæ ex adhibito purgatorio medicamento proficiscitur. Hoc ex Hipp. manifeste colligitur, nam tex. 3. Qui purgans aliquod medicamentum ulceri adhibent, neque ullam deligationem à principio moliuntur, eos, dicebat, neque magnum aliquod bonum, neque magnum aliquod malum committere, ut enim notat Gal. in com. ejusdem tex. Quod ad ulcus attinet, non male curant, fracturæ tamen inter initia nullam habent rationem, posterius eam adhibentes deligationem, quam à principio esse adhibendam diximus. Hinc & Hipp. eodem tex. Non tamen hoc modo ossa in sua sede constituuntur, corpora enim ea parte aliquanto turgidiora redduntur quàm opportunum sit. Et tex. 4. Sed & breviora evadunt, quàm quibus ossa aut cubiti aut tibiæ infracta fuerint, & Gal. in ejus com. Unde qui hæc negligentes, debitam videlicet extensionem, & accuratam deligationem, soli attendunt ulceri, non modo ad majorem, quàm naturaliter ei conveniat, tumorem membrum perducunt, verùm & id brevius reddunt. At qui purgans medicamentum adhibent,

& hinc

& hinc inde deligant, ulcus verò ſine vinculo relinquunt, hos magnum erratum, malumque committere aſſerit, ex talique curatione ulcus, quod ferè non erat conſideratione dignum, inflammatur, & fit pravum, & os abſcedit, quod abſcedere non deberet, ex deligatione enim, quam adhibebant, hinc inde ulcus ſine vinculo relinquentes exprimuntur ſucci, tumoriſque materia ad ipſum ulcus; nam, & ſi pars ſana hinc inde deligetur, à deligatis partibus ad intermediam ſine vinculo relictam exprimetur ſanguis, eaque in tumorem attolletur. Quod ſi ulcerata ſit pars illa, fieri non poterit, quin ulcus inflammetur, & pravum fiat. Audiamus Hipp. 3. de fract. perſpicua oratione hoc tradentem, dicebat enim tex. 5. Item & alii ſunt, qui ſtatim ab initio ejusmodi fracturas linteis curare aggrediuntur, quibus linteis hinc, & inde deligant, ipſum autem ulcus ſine vinculo relinquunt, ac refrigerari ſinunt; deinde medicamentum aliquod, quod purgando ſit ulceri imponunt, neque id panniis vino madefactis, vel ſuccida lana curant. Pravus ſane eſt is curandi modus, rationique conſentaneum eſt, eos, qui vel his, vel aliis etiam fracturis in hunc modum medentur, quàm maximè à recta via aberrare; In hoc etenim negotio id maximum eſt, ut cognoſcamus, quomodo initia linteorum ſint injicienda, & qua maximè parte adſtringere expediat &c. inferiùs. Teſtatur autem hoc medicatio, neceſſe enim eſt, ut cum ſic deligatur, ulcus intumeſcat unde tex. 16. ſubjungebat: Si enim hinc, & inde pars ſana deligetur, media vero nullo vinculo comprehendatur, pars illa, quæ intermiſſa eſt, plurimùm intumeſcet, ac decolor reddetur, quid ergo fieri poterit, ut hæc ulcus non contrahat? & tex. 7. Quare neceſſe eſt, ut ulcus decoloratum reddatur, ad quod exprimitur materia, lacrymoſumque, & quod minimè ſuppuret, & tex. 8. Pulſus etiam, ac igneus calor cum hoc ulcere conjungitur. Quis non videt omnia mala ex prava deligatione provenire, non autem ex eo, quod ulcus non tegatur? unde & Gal. in com. tex. 7. in hac parte, quæ ſymptomata ex prava illorum deligatione conſequantur, enarravit, & in com. tex. 8. In his, qui ſic deligantur, tumor, ut paulo antea dixi, ad ipſa ulcera elidetur. Quamvis nec parùm illud obſit in prava illa deligatione quod dum hinc,

 & inde

& inde deligant, ulcus detectum ſervant, & ambientis injuriis exponunt, itaque refrigerari ſinunt. Et detectionem, quam ſæpe noſtro modo curantes tegumento corrigimus, non intelligit Hip. quando inquit, nudare, & perfrigerare, ſed per perfrigerare nudare intelligit, ut notat Gal. in com. tex. 14. quod eſt, ut ibidem dicebat, detracta deligatione, quæ fracturis convenit, tanquam ulcus curare, nam dicebat Hipp. eo contextu, hos nudos, nullo pacto relinquere oportere; quaſi vellet dicere, quamvis ulcus ſit irritatum, & nigrum valdè, vel impurum, & carnes ſuppurare reperiantur, & nervi exciſuri videantur, non ob id detrahenda eſt deligatio, ſeu diſcedendum eſt à convenienti deligatione, ut ulceri medeamur, neque hujusmodi ſuppurationes ſunt pertimeſcendæ, ſed curandæ in reliquis juxta ac ubi ulcus à principio fracturæ contingit. Similiter utilitates ex deligatione, quæ una ulcus comprehendit, provenientes, non idcirco conſequi cenſet Hipp. quia vulnus tectum ſervetur, ſed quia ex decenti deligatione, cujus formam ibi tradit, ab ipſo ulcere ad partes extra deligationem exiſtentes materia tumoris exprimitur, & affluxus ſuccorum prohibetur, qua de cauſa tex. 10. ſubjungebat: Et ſi, prout ratio requirit, omnia agantur, pars, quæ ad ulcus pertinet, ſemper gracilior reperietur; cæteræque omnes, quæ ſub deligatione fuerint, graciliores erunt, atque ad ſuppurationem ulcera hæc aliis citius devenient, quæ alia via curantur: nec non & carunculæ quæcunque in ulcere denigratæ, aut emortuæ ſunt, ſub hoc curationis modo abrumpuntur citius, & decidunt, quam in aliis. Cicatricem quoque velocius hoc modo tractatum ulcus contrahit, quàm alio: quorum omnium cauſa eſt (hæc omiſere, qui locum hunc adduxerunt) quod tum ulcus ipſum, tum aliæ partes, quæ illi in orbem adjacent, graciliores evadunt.

Patet igitur ex hoc quod Hip. velit fracturas cum ulcere curari, ac ſi ſine ulcere forent, nullo modo elici poſſe quod voluerit ut vulnera tegumento curentur. Neque etiam ex cauſa filii Metrophonti 4. Popul. relati, dato quod liber ille ſit Hip. de quo rationabiliter dubitatur; ſymptomata enim ad duodecimam ſupervenerunt propter deterſionem, & fricationem, non quia tunc ſolùm à Medico fuerit deterſum ulcus, ſed quia tunc

ſolum

ſolùm deterſio fuerit talis, ut perfrigerationem induceret. Neque deterſio illa, & perfricatio manu Medici fuit facta, verùm ipſius vulnerati; cum enim propria manu partes ulceri adjacentes detergeret, ac perfricaret, ut nonnunquam accidere videmus, lintea detraxit, vulnuſque nudavit, atque ita perfrigeratio contingit, & allata mala ſubſequuta ſunt.

Ad locum deſumptum ex 4. de morb. dicere poſſumus, eos libros non eſſe Hip. veros legitimos, quod & Gal. fatetur, poſteaquam in illis multa reperiuntur, quæ doctrinam Hip. non ſapiunt. Cæterùm neque ex eo loco poteſt colligi, quod ipſi intendunt; nihil aliud ibi vult auctor, niſi hoc, ne imparibus diebus curentur vulnera, eo quod in imparibus diebus magis turbetur humor, cujus ſignum eſſe dicebat tex. 12. quod quicumque jam à febre continua correpti, pharmaco uſi ſunt in diebus paribus, hi nimium purgati nunquam ſunt. Qui vero in diebus imparibus medicamento forti uſi ſunt, nimium purgati ſunt; quare illis diebus non eſt addenda alia turbationis cauſa, cujusmodi eſt vulneris medicatio in vulnerato, & medicamenti purgantis exhibitio in febricitante. unde tex. 21. ſubjungebat: Et ſi quis jam turbatur, adhuc magis perturbet medicamento immiſſo, nihil mirum eſt, ex talibus hominem perire.

Ad caſum Billi deſumptum ex 5. & 7. morb. pop. pariter dicere poſſumus, libros illos non eſſe Hipp. germanos, ſed dato, quod ſint Hipp. nihil concludit caſus ille, aliud enim eſt dicere, Billum in dorſo percuſſum adhibito medicamento cruentis vulneribus deſtinato, atque deligato, ſanatum eſſe; aliud unica medicamenti impoſitione ſanitati fuiſſe reſtitutum. Conſuevimus enim dicere, Petrum ob exhibitionem talis medicamenti fuiſſe ſanatum, cum tamen pluries fuerit exhibitum.

Locus ex 2. de morb. allatus nihil facit ad ejus rei comprobationem, Hipp. non differt ſolutionem ſectionis in fronte factæ ad ſeptimam, ut vulnus curet, ſed ut curet affectionem capitis, cujus cauſa ſectionem illam molitus fuerat, cujus ſignum eſt, quod facta ſectione ſalem tenuiſſimum inſpergit. Quod afferebatur ex Hipp. lib. de fract. tex. 33. com. 3. nihil eſt, ibi enim Hipp. ut notat Gal. in com. ejusdem tex. depravatam quorundam medico-

rum

rum consuetudinem reprehendit, & corrigit, qui præstare putabant, ut confractum membrum non statim à principio extenderetur, sed potius prima, & altera die dolor leniretur, mox verò tertia, aut quarta ab ipso initio extensio fieret, cum vice versa sit faciendum, postquam tertia, & quarta die maximum est inflammationis, & recrudescentiæ periculum; unde tunc maximè cavendum est ab omnibus irritantibus, & quæ inflammationem possunt concitare, ideo dicebat: Qui verò prima, aut altera die lana deligandum censent, tertia vero, & quarta linteis deligantes adstringunt, ac tunc maximè extendunt, hi in arte medica, atque in re magni momenti ingens peccatum committunt; numquam enim vulnera tertia, vel quarta die sunt vexanda; ita ut in universum cavendum sit etiam ab admotione scalpelli his ipsis diebus, & ab omnibus prætereà aliis, quibus vulnera irritantur, plerumque enim in tertia, & quarta die vulnera solent recrudescere. Itaque adductus locus ad rem non facit.

Tandem nec ex lib. de artic. quidquam licet colligere, posteaquam ibi Hipp. non curat ulcus solum, sed ulcus luxationi junctum, quod facilè admodum convulsionem invehit propter extensionem nervosarum partium ab osse extra proprium locum existente inductam, atque eorundem nudationem, ac etiam vulnerationem, & contusionem, nam semper, ut dicebat Gal. 4. Meth. 6. ubi tendines, nervi, & carne vacua, atque ossea loca sunt, hìc doloris, vigiliarum, convulsionis, & delirii periculum instat. Qua de causa Hip. compositam, & mixtam quandam curationem instituit, qualis convenit compositis, & mixtis affectibus, ut animadvertit Gal. in com. 4. tex. 24. Quæ tamen eò maximè spectat, ut omnia leniendi vim habeant, ut inquit Gal. tex. 26. inungens ulcus tepido cerato lanasque sordidas ex vino, & oleo tepido madefactas imponens, desuperque vino irrigans, ut apparet tex. 23. & 24. Neque enim, ut ait Gal. in com. tex. 24. tepida adhiberet medicamenta, neque oleum ullo pacto admisceret, si loco, quatenus ulceratus est, mederetur. Sed quoniam, ut anteà dixi, convulsionem timet, oleum immiscet, & omnia tepida apponit. Quocirca neque quasi solam convulsionem spectet, omninò curationem ulceris deserit, neque etiam ad hoc solummodò respi-

respicit. In affectibus compositis, & mixtis oportet, ut composita, & mixta sit curationis ratio. Et si præcipit, ut medicamentis utamur, quæ sint plurium dierum, id facit propter metum convulsionis; nam, si medicamenta essent paucorum dierum, sæpè cogeremur partem solvere, ac deligare, & omninò contrectare, ex quo non posset non concitari dolor, & pars irritari, & majori inflammationis, atque convulsionis periculo exponi. Sed & propter crebram solutionem denudatæ nervosæ partes perfrigerantur; itaque ad convulsionem redduntur paratæ. Quare manifestum est, adducta Hipp. loca ad rem non facere.

Nec magis, quæ ex Gal. adducta sunt, talem fuisse Gal. mentem ostendunt. Casus incisæ arteriæ rara solutione curatæ agresti juvene, à Gal. 5. Meth. cap. 7. relatus, parùm cogit: jam dictum est, vulnera simplicia, quæ tantum agglutinari postulant, nullam facere difficultatem; cum enim in his excrementorum copia non generetur, potest medicamentum adhibitum diutiùs proprias vires retinere, atque ita non erit necessaria crebra solutio, eoque minus, cùm brevi tempore agglutinatio perficiatur, quo accidit, ut plerique eorum, qui quotidie vulnera curare consueverunt, quando iis offertur vulnus simplex, una vel altera medicamenti impositione ipsum agglutinent, communiterque medicamentum primò impositum usque ad quartam relinquunt. Tanto magis autem arteria incisa rara solutione opus habet, quoniam est in continuo motu, & propterea, quantum fieri potest, curandum, ut in quiete detineatur. Sed & sanguis ad exitum paratus, ut rara, & tarda fieret solutio, postulabat. Ad locum adductum ex com. 4. in lib. de artic. patet responsio ex iis, quæ superius diximus explicantes Hipp. mentem in ea parte lib. de artic. in qua tractat de ratione curandi luxationes cum ulcere: non est ergo, quod de hoc plura verba faciamus. Curatio ulcerum curatu difficilium ab eo relata 4. de com. med. per gen. valde differt à nostra curandi via; ibi enim triduanam solutionem probat, nos vero in gravioribus vulneribus sæpè ad decimam quartam, & vigesimam, & ulterius solutionem differimus. Præterea in iis ulceribus medicamentum totum ulcùs tangit, quare si ex iis fuerit, quæ plurium dierum appellantur, quale est ibidem de-

Exponuntur Galeni loca.

ſcriptum medicamentum, rectè juxta Gal. decreta triduo tantùm ſolvetur; at hoc non eſt de cavis vulneribus, in quæ quodvis medicamentum inſtilletur, brevi proprias vires amittit, & extrinſecus propellitur. Et cum Gal. medicamentis curationem vulnerum faciat, non poteſt in iis tam raram ſolutionem deſiderare. Quod affertur ex tex. 43. com. 3. lib. de fract. potius ſpectat ad labiorum adjunctionem, quàm ad noſtrum artificioſum tegumentum: ibi enim ſolius cutis meminit, quæ eſt naturale, & familiare tegumentum partium ab ipſa contentarum, & ideo curandum eſt, ut denudatæ partes, quantum fieri poteſt, propria cute tegantur. Et cum aliàs Gal. artificioſi tegumenti non meminerit, perſpicuum eſt, non poſſe argui à ſimili, cum de ſimilibus idem ſit judicium; & quomodo quis cognoſcet duo eſſe ſimilia, ſi alterum ipſorum penitùs ignoret? Fateri igitur oportet, neque Galeno cognitam fuiſſe hanc curandi viam, tantùm abeſt, ut ipſa fuerit uſus.

CAPUT XLIII.

Quid in hac re ſenſerint Cornelius Celſus, & Avicennas, & quomodo primi auctores hanc curandi viam invenerint.

CORnelius Celſus Latinorum Medicorum Princeps, ut Latinus Hippocrates dici mereatur, modum hunc noſtrum olfeciſſe viſus eſt; nam tertio quoque die tantùm vulnus ſolvit, ac curat, ut videre eſt lib. 5. cap. 26. Primo enim apparatu inſtituto, dicebat, biduo ſic vulnere habito tertio die id aperiendum, detergendaque ſanies ex aqua frigida eſt, eademque rurſus injicienda ſunt. Quinto jam die, quanta inflammatio futura ſit, ſe oſtendit. Quo die rurſus deterſo vulnere, conſiderandus eſt color, &c.

Celſus non pervenit ad hunc modum

rariorem tamen detectionem ea, quæ tertio quoque die fit, non probaſſe certum eſt, unde & linamentis per ulcus diſpoſitis utitur: Poſt id fomentum, dicebat, ſi lata plaga non patet, imponi protinus emplaſtrum debet, & ſi latius hiat, illud emplaſtrum liquari ex irino unguento oportet, eoque illita linamenta diſponi per plagam, &c. & inferius: Inflammatione finita vulnus purgandum eſt.

eſt. Id optimè faciunt tincta in melle linamenta, &c. cum tamen modus hic noſter linamenta arceat. Denique medicamentis curationem facit, nam ubi glutinandi non eſt ſpes, primò iis, quæ pus movent, utitur, deinde vulnus purgat, eoque purgato carne implet, congruis appoſitis medicamentis, & poſtremò ea admovet, quæ cicatricem inducunt. Quare multis numeris differt curatio Celſi ab hoc modo.

Avicennas 4. 5. tract. 3. cap. 2. tractans de cura ulcerum, laudabat, immò neceſſarium judicabat, ut vulneris ſolutio, & novi medicamenti appoſitio uſque ad quartam diem protraheretur, quare videtur & ipſe vaticinatus fuiſſe noſtrum hunc modum; Et de illis, quæ ſunt neceſſaria, dicebat. Eſt, ut dimittatur medicamentum ſuper ulcus tribus diebus, deinde diſſolvatur, nam ſi ipſum prius curaveris, vel ſi ante tres dies ſolveris, non faciet ſuam operationem. *De Avic.*

Nicolaus Nicolus ſermone 7. trac. 4. ſumma 1. cap. 19. quamvis admittat ex Gal. poſſe interdum differri ſolutionem ad quartam, nihilominus negat, mentem Avic. fuiſſe, ut ulcus eodem medicamento tribus diebus nutriretur, cum ſæpius multorum malorum id poſſit eſſe in cauſa, ſed cum ex medicamenti effectu metiri convenientem ejus qualitatem oporteat, quemadmodum etiam docuit Gal. ad hoc dignoſcendum terminum ſtatuit tres dies, cui, ut ſibi videtur, favet antiqua lectio, quæ ſic habet: Et de illis, quæ ſunt neceſſaria, eſt, ut dimittatur medicamentum ſuper ulcus tribus diebus, deinde diſſolvatur, nam, ſi ipſum tunc operationem ſuam non fecerit, non operabitur poſtea. Dicebat ergo Nicolus: Super quo canone notant, quod, licet ſuperiùs dictum ſit de cognitione medicaminis convenientis, & inconvenientis per viam ratiocinationis, tamen quia cognitio ejus certa per ratiocinationem haberi non poteſt, ideò poſitus eſt ab Avicenna hic canon, ut per experientiam habeatur: & non intellexit Avicennas, ut medicamen per triduum ulceri applicetur abſqe diſſolutione ejus, & innovatio, quoniam quamvis iſtud in quibuſdam caſibus concedatur, poſſet tamen eſſe vehementer nocivum, aut in multiplicando ſordes, aut in corrodendo, vel aliam læſionem faciendo; ſed intellexit, & voluit, ut Medicus cum medicamine experiatur curando cum eo *Nicolus.*

tribus diebus, ut poſſit experiri, & cognoſcere operationem ejus, an ſit excedens, aut diminuta, in minori enim tempore, id eſt, maximè de multis fortaſſis non poſſet cognoſci de ſufficienti, aut inſufficienti, ſive de juvativa, aut nociva operatione ejus, niſi medicamen fuerit ultimæ qualitatis: Expoſitionem tamen hanc Nicoli non poſſe Avicennæ verbis adaptari, qui attentè Avicennam legerit, apertè conjiciet, etiamſi antiquam lectionem magis probet, cui tamen præponendam eſſe novam nemo dubitat, inquit, enim: Neceſſarium eſt, ut medicamen dimittatur ſuper ulcus tribus diebus, deinde diſſolvatur; his verbis manifeſtè patet, ipſum voluiſſe, ut ulcus eodem medicamento tribus diebus tegeretur, & poſtea ſolveretur. Et cum in omnibus Gal. ſectetur, & ſectari profiteatur, procul dubio nihil aliud ſignificare voluit, quàm illud idem, quod Gal. nos docuit 4. de comp. med. per gen. & alibi pluribus in locis. Quibus in locis Gal. tam apertè loquitur, ut nullam relinquat dubitationem.

Non fuit cognitus Avicennæ hic modus.

Sed tamen neque ob id concludendum eſt, Avicennæ cognitum fuiſſe hunc modum, poſteaquam medicamentis curam facit, & dum peculiariter de vulneribus tractat, ut videre eſt 4. 4. tractat. 1. à doctrina Gal. & ea curandi ratione, quam Gal. in lib. præcipuè Meth. tradidit, nunquam diſceſſit, ideoque varia adhibet medicamenta, prout modò ſuppurare contendit, modò purgare, modò carnem generare, modò cicatricem inducere: vultque, ut medicamentum omnibus vulneris partibus admoveatur, unde cap. 9. agens de medicinis ſarcoticis, dicebat: Et non dubitamus, quin ſit neceſſarium, ut pulvis earum ſit minoris virtutis, quàm illud, quod eis fit cum oleis, & ceratis. Et neceſſitas quidem perducens ad olea, & cerata eſt, propterea quod medicinæ ſiccæ, & propriè quæ ſunt ſicut lithargyrus, & reliquæ minerales, ex Gal. hæc deſumpſit 3. Meth. 4. non ſubmerguntur uſque ad profundum, & non penetrant in poros. Cum ergo ex eis fit ceratum, ad ultimum facit pervenire eas curſus olei ad locum, quem volumus. Sed 5. 4. tract. 2. cap. 9. quotidianam ſolutionem probaſſe liquidò conſtat, tractans enim curationem fracturæ cum vulnere ab Hip. doctrina recedit, præcipiens, ut ulcus ſine vinculo relinquatur, quo poſſit ei propria adhiberi curatio; immò

haſtellas

haſtellas è directo ulceris collocans, vult eas è regione vulneris eſſe perforatas ut ſanies poſſit effluere, & congrua medicamenta applicari mane, & veſpere: Et hoc ingenium eſt, dicebat, ut ponatur extremitas ligamenti ſuper labium vulneris, deinde trahatur, vel involvatur tranſverſaliter ad poſteriora, ita ut remaneat vulnus ipſum apertum, &, quod eſt præter ipſum, ſit firmum ex eo, ita quod jam aſcendit ligamentum, & deſcendit ligamentum, ut cadat ſupra fracturam ſtrictura vehemens, & remaneat vulnus apertum, ut diſcooperias ipſum, quando volueris, & tibi ineſt, ut facias ſuper haſtellas foramen oppoſitum illi vulneri, ut perveniat, vel applicetur medicina vulneris ſuper ipſum, & ſit poſſibilis egreſſio virus ab eo. Et paulò poſt: Et cum voluntas fuerit ſolvere illud, quod tegit vulnus, mane, & veſpere, eſt magis poſſibile propter curationem ejus propriam. Clara igitur eſt mens Avicennæ.

A poſterioribus non habemus, niſi quod ab iſtis traditum eſt. Rhaſis 2. parte Continentis lib. 28. tract. 1. c. 2. pluries Gal. ſententiam de rara ulcerum ſolutione repetit, ſed nihil ulterius addit. *Rhaſis quid ſenſerit.*

Ex recentioribus Theopraſtus Paracelſus unica medicamenti impoſitione poſſe vulnus ſanari cognovit, etiamſi ex iis fuerit, quæ tardè ſanantur, ſed totum medicamenti viribus, quæ tanto tempore perdurent, tribuendum eſſe exiſtimavit. Hinc in ſua minori Chirurgia cap.... Cura poſtmodum ſequitur in hanc ſententiam, ut hoc medicamentum, quod vulneri ſuperponis, applicare probè notum habeas. Quod quidem experientia Mumiæ conditionum acquiritur, ut in emplaſtris, nonnulla manent ab exordio primæ deligationis ad finem uſque ſanationis, ut unico ſub emplaſtro curetur vulnus: talia ſunt ex Mumiis fixis emplaſtra. Quæ tamen reverberatæ Mumiæ ſunt, viginti quatuor horis dumtaxat relinquuntur, & quæ ſunt attractivis commixtæ, duodecim, & hoc omne cum permutatione. Sunt & aliæ Mumiæ quædam ex balſamali Mumia, quæ ſemel adligatæ vulneribus per tres, vel quatuor ſeptimanas ſuas retinent vires. Pannis etiam mundiſſimis ligationes cum fiunt, quodque vulnus curari, ſanarique poteſt. Aliqui pulveres habentur, qui ſingulis octonis renovari volunt horis, quod ad ſuppoſitionem attinet. Similiter aliæ Mumiæ ſunt, qua- *Paracelſus acceſſit ad hunc modum.*

rum ſuperius multarum eſt facta mentio, quæ multò citius curant, quàm futura fieri queat. Itidem nonnullæ vulnerariæ potiones exiſtunt, quarum hauſtus unus in tertiam, aut quartam ſeptimanam operatur, donec ſanetur vulnus, uti Mercurialis fert conditio. Mumiales hujuſmodi conditiones ex Mercurio poſſunt intelligi, qui poſtquam ſemel cœpit mundificare, per menſem integrum abſque motu ſupplet. Ab experientia proprietates iſtas depromere debes, quod ſcriptis perfectè nequeant exponi. Sicuti autem verum eſt, poſſe quorundam vulnerum ſolutionem ad trigeſimum differri, ita vanum prorſus exiſtimandum eſt, hoc evenire, quia vis medicamenti toto illo tempore integra ſervetur. Effectum vidit, & confeſſus eſt, ſed cauſam ignoravit, diſtinguere neſciens, in tegumento vis conſiſtit, non in medicamento. Vaticinatus eſt igitur quodammodo Paracelſus hunc modum non aſſequutus. Parum tamen abfuit, ne ad eum perveniret.

Contra Paracelſum.

Quare novus omninò ſtatui debet hic curandi modus. Cujus tamen inventioni occaſionem exiſtimo dediſſe Hip. ipſum, atque Gal. ſed Hip. præcipuè in ſupra allatis locis. Cum enim Hippocratem cernerent fracturas cum ulcere curantem, ac ſi ſine ulcere eſſent, & nihilominus non ſolùm nihil mali accidere ipſi vulneri, verùm potius ea fœliciter curari, naturæ vires cæperunt conſiderare, & admirari, atque tegumentum illud, quo vulnera foventur, non leve adjumentum præſtare ſuſpicati ſunt: & adhuc magis tegumento tribuerunt, videntes, quàm improbet Gal. 3. de frac. tex. 43. partes eſſe deſtitutas naturali, familiarique earum tegumento, ſcilicet cute, qua maximè delectantur, amet verò, ut eadem contegantur: cur enim naturale tegumentum adeò proſit, conſiderantes, viderunt, non diſſimiles utilitates ab artificioſo poſſe provenire. Sed maximè eos confirmavit Hipp. lib. de artic. com. 4. raram ſolutionem præcipiens in ulceribus cum luxatione, etiamſi multum puris emittant, quamvis non ulceris gratia id fecerit, ſed convulſionis metu: id enim evidentiſſimum eſt ſignum, ſubjectas partes à tegumento illo ſolatium percipere, ac roborari. Eoſdem naturæ vires, ac tegumenti in plantarum inſitionibus fuiſſe contemplatos conjicio, obſervantes, quo-

Unde deſumpſerint & quomodo invenerint primi auctores hunc modum.

quomodo prudens agricola, ubi fructiferam aliquam plantam inserverit, vulnus & insito, & agresti plantæ illatum non aliter, quàm tegumento curet, & in eo tantummodo laboret, ne detur ambienti ad plagam ingressus, cera, & resina tegumentum parans, & de cætero naturæ curam reliquens, & quomodo si forte fortuna, aut præ incuria exiguum aliquod foramen fuerit relictum, pervadente aëre tabescat insitum. Si enim arbor sauciata, quæ impatibilis est, ac densissimæ substantiæ adeò aeris occursu offenditur, tegumentoque parato illatum vulnus corrigit, videtur quàm optimè posse transferri casus ad ipsum humanum corpus. Itaque omnibus his diligenter perpensis arbitror eos, sicuti Hip. curabat fracturas cum ulcere, ac si sine ulcere forent, ita ulcera sine fractura existentia, ac si cum fractura essent, quantum scilicet spectat ad solutionem, curare cœpisse: solutionem quoque adhuc magis differentes, quod deligationis gratia solutione non erat opus, cum satis sit in vulneribus, si deligatio medicamentum, & apposita lintea contineat. In levioribus tamen casibus hanc curandi rationem primùm expertos fuisse verisimile est; experientia verò confirmante, quod ratio invenerat, ad majora, & graviora vulnera paulatim fuisse progressos, donec voti facti fuerint compotes. Forsan etiam impulsi sunt, ut id experirentur, quod Romano xenodochio præerant, & propter languentium multitudinem optimè illis cessisset, si à quotidiana illa, & operosa vulneratorum medicatione potuissent discedere.

Qui hos sequuti sunt, plerique in medendi methodo parùm versati; ut qui Empyricam potiùs, quàm Rationalem Medicinam excoluerunt, conspicientes Gal. loca, quæ superius adduximus, nescientesque sese explicare, ad id venerunt, ut existimarent, viam hanc curandi non posse in doctrina Gal. defendi, & proinde soli experientiæ standum esse. Sæpiùs disceptavi ego Romæ de hac re cum iis, qui maximè modum hunc observabant, & nefas existimabant aliter curare vulnera; & cum eos urgerem rationibus ex Gal. doctrina depromptis, aperte fatebantur, non convenire hunc modum cum doctrina Gal. adesseque contra eum rationes insolubiles, quæ tamen erant parvifaciendæ,

ut

ut quæ contra ſenſum militarent. Jam autem oſtendi, eum non ſolùm eſſe rationi conſentaneum, & veræ methodo, verùm etiam principiis Hip. & Gal. nec eſt inconveniens, quod Hip. & Gal. doctrinæ conſentiat, & quod ipſi eum non viderint, non enim neceſſarium eſt, ut omnia, quæ in principiis noſtris continentur, videamus.

CAPUT XLIV.

Solvuntur argumenta, quibus ab initio probabatur, ad curationem vulnerum neceſſariam eſſe crebram ſolutionem.

QUamvis ex jam dictis pateat, quid ad argumenta crebram ſolutionem probantia, & raram tollentia, ſit reſpondendum, nihilominus propter juniores non gravabor ea repetere, ex quibus uniuſcujuſque ſigillatim ſolutio deduci poſſit.

Ad primum argumentum Reſponſio.

Quod igitur ad primum attinet, admittimus generari in vulnere cavo duo illa excrementa, tenue videlicet, & craſſum, ſed ob id crebram ſolutionem, & detectionem requiri prorſus negamus, neque neceſſaria eſt crebra illa medicamentorum appoſitio: quod enim ad tenue excrementum attinet, partim per inſenſibilem halitum digeritur, partim à calore robuſto extra vulnus propellitur: craſſum verò à principio eſt adeò exiguum ut medicamentis, quæ ipſum detergeant, non indigeat; immò à detergentibus medicamentis à principio adhibitis vulnus potius incrudeſceret, & irritaretur, cum aliquam mordendi vim habeant, & ex conſequenti fieret ſordidius. Licet autem à principio craſſum hoc excrementum non auferatur, ob modicam tamen quantitatem nullum negotium poteſt faceſſere: procedente verò tempore cum pure confunditur, & unà cum eo à roborata natura, modò adſit idoneus effluxus, extra pellitur. Inde eſt, quod quando poſt aliquod tempus vulnus ſolvimus, ipſum adeò purum comperimus, ut æquè purum quovis medicamenti genere ipſum reddere non eſſet facile, quare in hoc curandi modo excrementa intra vulnus nequaquam detinentur, ut ab iis quidpiam mali ſit timendum. Quod ſi ita eſt, cur voluerimus periclitari crebro vulnus ſolventes, injuriiſque externi aeris exponentes, ut medi-

medicamenta quotidie applicemus, & vulnus emundemus? Non quidem adeò abhorrerem à quotidiano medicamentorum uſu, quotidianaque vulneris abſterſione, ſi citra detectionem tranſigi negotium poſſet. Modò cum id non liceat, non eſt, cur aliquam utilitatem procuremus, & majus damnum negligamus: nam, ut aliàs dictum eſt, damnum, quod ex crebra detectione vulneris oritur, eſt majus, quam utilitas ex quotidiano medicamentorum uſu, & vulneris contrectatione proveniens.

Ad ſecundum dicimus, excrementa in vulnere genita partim per halitum inſenſibilem digeri, partim ſenſibiliter à natura extra vulnus expelli, quando idoneus adeſt effluxus, non autem in cavitate vulneris detineri, & propterea, ut emundetur vulnus, non eſt neceſſaria quotidiana procuratio.

Ad tertium dicimus, etſi pus generetur in vulnere, non ob id tamen ſolvendum eſſe quotidie vulnus, poſteaquam non intus detinetur, quo in caſu in argumento enarrata mala ſequerentur, ſed extra vulnus à robuſta natura propellitur, modò ſuffluxiones adſint, eòque facilius id contingit, quod ſub noſtro curandi modo non generatur pus illud viſcidum, quod abſterſionem manualem, & perennem medicamentorum præſentiam requirat. Quid ad Galenum, & Hippocratem dicendum ſit, patet ex iis, quæ ſuperius, utriuſque mentem inveſtigantes attulimus.

Ad quartam reſpondetur, pro vario ipſorum vulnerum ſtatu immutanda eſſe medicamenta, quando medicamentis fit curatio, & excrementorum cura ipſis medicamentis committitur. Et ideò qui communi modo curationem inſtituunt, id religiosè obſervant: at in noſtro curandi modo excrementorum cura pro majori parte ipſi naturæ committitur, unde & id propoſitum habemus, ut naturam adjuvemus, ac roboremus. Et jam oſtenſum eſt, longè majorem eſſe utilitatem, quæ à tegumento provenit, quàm illa ſit, quæ à medicamentis præſtatur propter robur, quod inde recipit naturalis calor.

Ad quintum ſimiliter dicitur, quanto magis vulnera ſunt humida, tanto ſicciora adhibenda eſſe medicamenta, quando medicamentis fit curatio, & excrementorum cura medicamentis

committitur: & ex consequenti, ut innotescat vulneris status, & quàm humidum sit, crebrò solvi debet. At jam declaravimus in nostro curandi modo excrementorum curam non medicamentis, sed naturæ demandari; & propterea in eo potissimùm laboramus, ut naturam in suis operibus adjuvemus. Si humida excrementa medicamentis essent absumenda, profectò necessaria esset crebra vulneris detectio, ut posset inspici, quàm humidum esset vulnus, & pro humiditatis ratione possent exsiccantia medicamenta apponi. Verùm medicamentis solummodo humida hæc excrementa non tollimus, sed præcipuè caloris naturalis ope, & ideo in nostro curandi modo non est necessaria crebra illa solutio.

Ad sextum ex dictis patet responsio, cum medicamentis curationem non faciamus, neque est, ut appositi medicamenti effectum observemus, quo nobis reddatur manifestum, an satis siccaverit, an potius ultra, vel citra, quàm par sit. Gal. hoc necessarium judicavit, quia medicamenti curationem absolvit.

Quo ad septimum, admittimus, imò fatemur, curanti Medico necessariam esse cognitionem status vulneris, tum, ut quid futurum sit, prævideat, tum, ut si quæ mala supervenerint, ea tollere, si verò futura sint, prohibere opportunis præsidiis possit: verùm negamus necessariam esse crebram solutionem, atque detectionem ad cognoscendum vulneris statum: & jam demonstrata est via, qua in cognitionem status vulneris, dum tegitur, pervenimus. Oculi mentis acutiùs intuentur, quàm corporis oculi, & sine instrumento corporeo videnda vident: At corporis oculi sine mentis oculis nihil intuentur, & in errores ducunt. Præterea & quando opus est, vulnus detegitur.

Ad octavum dicimus, & nos à principio lintea munda eligere, tum ut melius percipiamus, qualenam excrementum ex vulnere profluat, tum etiam ad ornatum, quamvis neque hoc sit absolutè necessarium. In posterum verò non curamus, si pure conspurcentur: neque enim ea liquore aliquo perfundere volumus, ut erat mos Hipp. in fracturis, ad quam perfusionem necessarium est, ut munda sint, & ut liquorem admittant, & ne liquor à sordibus inficiatur, alienamque, & adversam qualitatem inde

inde contrahat. Et ſi quis etiam vellet perfundere, poſſet conſpurcata lintea detrahere, mundaque apponere citra vulneris detectionem.

Ad nonum reſpondetur, quod neque tot, ac talibus linteis deligamus, neque adeo deligantes partem conſtringimus, ut ſupprimi pravi, ac tetri vapores poſſint. Si pus exitum habeat, tantò magis vaporoſa excrementa difflari poterunt, & ſi quæ forſan retineantur, nunquam tantum inferunt damni, quantum ex vulneris detectione proveniret, poſteaquam non intra vulnus, ſed ad circumſitas partes detinentur. In fracturis contingere facilius poteſt vaporum ſuppreſſio, propterea quod pluribus linteis partem deligamus, & magis adſtringimus. Si tamen in vulnere ex prava putredine elevarentur vapores, utilis eſſet, imò neceſſaria detectio, ſed hæc erit non vulneris, verùm conjuncti affectus curatio.

Ad decimum dicitur, nos plerumque multum deficere in cognitione internorum affectuum, & propterea amaremus, ut ſenſibus eſſent conſpicui, quò melius, & facilius, aſſequi eorum naturam nobis liceret, ſic enim & melius inſtitueretur curatio, cùm prima via, ut dicebat Gal. ſit cognitio morbi. Quandoque etiam vellemus eoſdem ſenſibus ſubjici, ut in iis curandis eo modo uti medicamentis poſſemus, quo magis efficaciter agunt, nam quæ ingeruntur, ſæpè nimis refracta, & exoluta ad affectam partem perveniunt. Quod ſi affecta pars externa foret, opportunis medicamentis tota die tegi poſſet. At de vulneribus alia eſt ratio. Optimè, & omninò quantum ad curationem ſatis eſt, innoteſcit vulnerum ſtatus, etiamſi oculis quotidie non conſpiciantur, ut ſuperius oſtenſum eſt, & in eorum curatione parùm actione medicamentorum indigemus. Ut ea igitur inſpiciamus, iiſdemque congrua medicamenta applicemus, non eſt. quod malum concitemus utilitatem longe excedens, quam ex inſpectione, & applicatione medicamentorum expectamus. Itaque neganda eſt ſimilitudo.

Ad undecimum patet reſponſio ex dictis: Præſagia in re vulnerum ſunt neceſſaria, & ideò ſtatum vulneris notum eſſe oportet. At quod ad cognitionem ſtatus vulneris, & ſupervenientium malorum neceſſaria ſit crebra detectio, negamus. Jam oſtenſum eſt,

quomodo absque illa detectione, ac inspectione satis hæc omnia cognoscamus.

Ad duodecimum facilis est responsio. Rarò tantus pruritus, tantaque erosio vulneratam partem afficit, ut ad solutionem intempestivam cogat. Quod si perferri non posset, neque displiceret solutio, si consuli aliter non posset. Patet autem talem solutionem vulneris curationem non respicere, sed adnexum symptoma, & de hoc etiam plura diximus superius, enarrantes casus, in quibus solvere oporteat.

Ad decimum tertium respondemus, negando majorem, quandoque enim ob urgentem affectum à regulari curatione discedere cogimur, ut illi consulamus, & quandoque morbum quempiam nec levis momenti spernere, imò & novum, eumque insanabilem etiam introducere. Quoniam ergo, cum urgent mala, ad talem curationem tanquam ad sacram anchoram confugimus, semper ne eodem prorsus modo erit agendum? Interdum sævitia symptomatis coacti posthabito morbo, & primaria causa symptomati occurrimus, dicendum ne est, ergo hanc curationem meliorem esse absolutè, ac præstantiorem ea, quæ præcipuæ causæ primò occurrit, & symptoma per ablationem morbi conatur tollere? nemo sanæ mentis profectò id assereret. Non igitur quia urgente quandoque conjuncto aliquo affectu cogimur crebrò vulnus solvere, dicenda est melior, ac præstantior curatio, quæ quotidie vulnus procurat, sed tanquam irregularis, & coacta proponitur, illa verò, quæ rarò solvit tanquam regularis, & præcipua.

Ad postremum respondetur, Hipp. dictum intelligendum esse de aliqua particulari curatione, qua sensibiliter imminui affectum videmus, & naturam affectus, ac præstantiam auxilii, quod primo posthabito deligere decernimus, omninò exploratam non habemus. Hoc enim in casu quando sub aliqua curatione sanatur morbus, non est tutum ad alia auxilia confugere, seu ad alium curationis modum. Nemo tamen sanæ mentis inficias ibit, ex arte esse, curandi modum immutare, quando melior haberi potest. Quamvis igitur sub communi modo sanentur vulnera, quia tamen tutius, & facilius sub hoc nostro modo, quàm sub illo

illo ſanantur, ille pro hoc dimitti poteſt, & debet. Sicuti multa medicamenta ab antiquis, & ab Hip. ipſo, atque Gal. excogitata, & approbata hodie reprobantur, cum noſtris temporibus meliora fuerint adinventa. Medicina, dicebat Hipp. lib. de vet. Med. jam ab antiquo exiſtit, & principium, & via inventa, per quam inventa & multa, & probe habentia comperta ſunt, per multum adeò tempus, & reliqua deinceps invenientur, ſi quis idoneus ſit, & jam inventorum gnarus ex his ad perquirendum accedat.

Ad ea pariter, quibus probabatur, eſſe contra methodum raro ſolvere vulnera, non eſt difficile etiam conſtitutis reſpondere. Ad primum quidem patet reſponſio ex iis, quæ dicta ſunt in eo capite, in quo explicatum eſt, quando detegere vulnus oporteat. Dictum eſt enim, adjuncti affectus ratione cogi nos ad ſolutionem, & detectionem vulneris. Sed cum ea ſit curatio adjuncti affectus, non vulneris, non eſt judicandus ob id fallax noſter curandi modus. Juxta artis præcepta facimus, quando ei, quod magis urget, occurrimus, reliquis, ſi fieri poſſit, non neglectis, quamvis talis curatio ſit coacta. Quid magis in arte medica tritum, quàm in acceſſionibus abſtinendum eſſe ab alimonia, & tamen non raro in acceſſione ipſa nutrire cogimur? Non eſt ergo vitio vertendum noſtro curandi modo, ſi quid interdum accidat, & adnectatur vulneri, quod majorem vim habens ad indicandam ſolutionem, quàm vulnus ad indicandum tegumentum, ad crebriorem ſolutionem nos cogat. Nonne & qui crebram ſolutionem amant, ſi fluxus ſanguinis urgeat, rarius vulnus ſolvere conſueverunt? Nihil eſt adeo firmum, quod varietas caſuum non immutet. Jubet Hipp. lib. de fract. poſt appoſitionem ferularum, ne ſolvatur vulnus usque ad vigeſimam diem, attamen Gal. eodem loco com. 1. tex. 43. inquit: Semper Medicus attendere debet ei quod magis urget, nec hujusmodi præcepta perinde atque lex habenda ſunt, quam violare nefas ſit, ubi omnia ſecundùm rationem non ſuccedant, & ideo etiam Hipp. ipſe dicebat: Si autem ferulis alligatis aliqua, ne oſſa probè ſe habeant, ſuboriatur ſuſpicio, aut quid aliud ſit, quod laborantem hominem infeſtet, circa dimidium illius temporis, aut etiam

parum antea ſolvendus eſt, ac deligandus. Ad confirmationem dicitur, ob tegumentum, modo ut decet paretur, non ſupprimi fuliginoſa excrementa, & pravos halitus, ut poſſint effatu dignam noxam inferre, ut ſuperiùs dictum eſt. Quare non debet ex hoc incertus judicari noſter modus.

Ad ſecundum negatur, ſub noſtro curandi modo congruis auxiliis deſtitui vulnera, etſi vis medicamenti appoſiti brevi diſſolvatur; permanet enim vis tegumenti, quæ magis poteſt, quam virtus illorum medicamentorum. Quod ex Gal. de vulneribus inteſtinorum objiciebatur, quæ hac etiam de cauſa, imo ea potiſſimum difficulter ſanantur, quia non poſſunt illis apponi pharmaca, ſicuti externarum partium vulneribus, quemadmodum in Gal. modo, qui medicamentis curam facit, id verum eſt reſpectu medicamentorum, ita & in noſtro reſpectu tegumenti; licet intra peritonæum contineantur inteſtina, & in loco calido maneant, adhuc tamen neceſſarium eſſet tegumentum, quod partis vulneratæ naturalem calorem foveret, ejusque difflationem prohiberet, cum propter vulnus promptè diſſipetur ejus ſubſtantia, & obtundatur qualitas, poſteaquam is caloris gradus, qui intra peritonæum reperitur, non ſufficit ad conſervationem qualitatis caloris, partibus intimis ob vulnus proprio, & naturali tegumento deſtitutis. Deſtituuntur ergo inteſtinorum vulnera non ſolùm medicamentis, verum etiam congruis auxiliis. Et ſi reliquis vulneribus adhiberi poſſent congrua auxilia, idque non fieret, id eſſet profectò contra methodum. In noſtro autem curandi modo, quando ad manus ſunt vulnera, poſſunt quidem medicamentis privari, non tamen congruis auxiliis, ut jam ſatis explicatum eſt: niſi omnia auxilia medicamenta dicamus.

Ad tertium negatur conſequentia, non valet: talis curandi modus non poteſt aptari omnibus ejusmodi morbis, ergo non eſt methodicus, quamvis enim morbus requirat ex ſui natura talem curandi modum, quandoque tamen conformatio vel ſitus partis eum non admittit. Qui quotidie curant vulnera, apponentes elychnia, ſeu tentas unguentis illitas, & extrinſecus lintea, quæ unguenta, ſeu aliud medicamenti genus receperint, quomodo idem præſtabunt in linguæ, hepatis, aut pulmonis, & aliarum

aliarum internarum partium vulneribus? In principiis inflammationum repellendum esse methodus curativa præcipit, quoniam ergo in pulmonum, & pleuræ inflammatione adhibere repellentia non possumus, quia omnibus inflammationibus aptari nequit talis curandi ratio, dicendane est prava, & rejicienda? Sed argumenti levitas adeo patet, ut opus non sit longiori explicatione.

Ad quartum facilis est responsio; locus ab auctoritate negative nihil probat: non sequitur, de hac curandi ratione non pertractarunt Hipp. & Gal. ergo non est bona. Artes enim per additamenta fiunt, nec primi inventores omnia videre potuerunt, quamvis principia posuerint, ex quibus potuissent colligi, & colligantur in dies plura, quæ ipsi non cognoverunt. Imo adhuc multa latere in artium principiis credendum est, quæ temporis progressu forsan elucescent, sicuti nunc inveniuntur multa, quæ priscis nostris fuere incognita. Principium est viribus maximum, & quæ in principio latent, sunt propemodum infinita. Hippocrates artem medicam tradidit, verùm de pulsibus non meminit. Galenus multo post tempore partem hanc excoluit, ac literis tradidit, reprobanda ne ergo pulsuum doctrina, quia eam ab Hip. traditam non habemus? Quando Hipp. aut Gal. usi fuere Rhabarbaro, Guajaco, Sarsa, China, Sassafras, & aliis permultis, quibus nunc passim utimur? nemo tamen, sanæ mentis ob id errare nos existimabit.

Ad quintum ex dictis patet responsio. Nostrum tegumentum non adeò perspirationem tollit, ut inde possit effatu digna noxa contingere. Neque par ratio est de calce, & de vulnerata parte, ibi enim calx supponitur male affectus ex casu in ipsum, ex quo ossa fuere disjuncta, & attritæ venæ, ideoque si nulla adhibita diligentia collocetur, ut si supra rem aliquam duriorem jaceat, veluti ibidem dicebat Gal. nec sæpius attollatur, verùm subinde à substratis stragulis calefiat, & prematur, periculum est siderationis. Unde ad rem non erit hic casus, nisi statuatur eodem modo tolli perspirationem ex tegumento, & eandem compressionem suboriri, quod tamen est falsum.

Primum quoque argumentum, quo evertebatur fundamen-

tum

tum nostri modi, facilè solvitur. Modus noster solam naturam sanationis vulnerum auctorem agnoscit, sed & eam auxilio nostro indigere accipit, sive in externis, sive in internis partibus fuerit vulnus, neque eam deserit, sed congruis auxiliis eidem opem ferre nititur. Quod si crebram medicamentorum appositionem non probat, hoc est, quoniam, ut apponantur medicamenta, fieri debet solutio, atque detectio vulneratarum partium, & ita exponuntur ambienti aëri partes, quæ ipsam nunquam anteà fuerunt expertæ, quod majus detrimentum afferre potest, quàm medicamenta utilitatem. Neque adeò improbaremus crebriorem medicamentorum impositionem in vulneribus externarum partium, si citra solutionem, & detectionem imponi possent. Nec minus medicamenta reprobaremus in vulneribus internarum partium, si vulneratæ partes, dum adhibentur, semper essent detegendæ, ac perfrigerandæ; sed citra hoc incommodum usurpantur, nam aut per os assumuntur, aut per sedem injiciuntur; & propterea iis utimur, & eo etiam sæpiùs, quoniam vis medicamenti per os assumpti, vel per sedem injecti brevi dissolvitur, adhuc magis in id genus vulneribus necessarius est creber medicamentorum usus, quoniam idoneum tegumentum renuunt. Ad Galeni loca patet, quid sit dicendum, omnia enim admittimus, neque nobis quidquam officiunt, posteaquam non est par ratio de externis, ac de internis vulneribus.

Ad secundum jam diximus, non eas congregari sordes in vulneribus, quæ non aliter, quàm medicamentis tolli possint. Ostendimus tenue, ac serosum excrementum unà cum pure satis esse ad ablutionem, ac detersionem sordium, quæ in vulneribus generantur, modò nihil mali supervenerit.

CAPUT XLV.

De turundarum, & penicillorum usu in vulneribus.

AD alteram difficultatem accedamus, quæ ad usum turundarum, & penicillorum attinet, videamusque num in vulnerum curatione his uti oporteat, nec ne. Hujus quidem nodi dissolu-

tio

tio maximè necessaria est ad confirmationem traditæ methodi, nam si horum usus sit necessarius, si turundas & penicillos ablegare sit contra methodum, protinus corruit noster curandi modus. Nemo esset adeò insipiens, qui ad decimam quartam, aut vigesimam, & ulterius etiam differret solutionem vulneris, intra quod turundæ, & linamenta continerentur. Pendet autem quæstionis solutio ex cognitione finis, propter quem hæc fuere inventa, necnon & effectuum ab eorum usu provenientium.

Cujus gratia inventa fuere linamenta.

Tres usus linamentorum.

Finis autem, cujus gratia fuere inventa, non est unus, nam & ut alicujus ulceris orificium hians conservent, quo pus liberum habeat exitum, ne fiat ulcus illud ferinum ab Hip. relatum lib. de loc. in hom. & ut os magis amplum reddatur, vel in amplitudine, quam habet, servetur, ut, si qua manualis operatio in osse sit necessaria, quod non rarò contingit in vulneribus cum ossis læsione, vel aliquod in vulnere contentum corpus extrahi debeat, id fieri commodè possit, utque illorum ope idoneum medicamentum parietibus vulneris melius hæreat. Guido Cauliacensis in octo casibus convenire turundam affirmabat. Primo in vulneribus, quæ volumus ampla reddere, abstergere, aut aliquid à fundo extrahere; ut sunt vulnera profunda, quæ habent necessitatem, ejus sunt verba, contra aperiendi, propter ichorem, qui congregatur in fundo, & in spatiositate sua. Secundò in vulneribus concavis, in quibus debemus carnem generare. Tertiò in vulneribus ab aere alteratis, quæ oportet mundificare. Quartò in vulneribus contusis. Quintò in apostemosis. Sextò in morsivis. Septimò in vulneribus, in quibus circa ossa est operandum. Octavò in vulneribus ulceratis. Sed esto plures sint casus, illud certum est, propter supradicta tria tantùm linamenta in usum revocari. Quæ quidem pro varietate figuræ varias recipiunt nomenclaturas.

Turundæ.

Elychnia, & penicilli.

Turundæ oblongæ sunt, ac teretes, & aliquando clavo similes, & hæ propriè turundæ dicuntur. Quæ verò æquales sunt elychnia seu licinia, & peniculi, seu penicilli, atque hastellæ dici solent à barbaris, omnes communi nomine tentæ appellantur. Quæ non alia ratione imponuntur, quàm ut apertum servent vulneris orificium, ex filamentis evulsis plerumque, non rarò ex tenui, & veteri linteo; quandoque ex stupa optimè pexa, vel cotone confi-

ciuntur. Eædem quandoque cannulatæ fiunt, ut pus ſtatim per foramen expurgetur: taleſque parantur vel ex tela cerata, vel argento, vel plumbo, aut alia ſimili materia. Quæ imponuntur, ut vulnus dilatent, ex ſpongia compreſſa diligenter, & contorta ſæpè machinantur, non raro ex medulla cannæ ſurgi, & ſambuci, & interdum ex gentianæ radice. Hujuſmodi enim turundæ, dum excrementis ulcerum imbibuntur, tumefiunt, & ampliorem locum requirunt, unde neceſſe eſt, ut vulnus fiat magis amplum. Quæ immittuntur, ut medicamentum ulceris parietibus hæreat, ex molli materia conficiuntur, filamentis videlicet evulſis, goſſipio, ſtupa tenui benè pexa, linteo tenui, ac veteri, & hujuſmodi: quamvis quacunque ex cauſa illis utamur, raro abſque congruis medicamentis immittamus.

Parva ſplenia vulgo faldelle.

Sunt alia linamenta lata, quorum uſus eſt in amplioribus ulceribus, quæ ob id parva ſplenia dici ſolent ad magnorum differentiam, quorum uſus præcipuus eſt in fracturis ad æquandam partem, ut conveniens poſſit fieri deligatio. Conficiuntur plerumque ex filamentis evulſis, interdum ex tenui ſtupa, rarius ex goſſipio, aut lana, & idoneis medicamentis illita per ulcus, quod amplum ſit, diſponuntur. Si periculum igitur immaturi coalitus labiorum vulneris citra linamentorum opem evitari nequeat, ut crebra medicamentorum impoſitio ſit neceſſaria, ita ut aliquo etiam tempore intra vulnus pemaneant, & aliqua manualis operatio conveniat, quæ amplitudinem, quam modo habet vulnus, aut etiam majorem, requirat, utique neceſſarius erit turundarum, & ſpleniorum uſus, & ſine ipſis vanum eſt ſperare, poſſe curationem tranſigi. Sed abſque turundis, & ſpleniis evitari poteſt immaturus labiorum vulneris coalitus, neque neceſſaria, imò minus utilis eſt crebra illa medicamentorum immiſſio, igitur tunc tantum erunt hæc neceſſaria, quando convenit Chirurgica operatio, quæ vulneris amplitudinem requirat. De medicamentorum neceſſitate, & congruentia ſatis, ſuperque actum eſt ſuperiùs.

Tunc tantum conveniunt linamenta quando neceſſaria eſt aliqua manualis operatio.

Poſſe verò abſque turundis, & penicillis præpediri, ne vulneris labia immaturè conjungantur, non eſt difficile oſtendere; vulnus enim cavum, de quo ſolo poteſt eſſe quæſtio, nam ejus, quod ſimplex eſt, nihil, omnium conſenſu, inter oras agglutinandas

das interponi debet, aut eſt latum, & amplum, aut anguſtum, & ſtricti, ut ajunt, orificii, & utrumque vel eſt profundum, vel potius ſuperficiale. Si vulnus latum ſit, ac ſuperficiale, nemini dubium eſt vanum eſſe inter labia ipſius aliquid ponere, ut immaturus coalitus impediatur, atque puri liber ſervetur exitus, ſiquidem quod generabitur, deliteſcere in tali vulnere, ac retineri non poterit, labia verò cum diſtent, quomodo coibunt? Aliàs dictum eſt, & in eo omnes conſentiunt, ut labia vel ſimplicis vulneris agglutinentur, requirit, ut ad mutuum, contactum adducantur, & adducta conſerventur. De labiorum igitur coalitu ante reparationem deperditæ ſubſtantiæ, cujus interventu ad priſtinam continuitatem redire debent ſolutæ partes, non eſt dubitandum. Pariter ſi vulnus profundum ſit, verùm amplum, & ſatis patentis orificii, quamvis citra multi puris generationem non poſſit res tranſigi, neque neceſſarius eſt turundarum, & penicillorum uſus, ut vulneris orificium apertum ſervetur; nam cum labia ſatis diſtent, agglutinari non poterunt, ſed expectanda eſt ipſorum unio ab interventu novæ carnis, quæ non ſtatim generatur, ſed tunc tantùm, quando ſubjecta caro convenientem habuerit diſpoſitionem, unde generatio puris præcedat, oportet, ac ipſius expurgatio, qua ratione dicebat Hip. l. de ulceribus: Ulcera non purgata non committi ſolent, etiamſi adducantur, neque ſua ſponte coëunt: ſi adducta non committuntur, ſcirem ego libenter, quonam medicamento uterentur, qui turundas ita complectuntur, ut ſic diſtantia coirent? Neque etiam poſt vulneris expurgationem credendum eſt, claudi poſſe vulneris orificium, antequam cavitatis profunditas ſi repleta, citius enim ſemper generatur caro in fundo, ubi naturalis calor eſt robuſtior. Continuus quoque excrementorum affluxus ad vulneris orificium in cauſa eſt, ne labia coeant ante cavitatis repletionem, humecta enim caro, dicebat Gal. coire nequit, & hoc in dies, experimur. Licet autem his de cauſis non coeant vulneris labia ante cavitatis repletionem, mirum tamen apparet naturæ artificium in curatione vulnerum, quandiu regulariter operatur, quæ paulatim cavitatem repleat, & uniat, orificium ſervans ad excrementorum expurgationem, donec cavitas ſit repleta, & nihil ſit amplius, quod expurgari poſtulet.

Artificium naturæ.

Admittunt aliqui probam carnem adnaſci non poſſe vulneris orificio ante ipſius expurgationem, mollem tamen quamdam carnem ſuccreſcere dicunt non raro, quæ niſi turunda immittatur, ſi vulnus fuerit punctim inflictum, ejus orificium clauderet, ac puris expurgationem prohiberet. In noſtro tamen curandi modo, quoniam robori naturalis caloris conſulitur, non ſuccreſcit mollis hæc caro, priuſquam proba in cavitate ſit genita, in ea ſaltem quantitate, quæ vulneris expurgationem poſſit prohibere. Non ergo, ut ſervetur patens ampli, & profundi vulneris orificium, conveniunt linamenta.

Sed neque propter uſum medicamentorum, præterquam enim quod plus affert damni, quam utilitatis crebra illa medicamentorum impoſitio, ſi quandoque neceſſaria fuerit vis alicujus medicamenti, non erit machinari difficile, etiamſi linamentis non excipiatur medicamentum, ut vis ipſius ad fundum vulneris penetret? hoc enim à congrua medicamenti forma habetur. Et ideo Gal. 3. Meth. 4. ut hoc conſequatur, turundis, aut penicillis non excipit medicamentum, ſed liquat. Semper autem ſupponimus, idoneum effluxum adeſſe pro expurgatione materiæ. Si verò anguſtum ſit vulnus, cum vel ſectione, vel unica, aut altera turundæ immiſſione ad tantam amplitudinem reduci poſſit ejus orificium, quanta ſatis eſt ad ejus expurgationem neque hic neceſſarius erit linamentorum uſus, ut vulnus hians ſervetur, modò cuncta obſerventur, quæ ad ſubfluxiones attinent. Neque hæc ſibi adverſari exiſtimes, ſemel, aut bis in tali caſu turundam imponere, & uſum turundarum ablegare, ut illis ſervetur recluſum orificium vulneris: quando enim ſemel in caſu propoſito adhibetur turunda, non id fit ea ratione, ut conſervetur apertum oſculum vulneris, nam in hoc caſu non ſemel eſſet imponenda, ſed ut paretur effluxus. Sed quid, ſi loca periculoſam ſectionem faciant? rarum eſt admodum nullam prorſus poſſe fieri ſectionem, & quando hoc contingit, non minus periculoſus eſſet turundarum uſus, ut quæ partem nervoſam diſtendant, & ſævos dolores concitent, quod niſi eſſet, ſemel, aut bis immitti turunda poſſet. Quando tamen aditum turunda habuerit, egredi non minus poterit materia, ſi cætera ritè peragantur. Hæc grano ſalis, ut ajunt, intelligi volumus; neque enim, ſi cu-

ſi cujuſpiam vulneris ſanationem propter complicationem alterius affectus, vel in gratiam alterius vulneris, remorari oporteret, linamenta reprobarem: imò neceſſaria prorſus eſſent. Defeciſſe ne me judices, qui fines explicans, propter quos linamentis in curatione vulnerum utimur, iſtius non meminerim, nam quæ ad vulneris curationem faciunt, intentio erat proponere, non quæ illam impediunt.

Conveniunt linamenta quando remoranda eſt ſanatio vulneris in gratiam alterius affectus.

Quòd verò quandoque oporteat vulneris ſanationem impedire, patet in vulneribus thoracis, & abdominis, cum unà aliquod viſcerum eſt læſum, cujus curatio longiori tempore abſolvitur, quàm externi vulneris, quod ſi carnoſam tantùm partem habeat, ex ſe non eſt magnum, & ut reliqua vulnera in carnoſa parte exiſtentia, non multum profunda, brevi ſanari poteſt. Ut ergo ab interno vulnere pus emanans expurgetur, cum alia non adſit via, externi vulneris ſanationem prohibere oportet, quamdiu internum vulnus expurgatione indiget, quo purulenta materia per ipſum effluat. Atque ita tunc neceſſaria eſt turundæ impoſitio, cujus verò ſortis ſuo loco explicabitur. Idem eſt, ſi vulnerato thorace, multus ſanguis intra ejus capacitatem fuerit effuſus.

Si ergo non ſunt neceſſariæ turundæ in vulneribus, niſi in ſupradictis caſibus, neque conveniens earum uſus cenſeri debet, ſi quæ bona, vel mala afferant, conſideremus: partem enim comprimunt, ac diſtendunt, eidemque ſunt oneri, unde & ad commovendam fluxionem non parvam vim habent. Præternaturale etiam eſt, ac moleſtum parti vulneratæ à re extranea tangi, cum prius non alia niſi naturalis partis communione frueretur. Addamus, quod turundæ, ac penicilli, & omnia denique linamenta brevi purulenta materia imbibuntur, & inde malam qualitatem naturalibus partibus adverſam acquirunt. Habent hoc inſuper, quod pus ſupprimunt potius, quàm evacuent, niſi feneſtratæ ſint, ſeu cannulatæ. Hinc Hipp. earum uſum damnat 5. morb. pop. text. 13. loquens enim de Maſſilienſi, cui currus onuſtus inductus eſt ſupra coſtas, ut coſtas confregerit, & per tempus ſubſtiterit ipſi pus infra coſtas, hæc habet: Uſtus ſub ſplenem penicillis, & linamentis utebatur, & pervenit ad decem menſes. Refecta vero cute caverna apparuit ad tenue inteſtinum utrinque procedens,

Damna ex uſu turundarum provenientia.

Damnatur uſus turundarum ab Hip.

& ad renem, & ad oſſa procedebat putrida. In hoc non animadverſum eſt, quod & corporis habitus bilioſus erat, & in corpore putredo ſicca tenuis inteſtini multa, & aliarum carnium, quas ſtatim ejicere oportebat, ſi quis potuiſſet, ſicco pharmaco, dum robur aliquod homo habebat, nam ab humidis nihil remittebatur, ſed putreſcebat, à linamentis verò inditis, cum humor ſiſteretur, rigor corripiebat, & febris, & magis putreſcebat.

Dicet quipiam, librum hunc non eſſe Hipp. ſed librum de Ulceribus adeamus Hipp. omnium conſenſu legitimum, ubi tex. 2. ſic loquitur: At vero recentia vulnera omnia tum ipſa, tum circumſitæ partes minimè inflammationem incurrent, ſi quis quàm citiſſimè ſuppuret, & pus ab oſculo ulceris non interceptum ſupprimatur; quibus verbis procul dubio ſuppreſſionem puris denotat à turunda factam: in hoc forſan carpens Medicos ſui temporis turundis utentes. Unde apud ipſum legimus, quod in vulnera inſtillet, illiniatque vulneribus, & inſpergat, non autem quod turundas, aut penicillos imponat. Ita eſſe comperies, ſi libellum de Ulceribus percurras. Nec eſt, quod aliquis dicat, hoc ab Hipp. ſupponi, nam ubi de fiſtulis pertractat, expreſſam facit turundarum, & penicillorum mentionem lib. quoque de vuln. cap. apertè linamenta reprobat, niſi ad amplum reddendum vulnus, quando in oſſe operari oporteat, neceſſarius ſit eorum uſus, tex. enim 18. dicebat: Ulcus in capite nullo humore humectare convenit, ac ne vino quidem, neque cataplaſmate contegere, neque linamento curationem facere. Et inferius. At in reliquo capite ulcus neque linamentis, neque cataplaſmatis, neque deligatione curare oportet, ſi non & ſectione opus habet. Quod & ex tex. 20. colligi poteſt. lib. de fract. quando agit de fract. cum ulcere nullam facit linamentorum mentionem, neque lib. de artic. agens de luxatione cum ulcere.

Galenus in hac re varius videtur, nam lib. de fract. com. 3. tex. 21. vulnera abſque linamentis curat, inquit, enim: Ego plures graviſſimè vulneratos curavi appoſitis ſuper ipſum vulnus (ecce neque turundas, neque alia linamenta adhibet) linteis multiplicibus ejusmodi vino madentibus, ſuperadditaque ſuperiùs molli

molli ſpongia, quæ diem, ac noctem totam ſubindè perfundebatur: ſuppoſito tamen ipſi membro vnlnerato, ad pedes videlicet, corio leviter concavo, ut per id affuſum vinum, quaſi per canalem, deflueret, quod deinde pelvi vacua exceptum denuo poſſit affundi. At 5. de com. med. per gen. cap. 10. in deſcriptione unguenti Iſidis ex Critone uſum linamentorum probare videtur, quatenus admittit, quæ de Iſidis uſu à Critone dicuntur, ſic enim ait Crito: Iſis, quam nonnulli Epigoni vocant, per ſe ad ſquamarum abſceſſus facit, item craſſorum oſſium fracturas innatantes juvat, linamento, vel ſplenii modo impoſita. Et inferius: Ipſa temperata ad omne vulnus linamento, & ſplenii inſtar adhibita valet. Idem habetur pluribus aliis in locis ejusdem libri. Iisdem uſum fuiſſe Galenum colligitur. 6. Meth. 3. inquit enim, de curatione vulnerum nervorum cum eorum denudatione loquens: Si vero robuſtus ſit, qui vulnus accepit, & cui corpus ſit à ſupervacuis humoribus mundum, in his fas eſt valentioribus remediis nonnullis uti, veluti ipſe aliquando, cum id genus vulneris in carpo accepiſſet juvenis quidam Philoſophiæ ſtudioſus, alioqui corpore bene habito, & tunc æſtivo tempore peruſto, ex Polyidæ paſtillis ſapa ſolutis, poſteà ſuper calida aqua tepefactis linamenta imbuta impoſui. Et ſi percurramus Galeni libros de com. med. per gen. comperiemus uſum linamentorum eſſe valde antiquum.

Argumentis, quæ neceſſitatem uſus turundarum, & penicillorum, ſeu linamentorum probabant, non eſt difficile ex dictis ſatisfacere. Ad primum enim dicimus, ex uſu potius, quàm ex ablegatione turundarum, & linamentorem generari poſſe ulcus illud ferinum Hipp. poſteaquam oſculum vulneris occludunt, & pus ſupprimunt, & præterea fluxionem advocant: & quidem non mediocria mala ex eorum uſu ſubſequuta frequenter obſervavi, nam pus ſuppreſſum malam qualitatem acquirit, in anguſto, & calido loco detentum, partem diſtendit, & propria mole, & vaporibus, quos mittit, & hi halitus, cum pravi ſint, maximeque ob tenuitatem penetrent, partem male admodum afficiunt: non mirum igitur, ſi inflammationes, abſceſſus, putredines, & corruptiones partis adveniant: quorum tamen cauſam, adeo

excæcati

excæcati ſunt, non in pravam curationem, ſed in aliud quoddam infortunium referunt, veluti faciebant illi Chirurgi Hipp. tempore, qui male fracturas cum ulcere deligabant, cum enim inde multa mala ſequerentur, non tamen, ut refert Hipp. lib. de fract. deligationem hinc inde factam, ſed aliud quoddam infortunium cauſam dicebant. Quidam amicus meus, in hoc maximè delinquere ſolitus, ad aſtra confugiebat. Profecto ſi aſtra valent hominibus malum afferre, inimicum aliquod aſtrum illis eſſe cenſendum eſt, quibus talis curandi modus adhibetur: unde non male omnino aſtrorum aſpectus damnabat. Omitto, quod turundæ, ac linamenta curationem protrahunt, quoniam hoc aliquibus placet. Mira turundarum virtus, vulnus replent, cui adhibentur, & crumenam exhauriunt, quam nec tangunt. Sed hæc miſſa faciamus. Imponere igitur turundas, & linamenta id eſt, quod pus ſupprimit, & ulcus ferinum facit, non autem citra uſum ipſorum curationem facere. Nam quando non immittuntur, os vulneris manet patens, & continuo purulenta materia poteſt excerni abſque ullo impedimento, nullaque fluxioni præſtatur occaſio. Neque eſt, quod vereamur de immatura labiorum agglutinatione, ſiquidem, ut coaleſcant, neceſſarium eſt, ea ad mutuum contactum adduci, at nos potius curamus, ut diſtent, cum abſque generatione carnis uniri nequeant, quæ tamen ante vulneris ex purgationem generari non poteſt: atque ne prius generetur in labiis, quam inprofundo, in cauſa, eſt quod calor magis viget in fundo, quàm in labiis, & quod materia indeſinenter affluens eadem humectat, & ita generationem carnis remoratur, ſicut & ipſorum agglutinationem prohibet: quam etiam à principio impedit medicamentum, quod labiis vulneris admovemus, quandoquidem, ut coalitus fiat, nihil inter oras agglutinandas contineri debet. Sed inſtabit aliquis, ſi turundarum uſus malus eſt, quomodo ex ipſarum uſu tot vulnerati ſanitati reſtituuntur? Hujus argumenti ſolutio peti poteſt ab eo capite, in quo explicavimus, cur vulnera ſanentur, etiamſi male curentur. Natura robuſta ſæpè errata contemnit, ut dicebat Hip. lib. de vet. Med. non ſemper uti turundis eſt maximum, & incorrigibile damnum.

Ad secundum facilis est responsio, quando medicamentis indigeremus ad curationem vulnerum, tali forma parari possent medicamenta, per quam absque turundarum, & linamentorum ope vis ipsorum ad unamquamque vulneris partem perveniret, immo longe melius; nam quando vulnus est valdè profundum, & angustum, non possunt admoveri linamenta omnibus vulneris partibus. Quod si liquabile medicamentum eliquemus, facile erit usque ad ima vulneris illud injicere. Et Galenus ipse liquabat medicamenta. Sed instabit aliquis, non satis est, si medicamentum perveniat ad unamquamque vulneris partem, sed insuper requiritur, ut vis ipsius perduret; laudanda igitur sunt linamenta, quæ longiori tempore medicamenta servant vulneris partibus hærentia: quæ enim instillantur, cito exeunt, vel ad unam tantùm vulneris partem se recipiunt, & nunquam omnes tangunt, cito etiam cum excrementis confunduntur. At jam diximus, nos medicamentis curationem non facere, paucoque tempore ipsorum virtute nos indigere.

CAPUT XLVI.

De erratis, quæ in hoc curandi modo committi solent.

DUo potissimum errata committi solent in hoc curandi modo, unum est nimis arcta deligatio, cujus ratione contingit, ut pars notabiliter vulnerata, dum in tumorem attollitur, quod fit crebro in magnis vulneribus, juxta illud Hipp. Si in vulneribus fortibus, & pravis tumor non appareat, ingens malum. non leviter comprimatur à deligatione, etiamsi à principio non videretur nimis arcta, unde dolores, ac fluxiones. *Primum erratum est nimis arcta deligatio.*

Secundus error plerumque parum, vel nihil curationi officit, sed turpem semper reddit cicatricem, interdum etiam sanitatem remoratur. Consistit hic error in mala labiorum compositione, malè autem potissimum committuntur labia, quando multipliciter secta, & lacerata est pars carnosa, & præsertim si in penitioribus partibus substantia carnis, vel ossis deficiat, ex hoc enim facilè accidet, ut labia vulneris inæqualiter committantur. *2. error.*

tantur, & unum altero ſit depreſſius, & non è directo ſibi invicem reſpondeant, ob idque ſanato vulnere turpis cicatrix remanet. In capite præſertim talis labiorum inæqualitas ſanitatem remoratur, eo quod pili depreſſionis labii inter oras agglutinandas interponantur, & quamvis eos ſcindas, & auferas, nihilominus renaſcuntur.

Quomodo evitetur, & corrigatur primus error. Primum errorem devitabimus, cavendo maxime à principio ab arcta deligatione, nihil aliud à deligatione quærentes præter retentionem appoſitorum, niſi vulnus ſit ſimplex, cui agglutinativam deligationem diximus convenire. At hujuſmodi vulneribus non ſuperveniunt effatu digni tumores. Quod ſi à principio laxa facta fuerit deligatio, ſed ſuperveniens tumor fecerit, ut pars vulnerata comprimatur à deligatione, quod ex majore partis mole, dolore, tactuque ipſo cognoſcitur, tunc neque opus erit vulnus ſolvere, ſed erit ſatis faſciam aliquibus in locis ſcindere, donec tollatur compreſſio. Et ſi poſtea ſubſidente tumore laxior, quàm oportet, conſpiciatur, ut ob id periculum ſit, ne ſuperpoſita vulneri contineri ab ipſa poſſint, inciſæ partes conſui poterunt. Quin ſuperinjecta alia tenui faſcia, licebit arctiùs deligare. Non aliter conſulitur, quando à principio nimis arctè deligatum eſt. Omne ſtudium adhibendum, ne in hujuſmodi errorem incidamus, quoniam una hac ratione contingunt ſæva ſymptomata in vulneribus, & præſertim capitis cum detectione membranæ: ut in decima nona in quodam orta fuerit univerſalis convulſio, quam Chirurgus, qui curam vulnerati habebat, propter contentam in vulnere ſaniem proveniſſe exiſtimans, ut ſaniei daret exitum, faſciam aliquibus in locis ſecuit, ſed tamen pus non apparuit tunc temporis, neque etiam altera die. Cum autem ſymptoma illud exinde fuerit ſedatum, compertum eſt, arctam deligationem totius mali fuiſſe cauſam, & eo magis id creditum eſt, quòd cum poſtea detegeretur vulnus, quod maximum erat, factum videlicet à telo ſecante cum deperditione tantæ ſubſtantiæ totius oſſis, & cutis, quanta eſt latitudo panis ſacrificiorum, nec non & ſubjectæ membranæ offenſa, tumefactam fuiſſe membranam deprehenſum eſt, & ſubſtantiam quandam ferè ad ovi gallinacei magnitudinem ſeparatam.

Secundo

Secundo errori occurrimus, si aut futura, laxa tamen, aut glutine nostro suprapoſito labium illud, quod non probè suum locum obtinere cernimus, cum sibi opposito diligenter connectamus, ita tamen, ne fiat talis adductio, ut impediatur effluxus. Modum tamen hunc praxis clarius oſtendet, quàm ſcriptura, & ob id ſatis eſſe eſt admonitum. *Quomodo secundo errori occurratur.*

Solet etiam error non contemnendus in applicatione medicamenti committi: exiſtimant enim nonnulli ſi linteum terebinthina illitum extrinſecus vulneri apponatur, ſatis eſſe ad fovendum calorem, non animadvertentes magnum diſcrimen eſſe inter vulneratas partes, cum aliæ ſint carnoſæ, multoque calore præditæ, aliæ vero excarnes, & exangues, paucique caloris; quo fit, ut illæ robuſtas habeant naturales facultates, iſtæ vero debiles: neque eandem eſſe noxam, quam inferunt hæc, & illa vulnera, alia ſiquidem fiunt à telo ſecante, alia à telo contundente, & lacerante, & in aliis multa deficit cutis portio, ac etiam carnis; vel ſaltem contuſa eſt, & malè habet ferè demortua, in aliis verò exigua: & ideo non æqua eſt naturalis caloris jactura, & ex conſequenti, neque medicamentum quoquo modo applicatum poterit naturalem calorem tueri, ac fovere. *Tertius error.*

Quando igitur pars vulnerata eſt exanguis, & pauco calore prædita, aut non levem jacturam paſſus eſt naturalis calor, non ſatis eſt linteum medicamento illitum extrinſecùs apponere, ſed priùs vulneri admovenda ſunt parva ſplenia ex filis evulſis eodem medicamento illita, dein ſuperponendum linteum; ſic enim perbellè fovebitur naturalis calor. Quin ſi valdè langueat naturalis calor, cum maximo fructu admovetur emplaſtrum, quod vim habeat naturalem calorem fovendi, ac roborandi, nec non & ſuccos reprimendi, diutiuſque vires ſuas poſſit retinere. *Quomodo evitetur tertius error.*

CAPUT XLVII.

De venæ ſectione in vulneribus.

Ut vulneratis particulis deperdita reſtituatur unitas, nec ſit quodpiam, quod naturam propria exercentem munia inter-

terturbet, aut remoretur, non solùm de procuratione vulneris, atque de localibus auxiliis solicitos nos esse debere dicebamus, verum & de succis, ac toto corpore, ex his enim, ut superiùs vidimus, non mediocria mala vulneribus supervenire consueverunt. Immo propter succos ex ipsa vulnerata parte aliquid non raro accidit toti, quod non leve facessit negotium, siquidem in plethoricis. & cacochymis, vulnerum etiam parvorum occasione febres pravæ accendi solent. Cum igitur jam explicaverimus, quæ ad procurationem ipsius vulneratæ partis attinent, reliquum est, ut quæ cura succorum, ac totius sit habenda, consideremus.

Quid præstet victus ratio. Tribus igitur illis artis Medicæ instrumentis, Diæta scilicet, seu ratione victus, Pharmacia, & Chirurgia, succis, ac toti consulemus. Victus enim ratio non solùm fluxionem inhibere potest, & materiam fluxionis subtrahendo, & occasionibus ejusdem occurrendo, verum etiam congruam materiam pro carnis generatione, & glutine subministrare, ac vires roborare. *Quid pharmacia.* Pharmacia verò & subtrahere materiam fluxionis, & excrementorum potest, & revellere, & ineptos reddere succos ad motum, eosdemque corrigere, vias angustas reddere, influentes succos repellere, & tandem præparare sanguinem, ut sit congrua materia glutinis, & carnis, & naturalem calorem roborare. *Quid Chirurgia.* Sicuti & ipsa Chirurgia & evacuare, & revellere potest. Quare de unoquoque istorum instrumentorum seorsum agendum est. Principium vero ab ipsis præsidiis Chirurgicis sumemus, ut quæ ad inhibendam fluxionem omnium maximè valent.

Venæ sectio principatum obtinet inter remedia fluxionis. Inter omnia verò presidia, quæ ad id conducunt, & ad prohibendam inflammationem, principem locum omnium consensu obtinet venæ sectio, cujus quidem rei ratio, ut innotescat, supponere oportet, quod aliàs ostensum est, vulneratam scilicet partem inflammationis periculo esse expositam pluribus de causis, primò quidem, quoniam & ob dolorem, & vulnus evadit imbecillior, ut etiam dicebat Gal. 3. Meth. 4. namque, ut aliàs dictum est, ob evacuationem sanguinis, & spirituum dissipationem, & detectionem partium, quæ nunquam anteà fuerunt ambientem expertæ, & disjunctionem partium, quæ se mutuò fovebant, fieri non potest, quin calor naturalis illius partis imbecillitatem contrahat,

trahat, & ex consequenti tota pars, qua ratione redditur facilis ad recipiendum, quod ad eam aliunde transmittitur.

Secundò quoniam propter evacuationem sanguinis è vulnere movetur sanguis ad vulneratam partem successione quadam, quasi vi vacui, & attractus etiam, veluti contingit per venarum sectiones in humorum fluxionibus; videmus enim, quomodo venæ sectio sanguinem aliò fluentem retrahat. Tertiò quoniam natura quod molestum est expellere desiderans, cum primis conatibus nihil profecit, vehementiùs aggressa, quod infestat, expellere, sanguinem, & Spiritum ad effectam exprimit, ut etiam fortiùs fiat expulsio, unde cum pars vulnerata jam sit imbecillior, & nequeat tantam sanguinis copiam conficere, & regere, necesse est, ut ibi manens ad putredinem convertatur, hinc inflammatio. Immò etiamsi natura copiosiorem sanguinem ad partem vulneratam non transmittat, sed solùm quod illius tempore anteacto consueverat, attamen & hic quandoque ad concitandam inflammationem sufficit, posteaquam ob imbecillitatem nequit eam alimenti copiam conficere, quam anteà, & ideo quod relinquitur, ad putredinem convertatur necesse est, & sic inflammatio facilè evenit, qua de causa Gal. 3. Meth. 4. Atque etiam si quod affluit pro naturæ modo se habeat, attamen vires ipsæ partium, quæ tum propter dolorem, tum etiam ex vulnere sunt imbecillæ, ne quod justum est ferent, sed veluti ab injusto gravabuntur: atque hinc omninò superfacua sanies proveniet; mirum etiam nisi & phlegmone.

Tandem quoniam ob vulnus tota sanguinea massa commovetur, & rationem irritantis subit. Ut igitur periculum inflammationis evitetur, necesse est, ut superiùs dicebamus, & indigentiam alimenti inducere, quo natura sanguinem sibi necessarium pro alimento retineat, non alio transmittat, nec non & studere, ut longè à parte vulnerata revellatur. Indigentia alimenti pluribus quidem modis induci solet, nam & inedia, & tenui victu, & frictionibus, & balneis, exercitatione, & hujusmodi aliis præsidiis inducitur, quibus etiam præsidiis leviorem plethoram auferri Gal. pluries docuit: sed quoniam urget periculum fluxionis in vulnerato, & periculum est in mora, hujusmodi autem præsidia non nisi longiori

tempore operam suam præstant, idcirco talibus non debemus esse contenti, immò aliqua ex iis omninò sunt prætermittenda, tanquam maximè noxia, videlicet frictiones universales, & balnea, quia humores attenuant, & fluxiles reddunt, & ipsum balneum insuper, si qua pars est in corpore imbecillior, ad ipsam humores commovet. Exercitatio quoque ipsa nemini dubium est, futurum, ut obsit potiùs commovendo ad partem vulneratam succos, quam evacuando prosit. Cogimur ergo adinvenire præsidium, quod celeriter, & efficaciter scopum hunc adimpleat, & nocumento careat; hujusmodi est ipsa venæ sectio, hæc enim sanguinem confertim evacuans, confertim etiam inducit hanc indigentiam. Huic igitur primo scopo apprimè satisfaciemus venæ sectione.

Venæ sectio optimum omnium remedium ad tollendam copiam, & indigentiam inducendam.

Præterea sanguis minùs influit, dum minùs abundat, subtrahitur enim materia fluxionis; at minor redditur celeriter ipsa venæ sectione, igitur & hæc vulnerato competit, tanquam ea, quæ materiam subtrahit, quæ aliàs influere posset.

Denique cum sanguis inflammationem concitet, motus ad partem vulneratam, aliquo opus erit præsidio, quod ipsum celeriter retrahat, si moveatur; vel si adhuc non moveatur, contrarium motum concitet, & aliò convertat, quod quidem multa præstare solent, nam & frictiones, & vincula, & sinapismi, & alia multa ad id faciunt, at omnium maximè, & celerrimè præstat venæ sectio, ut quæ immediatè sanguinis impetum convertat ad partem, in qua secatur vena. Contrarius siquidem motus excitatus in sanguine in causa est, ut si nondum influat sanguis ad partem vulneratam, prohibeatur talis fluxus, quia aliò retrahitur sanguis, & si influit, ut sistatur talis motus, contrario motu excitato. Quocirca pluribus nominibus manifestum est competere venæ sectionem in vulneratis, ut inflammatio prohibeatur, & ut evacuatorium, & ut aliò convertens præsidium. Hinc Galenus 4. Meth. 6. convenire detractionem sanguinis in vulneribus Hippocratis etiam testimonio comprobat, idque perbellè deducitur ex textu 3. libri de ulceribus, inquit enim ibidem Hippocrat. Omni recenti ulceri præterquam in ventre expedit ex ipso statim sanguinem plus minus effluere; (sic Galen. legit loco citato. Unde errorem

Venæ sectio optimum remedium ad inhibendum sanguis motum.

rorem noto in codice, qui vulgariter habetur, in quo ſic legitur; Omni recenti vulneri præterquam in ventre conducit frequenter ſanguinem defluere, prout opportunum eſſe viſum fuerit; niſi ſic intelligatur, frequenter conducit, ut ſanguis defluat) quippe phlegmone minus tentabitur tum ulcus ipſum, tum quæ circumpoſita ſunt loca.

Si igitur hoc ita ſe habet, quæro ab Hipp. cur conducit ex vulnere ſanguinem fluere? hoc non alia de cauſa profectò poteſt contingere, niſi quia aufertur inflammationis, & putredinis materia, unde ſubjungit: Quippe phlegmone minus tentabitur tum ulcus ipſum, tum quæ circumpoſita ſunt loca. Si ergo à vulnere non fluat quantum ſanguinis expediat, quid agendum? profectò arte ſupplere oportebit ei, quod deficiet: Num igitur irritabimus vulnus, ut ex eo fluat ſanguis? nemo ſanæ mentis id faceret. Neceſſe ergo erit aliunde mittere ſanguinem, quo non ſolùm ſufficiens ſanguinis quantitas evacuetur, ſed & aliò tranſmittatur ſanguinis motus, & ideò Gal. loco citato poſtquam ſententiam Hip. lib. de ulceribus propoſuit, ſubjungit: Poſt hæc autem ſi verba, quæ in libro de ulceribus ab eo ſunt ſcripta, tum quæ in aliis omnibus ſæpè propoſuit, recorderis, debere ſcilicet imitatorem eſſe Medicum non tantùm naturæ, ſed etiam eorum, quæ cum ſua ſponte veniunt, conferunt, clarè jam Senis mentem intelliges, de ſanguine, cum magna ſunt vulnera, detrahendo. Si namque expedit in talibus fluere ſanguinem, non autem effluxit, quod deeſt, ipſe adjicias oportet. Hinc com. 1. in lib. de hum. tex. 12. & libro de cur. ra. per ſang. miſ. dicebat: Jam verò non ſolùm incidenda vena eſt, cum ſubeſt plenitudo, ſed etiam ſine plenitudine in principio inflammationis, quæ ſit vel ex ictu, vel ex dolore, vel ex partium exorta imbecillitate, unde 6. Meth. 2. in punctura nervi ſanguinem detrahi jubet. Sed quod univerſaliter protulit, non eſt, quod ex particularibus colligamus.

Si verò tantum ſanguinis effluxiſſet è vulnere, ut ſublata eſſet ab eo fluxionis, & inflammationis materia, non oporteret ſanguinem mittere, ſublata enim fluxionis materia, levioribus præſidiis aliò facilè verti poterit ſanguinis impetus. Neque tunc adeſt, quod ſanguinis miſſionem per venæ ſectionem indicet, etenim venæ ſectio *Quando non conveniat venæ*

sectio in vulneribus.

ctio est materia remedii, exempli gratia revellentis quidem, sed per evacuationem, seu evacuationis revulsivæ, vel derivativæ; at in proposito casu adest quidem indicans auxilium aliò avertens, sed nequaquam per evacuationem sanguinis confertim factam, ideoque Gal. loco citato dicebat: Si namque expedit in talibus sanguinem effluere, non autem effluxit, quod deest, & ipse adjicias, oportet, quasi velit dicere Gal. non est, cur sanguinem mittas, ubi effluxit, quantum est satis, seu, tunc tibi mittendus est sanguis, quando sponte non effluxit.

A quo indicetur venæ sectio in vulneribus.

Verùm quoniam non licet ad alicujus præsidii usum devenire, nisi adsit, quod indicet, jure merito dubitabit aliquis, quid sit, quod in vulneribus indicet sanguinis missionem, non est enim dicendum, quamvis aliqui id fateantur, eam indicari à magno vulnere tanquam à magno morbo, si enim à vulnere indicaretur, esset vulneris remedium, quippe absurdum est dicere, aliud esse, quod curandi rationem præscribat, aliud, quod curetur, at sanguinis missio non est vulneris remedium, siquidem solutam unitatem in pristinum non restituit, sed agglutinans, exempli gratia, vel carnem generans, &c. Sed neque dicendum est, à futuro magno morbo, exempli gratia, inflammatione, eam indicari, id enim, quod nondum est, vim habere indicandi non potest, sed quicquid indicat, præsens est, nam indicat quicquid indicat, vel sui conservationem, vel sui ablationem, at quod nondum est, nihil est, quod conservetur, vel auferatur, unde dicebat Gal. 4. Meth. 3. Absurdum est id, quod non est, indicare. Quid ergo indicat venæ sectionem? profectò quando in vulnerato sanguis ad vulneratam partem movetur, dici posset, motum sanguinis eam indicare, siquidem tunc sanguis peccat motu. At si nondum moveatur, sed quiescat? si consideremus, non tantùm causam, quæ morbum actu facit, vim habere indicandi, sed & quæ morbum factura est, cujus ratione dicebat Hip. 1. Aph. 3. Habitus exercitatorum, qui ad summum bonitatis attingunt, periculosi, si in extremo constiterint, neque enim possunt in eodem permanere, neque quiescere, cum verò non quiescant, neque possunt proficere in melius. Reliquum est igitur, ut incidant in deterius. His de causis bonum habitum statim solvere expedit, &c. protinus

nus tollitur omnis quæstio, quandoquidem ſanguis in vulnerato, quamvis actu non faciat morbum, habet tamen rationem cauſæ morbificæ, quia facturus eſt morbum, eumque magnum, & proptereà providere oportet, ne ipſum faciat; non faciet autem, ſi ad partem non feratur, hoc non contingit, ſi partim evacuetur, partim verò aliò convertatur: quare oritur indicatio venæ ſectionis, & ut evacuatorium, & ut revulſorium auxilium. Quoniam enim morbus, qui timetur, magnus eſt, idcirco etiam magno auxilio auferenda ejus cauſa, quare & hic pro ſcopo habemus modi magnitudinem, ut Galenus nullibi ſit mendax. Alia quoque ratione mittitur ſanguis in vulneratis, ne videlicet ob apparatum morbificum accendatur putredo in venis, vel ſi jam fuerit accenſa, & facta febris putrida, eadem removeatur, ſicuti in curatione febrium vulneribus ſupervenientium explicabitur, de hac enim venæ ſectione hìc non loquemur, ut quæ non conveniat vulnerato, ut vulneratus eſt. Mittitur tertiò ſanguis in vulnerato ad cohibendum ſanguinis profluvium, ſiſtitur enim impetus ſanguinis ad vulneratam partem contrario impetu, mediante venæ ſectione, concitato, ſed & de hac venæ ſectione ſuo loco. Convenire igitur in vulneribus magnis, quando non ſatis ſanguinis ab ipſis effluxit, venæ ſectionem, pluribus nominibus manifeſtum eſt.

Verùm, quoniam non ſatis eſt, ut ad uſum alicujus præſidii deveniamus, adeſſe id, quod præſidium illud indicat, ſed inſuper requiritur, ut nihil prohibeat antequam vena ſecetur, videre oportebit, atque perpendere, num quodpiam adſit, quod eam prohibeat. Hoc quidem poteſt eſſe virtus imbecilla, cum enim venæ ſectio ſanguinem evacuet, vitæ theſaurum, & cum eo etiam evacuentur ſpiritus, vires validas requirit, quæ eam poſſint perferre: Atqui plerumque in vulnerato vires ſunt imbecilliores, vel ob ætatem, vel ob boni ſanguinis penuriam, namque ut plurimum ſanis hominibus infliguntur vulnera, eiſdemque ictus alii, & caſus ab alto contingunt, raró ægrotantibus imbecillibus, unde fit, ut in vulnerato, aut propter ætatem, vel boni ſanguinis penuriam abſtinendum ſit à venæ ſectione. *Prohibentia & permittentia venæ ſectionem.*

Et quod ad ætatem attinet, jam apud omnes receptum eſt,

neque pueris, neque decrepitis mittendum esse sanguinem per venam sectam, quamvis pueris, ubi septimum annum attigerint, & boni sint habitus, tuto secari possit vena. Neque Gal. in pueris eam semper prohibuit, sed valdè parvos lib. de sec. excepit, vel integram tantummodo evacutionem inter dicit, dicebat enim primo ad Glauc. 14. His etiam & ætas annumeranda est, veluti accidens quoddam, quod probibendi integram evacuationem vim habet omnibus, neque enim pueri, neque seniores hanc sine noxa tolerant; quare manifestum est, ipsum non de omni evacuatione loqui, sed de integra, unde ex hoc loco multa alia Gal.loca interpretari possunt. Neque verendum est pueris secare venam,cum sanguinis profusiones non leves facilè, & sine noxa perferre quotidie observemus,sicuti & senem robustum sanguine refertum talem evacuationem posse perferre non est negandum. Et ideò Galenus septuagenario venam secuit. Propter penuriam boni sanguinis vires in uterum gerente solent esse imbecilliores, indigent enim sanguine, & ut eo alantur ipsæ, & ad sustentandum fœtum, ideoque Hip. 5. Aph. 31. Mulier uterum gerens secta vena abortit, & magis, si major fuerit fœtus. Sed neque id perpetuum est, nam sicuti eas purgat Hip. à quarto usque ad septimum, ita eo tempore posse sanguinis missionem perferre non est negandum, quando boni habitus fuerint, & naturæ robustæ, immo & reliquis mensibus, licet minus. Unde Celsus lib. 2. cap. 9. dicebat: Sanguinem incisa vena mitti novum non est, sed nullum penè morbum esse, in quo non mittatur, novum est: Item mitti junioribus, & fœminis uterum non gerentibus, vetus est. In pueris verò idem experiri, & in senioribus, & in gravidis quoque mulieribus vetus non est, siquidem antiqui primam, ultimamque ætatem sustinere non posse hoc auxilii genus judicabant, persuaserantque sibi, mulierem gravidam, quæ ita curata esset, abortum esse facturam; postea verò usus ostendit, nihil ex his esse perpetuum, aliasque potiores observationes adhibendas esse, ad quas dirigi curantis consilium debeat. Interest enim non quæ ætas sit, neque quid in corpore intus geratur, sed quæ vires sint. Ergo si juvenis imbecillus est, aut si mulier, quæ gravida non est, parum valet, male sanguis emittitur, emoritur enim vis, si quæ his supererat, & hoc modo erepta est.

Potest secari vena pueris ex Galeno.

At

At firmus puer, & robuſtus ſenex, & gravida mulier valens tutò curantur.

Sola virtus imbecilla venæ ſectionem prohibet.

Inſignis quoque cacochymia huic auxilio reluctatur, niſi & unà ſanguis abundaverit, quoniam in talibus adeſt penuria boni ſucci, qui tamen evacuaretur per venæ ſectionem, ſed neque in his adeſt indicans, ideoque Gal.6. Meth.2. in punctura nervorum, corpore exiſtente cacochymo, non venæ ſectione, ſed purgatione utebatur.

Vires conſiderandæ antequam ſecetur vena, & quales ſint, & quales futuræ.

Sed ne in iis, quæ præſentis loci non ſunt, tempus conteramus, oblato vulnerato, ſi venæ ſectione is indigere viſus fuerit, illius vires diligenter perpendendæ, an ſcilicet hanc evacuationem perferre poſſint, non ſolum quales in præſentia ſint, conſiderando, ſed & quales ſint futuræ: atque ut exactius perpendi poſſint, ætatem vulnerati conſiderare oportet, naturam & habitum ejuſdem, conſuetudinem, præcedentem victus rationem, inſuper, & regionem, & anni tempus, ac cœli ſtatum quibus ſemper aliquid eſt condonandum, ut quæ ſignificant, vel vires eſſe adeo robuſtas, ut poſſint citra offenſam perferre evacuationem, vel imbecillas ita, ut nullam utilem miſſionem ſanguinis tolerare poſſint, vel medio modo ſe habere, ut neque omninò prohibeant hanc evacuationem, neque etiam juſtam admittant, ſed tamen aliqualem, & utilem: nam, exempli gratia, fervor æſtatis, ut qui vires diſſolvit, ſignum eſt imbecillioris virtutis, idcirco hoc tempore cautiùs agendum; frigus hiemis eſt ſignum, naturam indigere ſanguine, & ſpiritibus, ut ſe ab ambiente tutetur, ideoque etiam tunc temporis cautiùs agendum; ſicuti, & autumno, quo tempore vires eſſe imbecilliores ſolent, & ob præcedentem æſtum, & ob pravam victus rationem, idem eſt de regione calida: vere è converſo vires ſunt robuſtiores, idcirco tunc temporis audaciùs licebit ſanguinem mittere. Et ſic in reliquis eſt procedendum.

CAPUT XLVIII.

Quantum ſanguinis ſit extrahendum.

QUantitatem ſanguinis extrahendi, id, cujus gratia venam ſecamus, facilè demonſtrabit; ſecamus autem venam in vulnera-

neratis, antequam genita ſit inflammatio, ut materiam fluxionis ſubtrahamus, & ut indigentiam in corpore inducamus quo natura alimenti egens, ſanguinem contineat pro nutritione, non autem aliò tranſmittat, inflammationem facturum, & ut ſanguinis motum aliò convertamus: at ſi inflammatio jam ceperit, ut etiam aliquid ab affecta evacuemus.

Quando plus, & quando minus ſanguinis ſit extrahendum.

Igitur quantò major, & majoris momenti adeſt fluxio, aut imminet, & quantò urgentius eſt periculum fluxionis, & quantò magis ob id ſubtrahenda eſt fluxionis materia, & major indigentiá in corpore eſt inducenda, tantò major copia ſanguinis eſt extrahenda. At in minori fluxionis periculo, & in minoris momenti fluxione, parciùs quoque mittendus eſt ſanguis, non enim exiſtimandum eſt, eandem ſanguinis quantitatem mitti debere, ubi cerebrum, vel ejus involucra ſunt vulnerata, & ubi ad cranium tantum læſio pertingit, & ubi pars nervoſa, atque carnoſa vulneratur, & in corpore repleto, & pauco ſanguine prædito, quandoquidem, ut in corpore plethorico ſubtrahatur fluxionis materia, & inducatur indigentia, ac ſanguis aliò convertatur, longè major copia ſanguinis detrahenda, quam in pauco ſanguine prædito, vel euſarco; & parvum motum parva ſanguinis quantitas detracta cohibet. Aliqua ſanguinis quantitas in levioribus vulneribus ſuperfluere dici non poterit, quæ in gravioribus erit abundans fluxionis materia, & à natura nequaquam detinebitur. Conſideranda itaque erit quantitas vulneris, & vulnerati natura, ac ſtatus, & ex conſequenti, quæ ad naturam, & ſtatum ejus cognoſcendum faciunt, cujuſmodi eſt ætas, tempus anni, regio, conſuetudo, habitus corporis, præcedens victus ratio, quantitas ſanguinis ex vulnere fluxi, & hujusmodi, ex quibus quantum ſuperfluat ſanguis, conjectura quadam aſſequi licebit, & quantum ſit fluxionis periculum, & ita quantum ſanguinis mitti debeat.

Conjectura quadam cognoſcimus quantitatem ſanguinis evacuandi.

Dixi conjectura quadam, quoniam certo hæc ſciri non poſſunt, ſicuti nullius indicantis ſpecifici, & determinati natura ſciri ad unguem poteſt: unde nec certo metiri poſſumus quantitatem ſanguinis evacuandi, ſed conjectura conamur ſaltem accedere ad hanc quantitatem determinandam.

Cum autem evacuantia omnia præſidia viribus officiant, ſed præci-

præcipuè, quæ ſanguinem evacuant, ipſius naturæ theſaurum, idcirco vires conſiderandæ, ac videndum, an juſtæ quantitatis detractionem poſſint perferre, quod contra indicare appellant, tantùm enim ſanguinis extrahendum, quantum vires poſſunt perferre, unde & ipſæ vires ſanguinis detrahendi menſuram quodammodo determinant. Quando autem vires dicimus, non tantùm præſentes intelligimus, ſed futuras, conſiderare enim diligenter oportebit, quales futuræ ſint vires poſt evacuationem, ideoque, ſi quodpiam ſymptoma adfuerit, quod vires proſternat, neque ſanguinis miſſione tolli poſſit, cujuſmodi eſt convulſio, dolor immanis &c. non tantum ſanguinis extrahendum, quantum extraheretur, ſi hæc non adeſſet, nam poſtea perſeverante ſymptomate, vires concidunt, propterea Gal. primo ad Glauc. 14. Si quis ſimul diſtenſione nervorum laboraverit, & ſanguinis eguerit miſſione, neque huic tantùm ſemel mittere oportet, quantùm exigit morbus, ſed aliquid etiam accidenti eſt relinquendum. Similiter ſi valentibus viribus ad aliquod opus eguerimus, exempli gratia, dum vulneratus eſt thorax, & neceſſe eſt, materiam contentam per ſputum vacuari, ad quod opus valida expultrix requiritur, parciùs mittendus erit ſanguis, ne vires, quibus ad illud opus expulſionis egemus, ante operis perfectionem deficiant.

Quòd ſi inſignis inflammatio in aliqua parte cœperit, venamque ſecuerimus è directo, cum qua aperiantur venæ partis, ſatis ſanguinis extractum fuiſſe, indicabit coloris, & ſubſtantiæ immutatio, ſignificat id enim ſanguinem in partem jam fluxum deturbari ab illa parte: namque ſanguis in phlegmone affecta particula, utpotè calidiori, ob fervorem alium colorem, & aliam conſiſtentiam neceſſario acquirit, ac ſit color, & conſiſtentia ſanguinis in toto exiſtentis, unde Gal. lib. de cur. ra. per ſang. miſ. cap. 14. In quibus juxta venam ſectam phlegmone eſt ingens, optimum eſt ſanguinis, & in colore, & in conſiſtentia mutationem expectare. Et ſecundo de ra. vic. in acu. tex. 10. Quicquid ergo ſanguinis in phlegmone continetur, id caloris abundantia colore permutatur, reliquum autem in partibus omnibus ſimile manet. Eam ob cauſam ſanguine, qui in totum ſpargitur corpus, pituitoſiore exiſtente, rubicundior ſanè erit, qui in eo,

In inflammatione immutatio coloris ſanguinis præſcribit quantitatem.

quod phlegmone obſidetur, latere continetur. Quod ſi ſanguis in corpus totum diffuſus rubidus fuerit, is proculdubio, qui ad phlegmonem eſt, aduſtus, aſſatuſque, in nigrum permutabitur. Lividus autem in ea, quæ fit à rubido ad nigrum, tranſmutatione, medium obtinet. Coloris igitur mutatio ſanguinis ex particula inflammata translationem ſufficienter commonſtrat. Hoc etiam eſt Hipp. præceptum libro de ra. vic. in acu. loco citato, ubi rationem docet ſecandæ venæ in pleuritide. Neque tamen ſtatim, ac apparet immutatio ſanguinis, & pro rubicundiori, & tenuiori, exempli gratia, nigrior, & craſſior exit, vel pro albidiori rubicundior, flaviorve, ſupprimenda eſt evacuatio, ſed ulteriùs permittendum, ſi vires ferant, ut aliquid corrupti illius ſanguinis educatur, ne, quod in venis eſt ſanguinis, coinquinet. Vanum autem eſſet, coloris mutationem expectare, quando ſecatur vena remotior, cum qua non aperiuntur venæ partis, licet in eodem latere ſecetur, ut interdum contingit; non enim exiſtimandum eſt, venæ ſectionem, quæ ab eodem fit latere revellendi gratia, ab eo latere fieri ſemper, ut fiat etiam evacuatio à parte, namque in genuum inflammatione Gal. ſecandam ait in cubito ejusdem lateris venam, cujus tamen ſectio nihil poteſt ab ipſo genu educere. Præterea in fluxu ſanguinis è naribus applicat cucurbitulam regioni hepatis, ſi à dextra nare fluat ſanguis, lienis vero, ſi è ſiniſtra, cum illis cucurbitulis nihil evacuetur. Dicendum eſt ergo fieri in eodem latere venæ ſectionem, non ea tantùm de cauſa, ut à parte inflammata fiat evacuatio, verùm etiam, quoniam ſanguis in latere, in quo eſt pars inflammata, maximè, & promptè admodum fluit in partem affectam ob maximam communicantiam, ſive ſenſibilem, ſive inſenſibilem, maximè enim ſibi mutuò communicant partes ejuſdem lateris: Quòd ſi vena ſecetur in eodem latere, maximè revelletur ille ſanguis, & inſuper inanitæ venæ ab ipſa inflammata parte attrahent.

Quando non ſit expectanda coloris immutatio. Neque etiam expectanda eſt coloris immutatio, ſi vires ſint imbecillæ, aut non tantam ſanguinis detractionem tolerant. Unde Galen. libro de cur. ra. per ſang. miſ. quando dicebat: In quibus juxta venam ſectam phlegmone eſt ingens, optimum eſt ſanguinis,

guinis, & in colore, & in consistentia mutationem expectare, subjungebat: Non tamen omni ex parte hæc expectanda est, sed est etiam quando antequam mutatio fiat, cessare conveniat: idque duplici nomine, ob infirmas videlicet vires, aut phlegmonis pravitatem: interdum enim nihil ab ea emittitur, sed inibi fortiter constrictus est. Si tamen vires exolui evacuatione nondum videantur (quod ex pulsu scies) &, si cui sanguis mittitur, ætate ut florenti, expectanda est mutatio, potissimum si ambiens sit temperatus. Non ignorandum tamen, ut animadvertit Gal. 2. de ra. vic. in acu. tex. 10. quando non possumus ob virium imbecillitatem, sanguinis mutationem expectare, minus utile futurum auxilium inflammatæ parti. Præstat tamen minorem hanc utilitatem eligere cum virium constantia, quam cum insigni earum jactura redundantem sanguinem evacuare.

CAPUT XLIX.

Quo in loco secanda sit vena.

QUando ergo in vulnerato secanda sit vena, & quando à venæ sectione sit abstinendum, & quantum sanguinis extrahendum sit manifestum, remanet, ut videamus, quæ ad rectum usum hujus præsidii pertinent. In primis considerandus occurrit locus, in quo secare venam oporteat. Cum autem illam præcidamus, non ut evacuet tantùm, sed ut simul revellat, quoniam revulsio fit ad remota, & contraria, idcirco remotus locus, atque vulneratæ parti contrarius erit eligendus. Sicuti proximus, si derivandi gratia conveniret, cum derivatio fiat ad proxima. *In remota, & contraria parte secanda est vena.*

Verum quoniam multi materiam hanc revulsionis, & derivationis per sectam venam adeo confuse tradiderunt, immo tot difficultatibus involuerunt, & quæ ab antiquis sapientibus de hac re dicta sunt adeo obscurè, & perperam etiam sunt interpretati, ut haud facilè sit unicuique intelligere, quomodo, & ubi pro sistenda humorum fluxione venam secare expediat, & multi, nec parvi momenti errores in dies committuntur, ut ipsi quoque tirones rem hanc cognoscant, & ne oblato vulnere cum laborantis periculo

periculo hæsitent, decrevi non per conclusiones rem proponere, sed ex propria rei natura demonstrare.

Supponendum igitur nobis est in vulneratis, aut nondum humores fluere, sed quiescere, quamvis propensionem habeant ad fluxum versus vulneratam partem, ut ferè possimus dicere, eos esse fluxuros, aut jam cœpisse confluere, atque vel nondum quodpiam effatu dignum in parte affecta receptum esse, vel jam aliquid collectom esse, quod negotium facessat.

Prætereà materiam, quæ ad partem confluxit, aut nondum esse parti impactam, sed adhuc intra vasa existere, aut parti esse infixam, & impactam. Ampliùs supponendum nobis est, materiam fluentem, aut paulatim fluere, ac modicè, aut confertim, & cum impetu.

Tertio supponendum, nos secare venam, quando revellendi gratia id facimus, ut impetum sanguinis coerceamus, ne videlicet partem vulneratam petat, mediante altero motu, quem ipsi sanguini tribuimus. Quapropter venæ sectio erit materia remedii sanguinis impetum ad aliam partem à vulnerata convertentis. Ille verò sanguinis motus proximum erit fluxionis remedium: nobis enim propositum est motum excitare in sanguine, quo vel prohibeatur ad affectam partem confluere, si nondum cæpit moveri, vel si jam moveri cæperit, ab ipsa retrahatur.

Cum autem hunc motum inducat venæ sectio, propterea quod, dum vena secta inanitur, consecutione quadam movetur sanguis in proximis venis existens ad ipsum sectionis locum, & dein etiam à remotioribus, & ita impetum quendam suscipit sanguis ad partem, in qua secatur vena, & aliis prætereà de causis, quæ aliàs explicatæ sunt, si invenerimus, versus quam partem convertendus sit sanguinis motus, ut à vulnerata parte arceatur, jam erit manifestum, quo in loco secanda sit vena.

Non debet secari vena in parte proxima revulsionis gratia.

Primò quidem illud est perspicuum, quando adhuc non influat humor, vel si jam ad partem vehementiori impetu confluere cœperit, & motum hunc procuremus versus partem vulneratæ proximam, non tantum attracturos ad partem illam sanguinem, quàm ad vulneratam ipsam, non enim sanguinis motum ita moderare possumus, ne terminum, ac metas propositas excedat, sed attra-

attrahemus ad partem, ad quam primo intendimus, & simul ad proximas. Quod si in proxima aliqua insuper extiterit fluxionis causa, vel eadem fluxionis occasionem in se habuerit, certum est, fore, ut multo magis ad ipsam motum arripiat. Non ergo versus proximam partem concitandus est sanguinis motus, sed potius versus contrariam, & remotam. Nam si longius à parte affecta impetum suscipiat sanguis, & in contraria, longè faciliùs liberatam iri fluxione partem, non est dubitandum. Quare ad contrariam partem, & remotam movendus erit sanguis.

Verùm non satis est motum sanguinis ad partem remotam, & contrariam concitare, sed insuper necessarium est, ut hic motus sit talis, ut vis ejus opportunè ad eam partem perveniat, à qua timebamus motum sanguinis ad affectum locum, ac talis sit, ut sufficiat ad prohibendum ad eam motum, unde nisi in convenienti tempore ad eam perveniret, facilè contingeret, ut id postea esset frustra, vel neque etiam illuc pertingeret, eo quod interea ob moram sanguis ad affectam partem iter capiat: quapropter cum vehementiori impetu ad eam ferri cæperit, auxilium spernet tardè ad eam perveniens. Hinc colligo ad eam partem remotam, & contrariam attrahendum sanguinem, ad quam si moveatur sanguis celeriter, & citra insignem jacturam virium ad mittentem partem (sic appellemus locum, unde sanguinem fluxurum timemus) possit motus consecutio pervenire. Et sic oportet, ut sit inter eas proxima venarum communio, seu consensus, quem alio nomine rectitudinem dicunt. Sed hanc doctrinam in tironum gratiam exemplo illustremus. Sit vulneratum brachium dextrum, remotissima pars à dextro brachio erit crus sinistrum, seu pes sinister, parùm refert, & hæc eadem pars ipsi brachio est opposita, & secundùm dextrum, & sinistrum, & secundum sursum, & deorsum; si tamen secemus venam in sinistro crure, quoniam illa non habet communionem proximam cum majoribus venis, quæ sunt supra regionem renum, & cum venis præcipuè dextræ partis, à quibus maximè timetur fluxus, idcirco licet sanguis moveatur ad illam partem, antequam tamen vis hujus motus ad eas venas perveniat, necesse est, ut venæ omnes intermediæ inaniantur, quæ cum sint multæ, nisi valdè copiosa fiat

Ad quam partem remotam, & contrariam movendus sit sanguis.

fiat ſanguinis miſſio, non perveniet vis motus ad venas illas majores: vel ſi fiat copioſa illa ſanguinis miſſio, aut periclitabuntur vires, ſi tanta fuerit, quanta requiritur, ut ſanguis in dextra parte exiſtens verſus crus ſiniſtrum moveatur, vel parciore exiſtente, tardè perveniet vis motus ad eam partem, & hebetata, atque obſcura, aut nullo modo, & ita parum proficiet: nam primo inanitæ venæ tot intermediæ ſanguinem ſuppeditant, ut antequam ad partem dextram ſit perventum, ferè ſedata ſit illa conſecutio, & continuatio motus. Non ergo vim habebit revellendi talis venæ ſectio, aut obſcuram, & cum inſigni diſpendio virium.

Verùm ſi quæ ſecatur vena non ſolùm fuerit in parte remota, & contraria, ſed prætereà cum mittente ipſa communionem habuerit, ſi nondum cæperit ſanguis fluere, arripiet motum partem illam verſus, ut etiam qui in proximis affectæ parti continetur venis, retrahatur ſæpè verſus partem, in qua ſecta fuit vena, ſubiens locum ejus, qui priùs ad eandem latus eſt. Si verò cæpit fluere, retrocedet, ſi ſufficiens fuerit motus in oppoſita parte concitatus. Quocirca vulnerato dextro brachio, ſi in ſiniſtro cubito, vel in crure dextro ſecetur vena, quoniam & in hac, & in illa parte reperitur vena, quæ communionem proximam habet cum partibus, quæ tranſmittere maximè poſſunt ad partem affectam, celeriter exinanientur partes illæ, & ex conſequenti ſanguis in proximis affectæ partibus exiſtens conſecutione quadam movebitur ad contrariam partem in qua ſecta fuit vena, & ita peroptimè fiet revulſio. Hinc Hip. ſecundo de nat. hum. tex. 9. Procurandum autem eſt ut ſectionem quam maximè procul ab illis locis faciamus, ubi dolores excitari, ſanguinemque colligi noverimus, ſic enim nulla magna permutatio repentè fiet, conſuetudoque intercipietur, ne ampliùs ad eundem locum confluat.

Explicatur locus ex 2. de natura hum.

At ſi materia partim jam fluxit ad partem vulneratam, partim verò adhuc influit, utique hoc duobus modis poteſt contingere: uno quidem, ut ſimus adhùc in ipſo fluxionis principio, & materia, quæ influxit, parvum faceſſat negotium; alio verò, ut ſimus in ulteriori fluxionis progreſſu, ita ut effatu digna materiæ portio ſeſe in partem receperit, quæ ob id magnum negotium faceſſit, in parte eadem dolorem, atque calorem inſignem, & jam evi-

evidenter phlegmonem concitando. In hiſce ergo caſibus complicatæ ſunt indicationes, ſiquidem habenda eſt ratio non ſolùm fluxuræ materiæ, & ejus, quæ actu movetur ad vulneratam partem, ſed & ejus, quæ in parte continetur: quare, ſicuti in complicatis indicationibus fieri conſuevit, ad id, quod magis urget, erit attendendum, cæteris tamen, ſi fieri poſſit, non neglectis. Si ergo, quæ influxit materia, parum, aut nihil urgeat, & omninò ad ſe curam non trahat, non aliter rem tractare oportebit à principio, ac ſi nihil ad affectam partem confluxiſſet, curandum enim eſt, ut ad contrariam, & remotam partem concitetur motus ſanguinis, ideoque ſecanda erit vena in parte contraria, & remota, quæ communionem proximam habeat cum mittente parte; deinde ut habeatur ratio fluxæ materiæ, ejus evacuationem quoque moliri conveniet, antequam in parte impingatur, aut per eandem partem, aut per proximam, & eas, cum quarum venis ſimul aperiuntur venæ partis affectæ. Duplici hac ratione vacuari poteſt, ſi pars ſit externa, ſi interna unica tantum, videlicet per eas, quibus cum ſimul aperitur affecta pars. At ſi externa, & hoc modo, & etiam per ipſam partem, puta ſcarificationibus, hirudinibus venis illius partis applicatis, quæ locum non habent in partium internarum affectibus.

Altera retitudo. Ad aliam verò partem conſtat, nequaquam trahi poſſe materiam contentam, & evacuari, niſi vena ſecetur, quæ proximam communionem habeat cum affecta parte, per quàm promptè ſanguis in affecta exiſtens feratur. Accidit enim, ut aperta hac vena, ſimul & affectæ partis venæ aperiantur, & ita innaniantur. Verùm ſi nondum quieverit fluxio, nec dempta ſit fluxionis materia, nec per affectam partem, neque per proximam licebit materiam in parte exiſtentem evacuare, plus enim erit, quod ad ipſam attrahetur, quam quod ex ipſa evacuabitur, niſi hoc fiat, ut meliùs revulſio peragatur, ut ipſe Galenus monet ſexto morb. pop ſec. ſecunda, textu nono, quamvis neque in hoc caſu totius materiæ evacuationem tentare permittatur, ſed alicujus portionis tantùm. In hoc igitur caſu ad hæc duo reſpiciendum erit, ut ad contrariam, & remotam partem vertatur fluxus ſanguinis, & unà quoque id evacuetur, quod in affecta parte continetur.

Itaque ſi omnino contraria, & remota pars non detur, in qua ſit vena utrique parti communicans, aliqualiter tamen ſit remota, & contraria, quo utrumque munus expleat. Sic dextra thoracis parte inflammata, aut hepate ipſo, interna vena dextri cubiti ſecta utrumque munus probè perficit, nam & communicat mittenti parti, & ei, quæ recipit, & inter eam inſuper, & eam recipientem partem eſt contrarietas, ſi non exquiſita, & exacta, ſaltem aliqualis, neque parum à ſe invicem diſtant, & ideo quatenus mittentem partem exhaurit, & recipienti eſt contraria, & in longinquo ſatis loco, revellit; quatenus verò recipienti communicat, evacuat, ut hanc propriè appellare liceat revulſionem evacuatoriam, ſeu evacuationem revulſoriam. Et hoc eſt, quod dicebat Galenus com. primo in libro de hum. textu decimo tertio. Atque Hip. quidem jubet revulſionem eſſe ad contraria faciendam, evacuationis verò gratia, è directo, unde ſubjungebat: Et quæcumque ſanguinis profluvia è directo fiunt, ea maximam afferre ægrotantibus utilitatem affirmat, quæ verò contrario modo fiunt, tantùm abeſſe, ut proſint, ut etiam interdum lædant, quod vires diſſolvant, nec ulla morbi afferatur levatio, ſiquidem neque liene turgente ſanguis ex dextra nare profluens, neque in jecinore, ſi à ſiniſtra erumpat ullum uſum parit. Ecce quomodo Galenus per è directo, κατ' ἴξιν Græcè, hic intelligit venam, quæ cum parte affecta communicat, in gratiam evacuationis ab ipſa parte. Si verò in parte jam fluxa materia negotium faceſſat, diſtendendo, doloreſque concitando, & calorem accendendo, ut periculum ſit in mora, hoc eſt, ne dum ad omninò contraria volumus fluxionem convertere, phlegmone in particula mirum in modum augeatur, maximèque, ſi alicujus momenti fuerit pars, cogimur ſtatim evacuationem illam revulſoriam, ſeu revulſionem evacuatoriam moliri, venam eligentes, quæ ſit in parte, ſi non omnino remota, & contraria, quæ ſaltem habeat aliquam contrarietatem, & majorem, quæ dari poſſit, modò communicet non ſolùm cum mittente, ſed etiam cum recipiente parte, ut evacuata parte, imminuatur quamprimum phlegmone, & dolor, atque calor majoris fluxionis cauſæ, eòque magis id agere oportebit, ſi phlegmone minetur periculum. Nec eſt, cur vereamur, ne ad partem affectam fiat

fiat attractio, propterea quòd longè à parte illa fit evacuatio. Hinc Galenus ubi jam phlegmone partem occupavit, ab eodem latere revellendi gratia, venam fecat in contraria parte, fic enim dicebat commentario primo in libro de hum. textu decimotertio: Itaque fi dextra uteri pars malè affecta fit, è dextro brachio dextroque crure mittendus eft fanguis (hinc derivationis, illinc revulfionis gratia) fi finiftra, tum è membris illis detrahes, quæ illi recto tramite correfpondeant. Si verò in fupernis partibus quid inflammatione tentetur, ut in angina, inflammatione oculorum, & iis omnibus, quæ in capite funt, ufu venit, venas exteriores, & quæ ad rectitudinem fitæ funt, incides: liene autem inflammationem patiente, venam finiftræ manus internam fecabis: fi jecur, internam dextræ: artubus verò patientibus, evacuationem, five revellere, five derivare volueris, à conjugibus faciendam fcito, nifi morbus fit diuturnus, &c. Hac etiam ratione libro de cur. ra. per fang. mif. dicebat: Revulfio quibus in directum adhibetur, evidentem utilitatem celeriter oftendit, quibus contra, haud etiam, & fecundo ad Glauc. fecundo, eadem propemodum profert, & pluribus aliis in locis. Nec mirum, fi materiæ in parte contentæ habenda fit ratio, cum & ipfa nonnunquam nos cogat, ut difcuffionem ejus interdum moliamur, etiam fi adhuc materia fluat, ut caufæ fluxionis, quæ ab ipfa prodeunt particula recipiente, removeantur, vel faltem minores reddantur, quæ in caufa funt, ut revellentia præfidia parum profint, ut alias dictum eft ex Galeno 6. morb. pop. fec. fecunda, textu octavo.

Verum quidem eft, plenitudinem in toto exiftentem quandoque prohibere, quo minus venam in latere affecto primitus fecemus, & hoc, ne motum fanguinis, quo nimis repleta funt vafa, verfus latus affectum advocemus, unde periculum effet ne fimul ad partem affectam moveretur, nedum ad eam, in qua fecatur vena, cum pars illa exactam contrarietatem non habeat cum affecta. In tali igitur cafu in parte exactè contraria, & quæ folummodo communionem cum mittente habeat, prius vena fecanda, & minuenda plenitudo, dein pauca interpofita mora, ad fecandam venam, quæ parti quoque recipienti communicet, accedendum. Dixi verò quandoque, quoniam aliquando in eodem latere reperitur exacta

contrarietas, & cum hoc communio venarum, & inter mittentem, & recipientem partem, atque eam, in qua ſecatur vena, ideoque talis vena ſecta licet evacuet, ab affecta attamen etiam exquiſitè revellit. Hoc accidit, quando fluxio in hepar procubuit, quamvis enim in latere dextro ſit ſitum, interna tamen vena dextri cubiti, vel dextræ manus eſt eidem exquiſitè contraria, cum ab eadem ſit valdè remota, & hepar ſit in intimis, vena verò in externis, & præterea eidem maximè communicat, cum ſit proximè emergens à vena cava, & parti mittenti inſuper, namque tranſmiſſio ad hepar profectò fiet à majoribus venis ab illo exortum habentibus, & ideo eademmet vena partem mittentem, & recipientem evacuabit, & ad remota, & contraria attrahet. Hinc Gal. 13. Meth. ij. in inflammatione hepatis cum totius plenitudine ſecat internam dextri brachii, ibidem namque dicebat: Supponamus, quod alicui nunc incipiat jecur inflammari, ante omnia conſiderare oportet, utrum ſit in toto corpore plenitudo, & ſi hæc adfuerit, & æger nec fuerit puer, nec ſenex, & virtus valida, debemus ſecare venam internam dextri brachii, quæ per amplam viam ſocietatem habet cum vena cava, & ſic ſimul fiet evacuatio, & revulſio ſanguinis fluentis ad ipſum jecur.

Duplex venarum communio.

Itaque duplicem communionem venarum conſiderare debemus, una quidem eſt partium mittentium, & venæ, quæ ſecatur, altera verò venæ, quæ ſecatur & affectæ partis, & mittentium partium. Prima tantùm ſervanda, quando revulſioni ſolæ incumbimus, altera verò, ubi non tantùm revellere, ſed & à parte evacuare volumus, quam venæ ſectionem Gal. propriè appellat per directum factam, ſeu κατ' ἴξιν, quemadmodum eam vocat Hip. Nec obſtat, quòd toties clamet Gal. ſecandam eſſe venam κατ' ἴξιν, ſeu per directum, hoc eſt venam, ut ipſemet interpretatur 13. Meth. 9. cum qua venæ affectæ partis aperiuntur, certum eſt enim, Gal. ſemper ſupponere theoremata univerſalia. Loquitur ergo in iis locis Gal. de materia, quæ partim influxit, partim etiam nunc influit, & quæ influxit, negotium faceſſit, ut ob id in gratiam affectæ partis neceſſarium ſit è directo venam ſecare, ut fieri ſimul poſſit evacuatio à parte, & revulſio, quamvis non exquiſita fiat revulſio, unde tunc venæ ſectio eſt materia duplicis indicati.

At

At si quid adesset prohibens venæ sectionem in eodem latere, cujusmodi est plenitudo totius, vel magis posset plenitudo in toto ad indicandam sui evacuationem, nemini dubium est, si Gal. propriis decretis stare velit, à contrario, priusquam ab affecto latere sanguinem missurum, posteaquam com. 1. in lib. de hum. tex. 13. asserit, per directum secandam esse venam in gratiam partis, hoc est, evacuationis gratia. Ubi ergo hæc non urget, cur non exquisitæ revulsioni operam dabimus? vel cum aliquid sit in corpore, quod suadeat, magis huic indicationi attendendum, quam ei, quæ à parte desumitur, seu à materia in parte contenta? Habemus siquidem ab ipso, ubi plures adsint indicationes, semper eam esse præponendam, quæ cæteras vincit. Quod verò de materia in parte contenta, & negotium facessente dictum est, intelligendum quoque de materia prope affectam partem existente, & omnino in latere affecto, quæ mox præcipitatura est lethali incommodo in affectum locum. Hìc enim, quando vires non perferrent, ut prius in opposito latere, deinde in affecto secaretur vena, statim in eodem latere secanda esset.

Duplex communio inter affectam partem & secandam venam.

Et quod attinet ad rectitudinem, quæ est inter partem affectam, & secandam venam, seu communionem, quæ est inter utramque partem, animadvertendum est, interdum hanc communionem esse ita proximam, ut vena, quæ secatur, possit partem affectam exhaurire, eo quòd unà ipsius venæ aperiantur. Aliquando verò non aperiuntur simul, & semel affectæ partis venæ, sed exhauriuntur venæ, quæ proximè mittunt, ad affectam, & hæ inanitæ ab ipsa affecta attrahunt, & eam inaniunt. Hoc nisi admiserimus, defendi non poterit à Gal. servatam fuisse rectitudinem, quod tamen ipse profitetur, quando inflammata dextra uteri parte, revulsionis gratia secat venam in cubito dextro, & inflammato uno crure, secat venam in altero, nam venæ sectio in cubito non potest exhaurire uterum, neque sectio venæ in crure potest quidpiam ab altero crure educere, sed utraque venæ sectio proximè mittentes partes evacuat, & ipsæ evacuatæ ab ipsa affecta sede attrahunt. Sed distinctiùs hasce indicationes contemplemur.

Si nondum humores cæperunt confluere, sed tantùm periculum est, ne in partem aliquam confluant, quia in ipsa parte

adsint

adsint principia fluxionis, quæ aliàs determinavimus, puta imbecillitas, dolor, inanitiò, &c. ut in vulneratis à principio, profectò cum hìc immineat fluxio morbum factura, aliò avertendi sunt humores, ut pars reddatur ab ipsis tuta. Tuta autem maximè reddetur, si ad longinquas partes, & contrarias attrahantur. Hìc ergo sanguis est quietus, timemus tamen, ne iter arripiat ad partem vulneratam; ut hoc præpediamus, curamus, ut moveatur sanguis ad alias partes, ad quod præstandum, eligimus venæ sectionem, unde hic una tantùm est indicatio, ut videlicet sanguis quiescens motum arripiat ad longinquam, & contrariam partem vulneratæ, ex quo ipsa vulnerata reddetur tuta à fluxione. Indicans ergo est sanguis, quatenus habet propensionem, ut moveatur ad partem vulneratam, id, quod indicatur, est motus sanguinis ad partem contrariam, seu remedium movens sanguinem ad partem vulneratæ contrariam, materia hujus remedii est venæ sectio in contraria, & longinqua parte facta.

Nec objiciendum, quod citiùs, & promptius influat sanguis proximus parti vulneratæ, quoniam influat sanguis proximus parti vulneratæ, quoniam influit etiam propulsus à superveniente sanguine: quod si quis in aliis partibus continetur, à quibus poterit provenire sanguis propeliens eum, qui proximus est vulneratæ parti, aliò convertatur, non solùm auferetur id, quod eum propulsare poterat, verum etiam consecutione quadam, & qui in proximis partibus continetur, iter arripiet ad eundem locum, & sic pars reddetur tuta ab influxu. Hoc est, quod dicebat Hip. 2. de nat. hum. tex. 9. Procurandum autem est, ut sectiones quam maximè procul ab illis locis faciamus, ubi dolores excitari, & sanguinem colligi noverimus, sic enim nulla magna permutatio repentè fiet, consuetudoque intercipietur, ne ampliùs in eundem locum confluat; quem locum Gal. explicat de sanis, in quibus timetur motus humorum in aliquam partem, dicebat enim: Quippe quod voluerit auctor assuefacere humores redundantes in alias ferri partes. Atqui vulneratus, in quo nondum succi moventur, est veluti sanus, & eadem omnino ratio ubique militat; neque est, cur quispiam dicat, hunc casum non dari in vulneratis, ut videlicet succi sint quieti, namque cum non paucos videamus vul-

neratos

neratos absque ulla omnino fluxione ad priſtinam ſanitatem reduci, etiamſi nulla revulſoria præſidia adminiſtrentur, certum eſſe poteſt, in quibusdam vulneratis dari caſum, in quo ſucci quieſcant.

Neque turberis, quod dixerimus, indicans revulſorium præſidium eſſe ſanguinem ipſum, cum aliter videatur ſtatuere Gal. qui 2. ad Glauc. 2. à poſitu affectæ partis hoc indicari tradit, ibi enim non propriè ſumpſit indicationis nomen, ſed largo modo, pro eo, quod confert aliquo modo ad remediorum inventionem, quemadmodum eam uſurpat paſſim in lib. Methodi; poſitus tamen partis, ſi propriè loqui volumus, indicat, quoniam eſt ſignum indicantis, ſignum videlicet propenſionis ipſius ſanguinis; ab ipſa enim parte cognoſcimus, in quam periculum inſtet, ne ſanguis procumbat, & ita ipſe ſanguis eſt, qui indicat. *Quid indicet revulſorium præſidium.*

At ſi ſanguis jam incipiat moveri ad partem, plures oriuntur indicationes, namque nemini dubium eſt, & primam illam indicationem locum habere, cum non totus influat ſanguis, ſed portio tantum, propterea, ne ſanguis, qui etiamnum quieſcit, excitetur ad motum verſus partem vulneratam, oritur indicatio, ut ad maximè remota, & contraria attrahatur; qui vero jam ad partem influxit, ſi impactus ſit, indicat, ut evacuetur per ipſam pattem, ſi nondum ſit impactus, ut evacuetur ſimpliciter à parte, qui vero influit, indicat & ipſe, ut retrahatur ad longinqua, & remota. Si omnibus hiſce ſcopis, remota venæ ſectione, poſſemus ſatisfacere, hoc eſſet maximè eligendum, verùm, quamvis qui nondum movetur ſanguis, poſſit per venæ ſectionem in longinqua parte prohiberi, ne confluat ad partem, attamen qui jam in parte continetur, ægrè admodum, & non niſi longo temporis ſpatio aliquid ipſius evacuari poterit. Hoc eſt, quod dicebat Gal. lib. de cur. ra. per ſan. miſ. Revulſio, quibus in directum adhibetur, evidentem celeriter utilitatem oſtendit, quibus contra, haud etiam. Et rurſus: Revulſionis cauſa ſi venam ſeces, in directo quidem appoſitis ſanguinis eruptionibus citiſſimè conſpicuam videbis utilitatem, at ſi contra, nihil profuerit. Non ergo illa vena, quæ primo illi ſcopo ſatisfacit, hunc alterum poteſt adimplere. Similiter, qui jam influit ſanguis, & remotus eſt à

parte, retrahi quidem poterit facilè per primam illam venæ sectionem, at qui proximus eſt vulneratæ parti, ægrè admodum aliquid ejus retrahetur, & nonniſi longo temporis ſpatio, ut ſuperiùs explicatum eſt; unde antequam vis miſſionis ſanguinis in valdè longinqua parte ad partem affectam, & ei proximas perveniat, niſi frequens, & copioſa fuerit ſanguinis miſſio, vires proſternens, jam qui proximus erat vulneratæ parti, in ipſam erit delatus, opus eſt ergo, ut eligatur vena, quæ celeriter evacuet, & revellat id ſanguinis, quod propè affectam continetur, hæc autem erit vena in eodem latere exiſtens, quæ tamen communionem habeat cum partibus, à quibus provenit fluxio. In materia igitur partim fluente, partim quieſcente, & partim fluxa, tria adſunt indicantia, quibus venæ ſectione volumus ſatisfacere: primum eſt materia quieſcens, vel etiam quæ fluere cæpit, ſed longinqua eſt à parte affecta: ſecundum materia fluens proxima parti vulneratæ, & in eodem latere exiſtens: tertium quæ in parte affecta continetur, nondum tamen impacta.

Sed quoniam in priori caſu oportet venam ſecare in parte maximè longinqua, & oppoſita; in ſecundo caſu in eodem latere, ut tamen ſecetur vena, quæ communionem habeat cum partibus mittentibus, & longinqua etiam ab ipſa affecta, ut ab eadem revellat, non autem ad illam attrahat, in tertio vero in parte proxima affectæ ſedi, ut derivetur, ſeu evacuetur materia in parte contenta, quid agendum? Num ſemper tribus in locis neceſſarium erit venam ſecare, ut omnes hoſce ſcopos impleamus? Profecto ſi ſanguinis miſſio nullum diſpendium virtuti inferret, & quælibet ſectio venæ ſtatim ſuam gratiam præſtaret, neque opus eſſet temporis mora, quo poſſet ſtatim una poſt alteram fieri, neque una eſſet alteri impedimento, nemo eſt, qui primo à longinqua, & oppoſita parte non mitteret ſanguinem, dein ab eodem latere, & poſtremo à parte proxima; prima enim venæ ſectione fieret attractio in maximè longinqua, & contraria, ſecunda quod in eodem latere eſt non obediens huic primæ ſectioni revelleretur, atque educeretur, tertia quod in affecta ſede continetur, nondum impactum evacuaretur.

Verùm quoniam ſanguinis miſſio diſpendium affert viribus,

& una

& una venæ sectio, quod ab altera desideratur, potest impedire, nam sectio venæ propè partem affectam ad ipsam attrahit, neque etiam confertim præstant, quod promittunt, sed aliquo indigent tempore, unde neque statim una venæ sectio debet aliam consequi, & hac, quæ interponitur, mora periculum, quod ab una ex dictis materiis imminet, locum habere potest, idcirco ita res moderanda, ut quam minimum detrimentum, & plurimum utilitatis ex nostra actione proveniat. Vehementia ergo trium illorum indicantium perpendenda, & invicem conferenda, & pro legibus methodi ei, quod magis urget, attendendum, cæteris, si fieri possit, non neglectis.

Si quod igitur in parte affecta continetur, maximum facessat negotium, eo quod gravissimum concitet affectum, & fluxionem etiam continuo augeat propter dolorem, & calorem, parte existente ex præcipuis, necessario maximè urget quod in proximis continetur partibus, hoc enim in eandem præcipitabit celeriter, nisi fuerit consultum, &, ut ipsum revellatur, & quod in parte affecta continetur, tensionem, doloremque concitans, atque calorem accendens, evacuetur; sed evacuationem hujus per partem proximam prohibet materia influens, quæ magis per eam attrahetur ad partem, ideo quærendum, an aliqua adsit vena, quæ utrumque possit celeriter præstare, per quam videlicet & evacuetur, quod in parte continetur, & revellatur quod in eodem latere influit. Si ergo fuerit aliqua vena, quæ in eodem latere existens plurimum distet à parte affecta, & communionem habeat non solùm cum mittentibus partibus, verum etiam cum recipiente, ita ut cum ipsa aperiatur pars affecta, hæc erit, quæ utrique scopo satisfaciet. Sed per talem venæ sectionem non fit mera, & exquisita revulsio, cum maxima tamen utilitate revellit talis venæ sectio, cum similiter & parti affectæ consulat, & occasionem fluxionis, quæ ex ipsa est, si non penitus tollat, saltem imminuat. Hoc est, quod Galen. ubique clamat, revulsionem fieri debere κατ' ἴξιν, hoc est per directum, quia hæc celeriter suam gratiam præstat, ut libro de cur. ra. per sang. miss. 15. Revulsio quibus in directum adhibetur, evidentem celeriter utilitatem ostendit, quibus contra, haud etiam. Et 2. ad Glauc. 2. nec non & lib. de hum.

com. primo tex. 13. Fluentium ergo humorum antiſpaſis, ſic enim Hipp. nominat, retractio medela eſt, eorum verò, quæ jam membrum obſederunt, derivatio; utrumque autem evacuationis genus per communes venas fieri præcipit, veluti eas, quæ matricibus in contrarium trahes, ſi eam, quæ in cubito eſt, ſecueris venam, & paulò inferiùs. Derivabis, ſi eas, quæ in poplitibus ſunt, & talis, & poſtea. Et ſiquidem in dextra matricis parte paſſio fuerit à dextra manu, aut crure, detraxeris ſanguinem, ſi verò in ſiniſtra, à membris, quæ illi è directo ſunt, quod enim ab ipſo κατ' ἴξιν dicitur, hoc ipſum eſt ſecundum rectitudinem. Profectò exiſtimandum eſt hanc venæ ſectionem in eodem latere factam aliquid attrahere ejus ſanguinis, qui in oppoſita parte continetur, ad latus affectum. Sed tamen, quoniam non adeſt plenitudo in toto, non poteſt eſſe effatu dignum quod attrahitur; & quoniam fit evacuatio ſanguinis in eodem latere exiſtentis, cenſendum eſt, ſanguinem attractum ab oppoſita parte diſpartiri per illas venas, ut neque perveniat ad partem affectam, præſertim cum evacuatio fiat à longinqua parte.

Verùm ſi plenitudo totius adnectatur, periculo plenum videtur, per idem latus totum evacuare, copioſior enim erit ſanguis attractus ad latus affectum à latere oppoſito, ut periculum ſit, ne ex eo magis repleatur pars affecta, ideoque cum maximè urgeat indicatio evacuationis, periculoſumque ſit ab eodem latere evacuare, oportebit primò motum ad contrariam partem procurare, ſimulque plenitudinem demere, venam in oppoſita parte ſecando; dein & ab eodem latere, ut utrique indicationi ſatisfiat, niſi in eodem latere adſit vena, quæ ſecta exquiſitè revellat, & ſimul à parte evacuet, ut de hepatica in hepatis affectibus dictum eſt; immo ſi vires ferrent, neque periculum eſſet in mora, ſemper eſſet magis tutum ab oppoſita parte venam incidere, exquiſitæ revulſionis gratia, dein, & ab eodem latere per directum, videlicet gratia evacuandi, & revellendi ſimul, namque non tantùm quod ab oppoſita parte in affectam confluit, aut confluere poteſt, avertitur, verùm etiam quod in affecto latere. Sicuti quando id, quod in affecta parte continetur, parum, vel nihil urget, eo quod ſit parum, ut quando fluxio incipit, videtur magis

gis posse indicationem, quæ suadet in opposita parte secandam esse venam. Frictionibus, vinculis, cucurbitulis, & aliis hujusmodi perbelle revellimus, namque non solum partibus per directum positis adhibentur, verum etiam contrariis secundum dextrum, & sinistrum, unde utrique indicationi satisfacerent: at sanguinis missio cum semper fieri non possit utraque ex parte, quoniam evacuat sanguinem, fieri debet in parte, in qua majorem utilitatem, & minus damnum sequuturum cognoscamus: Res itaque ita moderanda est, ne revulsioni exquisitæ adeò intendentes, permittamus partem ex ingruente fluxione nimis repleri, ut postea magis ipsa possit præ imbecillitate, calore, & dolore ad concitandam fluxionem, quàm remedia ad eandem arcendam; aut nimis de parte affecta soliciti, ob idque nimis ejus evacuationi studentes, ipsam magis repleamus. Et hæc sint dicta de universali revulsione.

Revulsio particularis. Datur enim, & particularis revulsio, ut quando ab una parte alicujus membri in alteram sanguis influit tunc talis materia revellitur ad opposita in eandem secta vena, ut quando Hipp. 5. Aph. 68. & 6. morb. pop. sec. 2. tex. 27. dicebat: Dolentem capitis posteriorem partem recta vena in fronte secta juvat, revellitur enim, dicebat ibidem Gal. materia, nedum evacuatur, ut etiam lib. de hum. loco toties citato ostendit, quamvis aliquibus dicenda videatur potiùs derivatio, quam revulsio, derivationem appellantes non solum quando evacuatnr sanguis in inflammatione existens, sed & quando id, quod in parte affecta continetur evacuatur, mox in ipsum inflammationis locum, seu vulneris fluxurum, adducuntque Galen. 6. morb. pop. se. 2. t. 9. dicentem: Sursum elati, & geniti affectus statim inter initia deorsum revellere, mox verò & contraria horum præstare, quod est localiter evacuare, quemadmodum in his, quæ ad caput attinent, si posteriora capitis doleant, recta vena in fronte secta juvat, quod locale tamen remedium est. Qua ergo in parte secanda sit vena revellendi gratia humorum influxum, manifestum est, quando videlicet sanguinis vehemens est motus, aut timetur. At quando derivationis gratia, & evacuationis illius partis, quæ in affecta sede continetur, vel propè ipsam, secanda est vena,

per quam poſſit evacuari ſanguis in parte contentus, nondum impactus, vel leniter ad eam confluens, ideò talis vena eligenda erit, cum qua apperiantur venæ partis. & hæc eſt communitas venarum, quam ſervandam profitetur Gal. cum com. 1. in lib. de hum. tex. 13. dicebat, utrumque evacuationis genus, videlicet revulſionem, & derivationem fieri debere per communes venas. & 2. ad Glauc. quando dicebat, à conjunctis faciendam evacuationem ſive revellere, ſive derivare volueris.

Derivatio competit, & fluxo, & leniter confluenti humori.

Dixi autem ſecandam eſſe venam, per quam ſanguis in parte contentus, vel leniter confluens evacuari poſſit, quoniam non tantùm derivandus eſt humor in parte affecta contentus, ſed etiam qui leniter, & parcè ad ipſam fertur, ſi enim vehementiori impetu, & copiosè confluat, revulſio conveniet: quam ſemper ad vehementiores impetus Gal. adhibet, uſum enim revulſionis, dicebat com. 1. in lib. de hum. tex. 13. prohibemus, ne vehementiſſimi humorum confluxus in partem confertim decumbant. Si ergo humores leniter confluant, hic etiam derivatio locum habebit. Unde Gal. com. 1. in lib. de hum. tex. 7. & 6. morb. pop. ſec. 2. tex. 7. Derivationem appellare Hipp. conſuevit, quando humor quiſpiam, quem evacuari expedit, non per commodam ferri regionem cœperit, non tamen ab ea procul admodum, neque in adverſiſſimum locum fertur: quemadmodum ſi in veſicæ, renumve affectibus per lotium ille evacuari incipiat, tunc enim præſtat, ut inde ad alvum derivetur. Ita etiam ſi inteſtinis malè habentibus per alvum feratur, contra ſiquidem in his humorem evacuandum ad urinæ vias convertimus: In mulieribus verò interdum, ut per uterum feratur, promovemus, vel etiam, è contrario uteri profluvium ad urinaria loca, vel ventrem derivabimus. Etſi non revulſio tantùm, verum etiam derivatio eſt immodicæ evacuationis remedium, qua ratione dicebat Galen. lib. de hum. loco pluries citato, & 5. Meth. Hæcque ſunt ab Hipp. reperta communia cujusque immodicæ evacuationis remedia, videlicet revulſio, & derivatio, quomodo conveniet derivatio ei tantùm, quod in affecta ſede continetur, non fluenti? Sed clariſſimè hoc docet Gal. 9. Meth. 11. dicens: At in iis venæ ſectio utilis eſt, ceu vacuantium præſidiorum unum, in aliis, ſeu quorum

quorum vehementiorem impetum ad diverſam partem revocet, vel ad propinqua derivet. En quomodo fluentibus humoribus derivationem adhibet. Appellat autem vehementiorem impetum, morbificum humorum motum, non maximum, quia huic revulſio tantùm convenit.

Duplicem ergo derivationem admittere cogimur, unam, qua quod in parte affecta continetur mobile tamen, hoc eſt non impactum, evacuatur, qua ratione dicebat Gal. 2. ad Glauc. 2. & 13. Meth. 11. Fluentium adhuc humorum revulſio, eorum verò, qui jam particulam obſederunt, derivatio medela eſt. Et Hip. 6. morb. pop. In doloribus proximum ventrem eſſe tundendum, unde & in angina venas, quæ ſub lingua ſunt, ſecamus. Alteram verò, qua id, quod ad affectam partem confluit, leniter tamen, ac paulatim attrahitur, ac derivatur. Huc igitur ſpectare volunt, quod ab Hip. dicitur in Aph. & 6. morb. pop. ſec. 2. tex. 27. Poſteriora capitis dolenti ſecta vena recta in fronte juvat. Quæ quidem evacuatio localis revulſio interdum dicitur à Gal. 6. morb. pop. ſect. 2. tex. 27. & localis hæc revulſio a Gal. 6. morb. pop. ſec. 2. tex. 9. localis evacuatio appellatur. Certum eſt autem eam derivationem, quæ fit per evacuationem materiæ in parte ipſa phlegmone affecta contentæ, non poſſe dici localem revulſionem quia nihil materiæ fluentis retrahit, quatenus talis, ſed reſpicit tantummodo, quod in inflammata parte reperitur, non tamen impactum, ob idque fit per proxima, quod de locali revulſione abſolutè affirmare non poſſumus; etenim cum in hac retrahatur non ſolum quod in inflammata particula continetur, verùm & id, quod mox in ipſammet conflueret, ſive propè ipſam exiſtat, ſive à remotis magis influat, oportebit quoque ſervare localem diſtantiam, & contrarietatem, ita ut incidantur venæ, per quas exinaniantur etiam venæ, à quibus in partem ſit fluxio, non eæ tantum, quæ ſunt in parte, qua ratione dicebat Hipp. Poſteriora capitis dolenti recta vena in fronte ſecta juvat, non ſolum enim per eam venam evacuatur, quod in poſterioribus capitis partibus continetur, verum etiam revellitur, quod ab aliis partibus capitis in poſteriora influit: manifeſtum eſt autem ſervari in hac ſectione venæ ſingularem, quandam oppoſitionem, & etiam longinquitatem,

tem, namque à remotiori parte in capite fit evacuatio, & à contraria secundum ante, & post, servaturque rectitudo venarum, atque consensus.

Non semper tamen in eadem parte hujus gratia venam secamus, sed quandoque in aliqua proxima, ut quando ano applicamus hirudines in affectibus uteri. At quando mera derivatione ejus quod in inflammatione continetur, venam secamus, hoc tantùm respicimus, ut vena secetur proxima, quæ possit partem affectam, hoc est materiam nondum impactam evacuare, sicuti in angina, dum venas, quæ sub lingua sunt, incidimus, & in affectibus uteri, cum venam in poplite. Neque existimandum est, in omnibus partibus promptas esse venas proximas, quæ secari possint derivationis gratia, postquam non omnes partes eas possunt habere, unde nec semper natura per proximas venas adapertas evacuat, quod in particula phlegmone affecta continetur, sed quandoque his deficientibus, per quas possit eam evacuare, eligit longinquiores consentientes cum ipsa parte, ut quando inflammato jecinore, sanguinis à nare dextra profluvium concitat, & liene inflammato à nare sinistra. Sic ergo & nos imitari debemus naturam rectè operantem, quando non datur proximas venas eligere, ubi enim hoc liceat id faciendum semper, cum sanguis in inflammato loco contentus promptius, & facilius per eas evacuetur.

Num venæ magnæ an parvæ sint secandæ.

Verum quoniam & magnæ, & parvæ venæ incidi consueverunt, dubitaret quispiam, num magnæ, & parvæ venæ pro revulsione secandæ sint. Animadvertendum ergo, quando periculum est urgens fluxionis, & alicujus momenti, viresque permittunt, venas majores esse secandas, nam sectio harum venarum celeriter, & efficaciter periculo succurrit. Quod si fluxio fuerit minoris momenti, & vires fuerint imbecilliores, ut contingit, quando à principio factis evacuationibus, & ægro inedia macerato, supervenit deindè fluxio ad partem, cujus gratia egemus sanguinis missione, venæ minores erunt incidendæ, quæ minori cum dispendio virium sanguinem evacuant, minor enim fit per ipsas spirituum dissipatio.

CAPUT

CAPUT L.

De tempore, quo debet ſecari vena, & de modo utendi hoc auxilio.

QUoniam venam ſecamus in vulneribus, non ut vacuemus tantùm, ſed etiam ut inflammationem prohibeamus, vel ejus ſaltem augmentum, & omninò fluxionem tollamus, vel fluxionis periculum, manifeſtum eſt, cum ſtatim inflicto vulnere adſint fluxionis, & inflammationis præludia ſi vulnus ſit inſigne, ut ſuperius expoſitum eſt, quamprimum mittendum ſanguinem, niſi quid impediat, ut mox ingeſtus cibus retentio fæcum; quamvis hæc minus impediat, cum à miſſo ſanguine liceat clyſtere fæces educere, ſi urgeat periculum fluxionis, ob idque non ſit proroganda venæ ſectio. Quinimo in maxima urgentia ſpernendus eſt mox ingeſtus cibus, ut monebat Celſus. Si nullum eſſet in mora periculum, peracta cibi coctione detrahendus eſſet ſanguis, ſicuti, & in retentione fœcum ſatius eſſet, præmittere clyſterem, quo educerentur fæces.

Quod ſi tum venæ ſectio, tum pharmacum fuerit neceſſarium, nihilominus venæ ſectionem ut plurimum præmittendam eſſe, tanquam univerſalius præſidium, cenſendum eſt, eoque magis, quod periculum à motu ipſius ſanguinis plerumque eſt urgentius, cum ſtatim à vulnere ſanguis incipiat exagitari, & ob effuſionem ſanguinis à parte quodammodo ad ipſam feratur conſecutione quadam, & etiam attrahatur. Quod ſi evenerit, urgentius eſſe periculum, quod a pravis ſuccis imminet, ut quando ob pravam victus rationem præcedentem, ventriculus, & primæ venæ pravis ſcatent ſuccis, ex quibus retractis ad venas facile fit febris prava, profectò præmittendum eſſet ipſum pharmacum purgans, modò id non fuerit ex validis, quibus præponenda ſemper eſt venæ ſectio, ſed quod primas tantùm vias evacuet, unde & Galen. 6. morb. pop. ſec. 1. tex. 5. Ubi helleboro, & venæ ſectione opus eſt, venæ ſectionem præmittendam dicit. Quòd ſi à principio non fuerimus vocati, nihilominus ſive fluxio, & inflammatio cœperit, ſive non, modò periculum ſit fluxionis, ſecanda erit vena. Ubi flu-

Num venæ ſectio ſemper ſit præmittenda pharmaco.

xio prohibetur, nihil eſt, quod derivationis gratia venam ſecemus, cum nihil in parte contineatur. Verùm ſi genita fuerit inflammatio, ſedata fluxione, vel pauco exiſtente eo, quod influit, derivationis gratia ſecanda erit, modò adſint venæ proximæ, quæ ſecari poſſint, & inflammatio genita fuerit effatu digna, vel quid adhuc influit inflammationem augens.

Revulſio præmittenda derivationi.

Itaque primo revellendum, deinde derivandum; quidquid dicat Matthæus Curtius, qui derivationem præponendam revulſioni contendit, quo nihil periculoſiùs, tantùm enim abeſt, ut adhuc urgente fluxione, aliquid utilitatis derivatione ipſa ſincera præſtemus, ut potius majorem efficiamus fluxionem, & magis ad partem advocemus, unde & Gal. loquens de ſectione venæ frontis in dolore poſterioris partis capitis, dicebat: Præevacuatum totum corpus ſit, oportet. Sed & Gal. inveteratis ob id affectibus dicebat competere derivationem 2. ad Glauc. 7. & 6. morb. vulg. ſec. 2. tex. 9. dicebat: Surſum elati, & geniti affectus ſtatim inter initia deorſum revellere oportet, mox verò & contraria horum præſtare, quod eſt localiter evacuare, quemadmodum in his, quæ ad caput attinent, ſi poſteriora capitis doleant, recta vena in fronte ſecta juvat, quod locale tamen remedium eſt. Sed non eſt in rebus claris immorandum.

Quando revulſionis gratia mittitur ſanguis partienda eſt ſanguinis miſſio.

Quoniam autem quò frequentiùs commovetur ſanguis ad contrariam partem, veriſimile eſt, ejus motum ad partem vulneratam faciliùs inhiberi, cum ipſum vel invitum aliò convertamus, & natura etiam aſſueſcat ad eam ſanguinem tranſmittere, ſi pluries mittatur ſanguis, efficaciorem futuram revulſionem exiſtimandum eſt, ſic enim pluries ſanguinem ad contraria, & remota movemus. Quæ ergo ſanguinis quantitas pro evacuatione, & revulſione erit mittenda, eam in plures vices partiri ſatius erit. Hinc Gal. lib. de cur. ra. per ſang. miſ. cap. 12. Revulſionem, quæ ſæpe adhibetur vena ſecta, quantò majorem in numero particulares auxeris detractiones, tanto efficaciorem efficies. Sicuti & partiri ſanguinis detractionem neceſſe eſt, quando vires imbecillæ tantam evacuationem non perferunt.

Dubitatio.

Aliqui iterationem hanc venæ ſectionis ad quantum agendum reducunt, duplicemque in venæ ſectione quantitatem conſiderant,

ſiderant, alteram continuam, alteram diſcretam. Ad diſcretam pertinere dicunt, quòd ſanguis ter, aut quater mittatur, continuam verò quantitatem appellant, e. g. libram unam, aut duas ſanguinis. Sed in hac doctrina, mea quidem ſententia, duo ſunt manifeſti errores. Unus quidem, quod libram unam, aut duas, & omnino ſanguinis quantitatem ad quantitatem remedii ſanguinem evacuantis referunt, cum potius ſit ipſum indicans ſpecificum, & determinatum, valde autem intereſt inter indicans, & materiam remedii. Non magis profecto ſanguinis libra evacuanda eſt quantitas materiæ medicæ, quàm libra bilis evacuanda ope medicamenti bilem expurgantis. Conſtat autem libram illam bilis non eſſe remedii materiam, ſed indicans medicamentum, & illud quidem ſpecificum, & determinatum. Quare ſicuti in evacuatione bilis quantitas materiæ medicæ eſt quantitas medicamenti, quod bilem evacuat, ita in evacuatione ſanguinis quantitas materiæ medicæ erit quantitas remedii, quo evacuatur libra ſanguinis. Hinc magnam ſanguinis miſſionem dicere ſolemus, qua multa ſanguinis quantitas evacuatur, parvam, in qua modica, mediocrem, qua mediocris. Comparative tamen hæc omnia intelligendo, ut ad quantitatem venæ ſectionis non ſolùm attinere videatur quantitas foraminis, quod fit in vena, verùm & temporis, quo foramen hians ſervatur, non enim videtur foramen illud venæ tantum ſanguinis evacuaſſe, niſi quia tamdiu apertum ſervatum eſt. Sic in rebus, quæ ponderi, aut menſuræ non ſubjiciuntur, quantitatem accipere conſuevimus. Unde & in frictionibus quantitatem hoc modo metimur, ex temporis videlicet diuturnitate, frictionis enim vehementia non magis ad quantitatem ipſius attinet, quam vehementia pharmaci bilem exolventis, puta ſcammonii ad quantitatem ejuſdem.

Alter error eſt, quod iterationem venæ ſectionis ad quantum agendum reducunt, cum tamen ad agendi modum pertineat, quod quidem exemplo ab aliis remediis deſumpto facile eſt intelligere. Indicatur e. g. in febre remedium refrigerans ut tria, verum quoniam ſæpè fallax eſt multum, & repente evacuare, vel calefacere, vel refrigerare, & omnino corpus movere, ut monebat Hip. in Aph. propterea non ſemper ad remedium refrigerans,

ut tria, confugimus, puta ad frigidæ potionem, ſed ſyrupos quotidie exhibemus, quorum decem, aut viginti refrigerabunt ut tria. Quis non videt unumquemque ſyrupum per ſe eſſe portionem remedii refrigerantis ut tria. Quod ſi ita eſt, manifeſtum quoque eſt, exhibitionem illam plurium ſyruporum non ſpectare ad quantum agendum, ſed ad modum agendi, eo enim modo cogimur uti materia illa, quoniam aliter uſurpatæ non cedet affectus, cum à natura regulari nequeat. Idem procul dubio eſt de iteratis venæ ſectionibus; quinquies ſecetur vena pro revellenda humorum fluxione, quælibet earum ſectionum erit portio materiæ unius remedii revellentis, non integra materia, ſed integra materia erunt omnes illæ ſectiones ſimul. Etenim materiæ medicæ debent habere vim remedii ſpecifici, & determinati, affectui ſcilicet proportionati, ut ſi refrigerandum ſit ut tria, materia hujus remedii non erit quælibet materia, quæ aliquo pacto poſſit refrigerare, ſed quæ poſſit refrigerare ut tria; quare ſi pro revellendis ſuccis mittendus ſit ſanguis, materia hujus remedii non erit quælibet venæ ſectio, ſed illa tantum, quæ poteſt contrarium motum in ſanguine concitare: conſtat autem, unam ex illis quinque venæ ſectionibus per ſe non poſſe motum hunc in ſanguine inducere, ſed omnes ſimul hoc ſolummodo poterunt, igitur una ſectio erit portio tantùm materiæ, & ex conſequenti iteratio hæc venæ ſectionis non ad quantum agendum, ſed ad modum agendi ſpectabit. Quare & talis iteratio non ab activitate indicantis præſcribitur, ſicuti medicæ materiæ quantitas, ſed à paſſione ſanguinis, veluti utendi modus ipſius materiæ; quia enim ſanguis non ſatis patitur ab una venæ ſectione, cogimur vices multiplicare; & quamvis non major quantitas extrahatur iteratis venæ ſectionibus, quàm una ſectione, magis tamen patitur ſanguis ab iteratis venæ ſectionibus, quàm ab unica, quia magis commovetur, & magis aſſueſcit ad ſectionis locum. Sed hæc obiter ſint dicta.

A quo indicetur iteratio venæ ſectionis.

In quot vices partienda ſit miſſio ſanguinis.

In quot autem vices partiri oporteat detractionem ſanguinis, certò deſcribi non poteſt, ſed judicio prudentis Medici eſt relinquendum. Attamen non ignorare oportet, quanto majus fuerit fluxionis periculum, & quanto major, & majoris momenti extiterit fluxio, quæ timetur, tanto plures detractiones eſſe debere,

bere, modò tamen quælibet ipſarum aliquid poſſit facere. Hinc Gal. 5. Meth. 13. in adoleſcente, cui rupta fuit vena in thorace, quater miſit ſanguinem. Sed experientia docuit & ſexies, & ſepties in graviſſimis caſibus utiliter admodum mitti ſanguinem revulſionis gratia. In vulneribus, in quibus non adeò timetur fluxio, ſatis erit bis ſanguinem mittere. Nonnihil tamen & ipſæ vires interdum faciunt ad augendum numerum detractionum, quando enim vires imbecilliores ſunt, in plures vices partiri miſſionem ſanguinis oportet, ut minore cum virium diſpendio fiat evacuatio. Unde ſanguinis libram tribus, aut quatuor detractionibus educimus in imbecillioribus viribus, quàm in ipſarum conſtantia duabus tantum vicibus evacuaremus. Quando vero facienda ſit iteratio, periculum pariter commonebit, quo enim majus eſt periculum fluxionis, & quo major imminet fluxio, eo citius iteranda eſt venæ ſectio juxta illud Hipp. In acutis medicari eodem die, ſi expediat, tardare enim in talibus malum. Hoc enim non tantum de pharmaco exiſtimandum eſt ab Hip. dictum fuiſſe, ſed & de aliis præſidiis, quæ vehementiam affectus obtundere ſtatim poſſunt. Hinc Gal. 1. Meth. 13. in illo juvene, qui ex refrigeratione inſtrumentorum reſpirationi deſervientium in ſputum ſanguinis inciderat, duobus ſubſequentibus diebus quater miſit ſanguinem. Et lib. de cur. ra. per ſang. miſ. cap. 17. in vehementi fluxione ad oculos hora quinta ſecuit venam, & iterum hora nona. Sed & ter, & quater, ſi periculum fuerit admodum præceps, eadem die poterit ſecari vena, & ſequenti etiam die iterari ſectio venæ; ut bis, & ter etiam mittatur, ſi oportuerit, & vires permiſerint. In minori fluxione, vel minori ejus periculo differri iteratio poterit ad ſecundam, vel etiam ad tertiam diem. Hoc eſt, quod dicebat Gal. lib. de cur. ra. per ſang. miſ. cap. 16. Conari autem in omnibus affectibus præſtat poſt modicam ſanguinis miſſionem iteratò mittere, interdum eadem die, ſi expedire videbitur, interim poſtridie: Intra quartam autem diem iterationes omnes fieri debent, quemadmodum comperiemus obſervaſſe antiquos ſapientes, ſic enim perfectè complebunt materiam unius revellentis auxilii.

Quod vero attinet ad quantitatem ſanguinis qualibet vice extra- *Prima vice plus ſangui-*

nis est extrahendum, & sic subsequenter.

extrahendi, ſcire oportet, prima vice plus ſanguinis extrahendum eſſe, quàm ſecunda, aut tertia, & ſecunda, quàm tertia, & ſic deinceps. Unde Gal. lib. de cur. ra. per ſang. miſ. cap. 17. primo miſit ſanguinem ad libras tres, hora videlicet quinta, dein hora nona unicam extraxit. Neque ſolum, quia vires in principio ſint robuſtiores, verùm etiam quia tum revellere, tum evacuare volumus, imminuta enim plenitudine à prima ſectione, qua copioſior ſanguis educitur, periculum redditur minus, & impetu ſanguinis ad alias partes convocato, ſubſequentibus parcioribus detractionibus licebit facilius motum ſanguinis ad contraria penitus avertere. Quando tamen laborantis vires non eſſent penitus nobis exploratæ, ſatius eſſet, prima vice parce mittere ſanguinem, ut nobis innoteſceret, quo ſe extenderent ejus vires.

CAPUT LI.

De hirudinibus, cucurbitulis, & ſcarificationibus.

QUando imbecillitas virium ſectionem venæ, magnum quippe remedium, haud permittit, & tamen evacuationis, vel revulſionis gratia mittendus eſt ſanguis, ſive antea miſſus ſit, ſive non; ad hirudines, & cucurbitulas ſcarificatas confugimus, quæ ſanguinem citra virium diſpendium evacuant, unaque ad partem, cui applicantur, revellunt. Hirudines quidem venis applicantur, & propterea quæ de venæ ſectione dicta ſunt, ad ipſas ſunt transferenda, cum earum applicatio nihil aliud ſit, quam venæ ſectio quædam, ſeu modus quidam venam aperiendi. Applicantur tamen hirudines venis hæmorrhoidalibus, quas ſcalpello ſecare non licet. Non ſolum autem ſanguinis evacuatione applicatio hirudinum revellit, ſed & peculiari quadam attractione, namque ſugendo attrahunt, & ita impetum quendam indunt ſanguini ad apertam venam; cum hoc tamen, quoniam evacuatio fit paulatim, minus revellunt, quàm venæ ſectio.

Quomodo revellant hirudines.

Cucurbitulæ ſcarificatæ

Cucurbitulæ ſcarificatæ à venis majoribus immediatè non evacuant, niſi longæ, ac profundæ fiant ſacrificationes, ſed à capilla-

capillaribus venis, nihilominus fortius revellunt ipsis hirudinibus ob violentam cucurbitulæ attractionem vi vacui, unde Gal. 4. Meth. ult. dicebat: Cucurbita est instrumentum ad violentum attractum à Medicis exagitatum, quapropter quamvis immediatè à venis majoribus non evacuent, à profundo tamen attrahunt. Hinc Galen. 3. loc. af. cap. 4. Cucurbitulæ attrahunt humores ad sese ex imo, ideoque illis in validissimis fluxionibus sæpissimè utitur, namque in sanguinis narium fluxu regioni hepatis easdem applicat lib. de hum. com. 1. text. 13. si à dextra nare fluat sanguis; in fluxu sanguinis ex utero easdem sub mammis. Tribus ergo rationibus potissimum revellunt cucurbitulæ, evacuando scilicet, (nam loquimur de scarificatis) attrahendo ob vacuum, & dolorem inferendo; neque tamen existimandæ sunt tantum valere, quantum venæ sectio, quæ immediatè sanguinem à venis majoribus evacuat, & retrahit. Quæ autem de contrarietate, & rectitudine dicta sunt in venæ sectione, huc quoque sunt transferenda; nam & maximum momentum habet in admovendis cucurbitulis rectitudo, unde Gal. Si à dextra nare fluebat sanguis, regioni hepatis magnam cucurbitam applicabat; si à sinistra, lienis regioni, ut videre est lib. de hum. cap. 1. text. 13.

an fortius revellant.

Tribus rationibus revellunt cucurbitulæ.

Quamvis hoc peculiare habeant curcurbitulæ, ut utrisque partibus possint applicari, unde non solum consulitur sanguini, qui in latere affecto contentus ad partem affectam fluere potest, vel fluit, sed etiam ei, qui in altero latere contentus ad affectum locum potest confluere: Aliud habent peculiare cucurbitulæ, quod non unam applicamus, sed duas, tres, quatuor, & plures, prout necessitas postulat, non enim est quidam peculiaris locus, cui applicentur, sicuti in quibusdam particularibus locis venæ secari solent; namque occipiti, & humeris, & dorso, & brachiis tam à parte domestica, quàm à parte silvestri, & natibus, & coxis, & à posteriori parte, & in domestica earum parte, ac silvestri; pariter quoque, & cruribus applicantur, juxta indigentiam. Quocirca maximi momenti existimanda est revulsio, quæ earum fit auxilio.

Utilitas cucurbitularum.

Cum autem cucurbitulæ revellant attrahendo vi vacui, & ratione doloris, & ratione evacuationis sanguinis, manifestum est

Cucurbitulæ quando for-

tius revellant. est quo major erit vis vacui, & dolor major, atque copiosior evacuatio, vehementiorem quoque futuram revulsionem, unde quò copiosiori igne admovebuntur, eò magis revellent, posteaquam vis vacui redditur major, & major concitatur dolor. Similiter quo plures, & profundiores fient scarificationes, quoniam & dolor fit major, & copiosior evacuatio sanguinis, & à majoribus venis, eò etiam fortior erit attractio, & ex consequenti major revulsio. Quando etiam majores erunt cucurbitulæ magis attrahent, nam vis vacui major redditur. Quocirca indigentia revulsionis erit perpendenda, ut, quando hoc, vel illud agendum sit, innotescat; vanum est enim, quando levis est indigentia, cucurbitulas admovere, quæ vehementissimè attrahunt. Derivationis gratia raro cucurbitulis utimur in vulneribus, frequentius hirudinibus, eas proximæ parti affigendo, venæ videlicet, quæ cum parte affecta communicet, ut sanguis per apertam venam possit evacuari.

De scarificationibus. Scarificationibus simplicibus absque cucurbitulis utebantur antiqui, sed nostris temporibus ferè earum usus exolevit. Illud tamen non ignorandum eas leviùs revellere, quàm ubi facta scarificatione affigitur cucurbita. Si cui placuerit scarificationes revellendi gratia in usum revocare, posteaquam eædem Hippocrati placuerunt, & ipsas summopere comprobavit Galen. animadvertat leves quidem, & superficiales nullam præstare revulsionem, sed tantùm à summa cute impactum humorem elicere; longas vera, & profundas, quæ cutim videlicet pertranseunt sicuti copiosè sanguinem evacuant, ita quoque vehementer revellere, cum præsertim non levis adnectatur dolor. Galen. hisce scarificationibus ad crura adhibitis, ut videre est lib. præsagium experientia confirmatum penultimo capite. Et lib. de cucurbitarum scarificatione cap. 20. sibimet detraxit duas libras sanguinis, quo remedio liber à pestilentia evasit. Mediocres verò quæ cutem videlicet non pertranseunt inter utrasque medias esse, & propterea pro majoris, vel minoris revulsionis indigentia longioribus, & profundioribus, vel minus longis, ac profundis scarificationibus uti oportebit. Loca verò, quibus potissimum adhibentur scarificationes sunt crura, femora, nates, scapulæ, ac brachia. Remotas

motas verò, & contrarias partes ſemper ſcarificandas eſſe, ut poſſint revellere, cuilibet notum eſt.

CAPUT LII.

De cucurbitulis non ſcarificatis, & nonnullis aliis revellentibus auxiliis.

INter revellentia præſidia ſunt etiam cucurbitulæ citra ſcarificationem, frictiones, aſperæ præſertim, vincula, ſinapiſmi, veſicantia, inuſtiones, & hujusmodi. Cucurbitularum ſæpè meminit Galen. ut lib. de hum. com. 1. text. 13. 2. ad Glauc. cap. 7. & pluribus aliis in locis, ibi enim dicebat: Quocirca nos cum menſtruæ purgationes vehementius, & confertim evacuantur, & cum ſanguis ex utero fluit, ſurſum revellere conſuevimus, quod cucurbitula maxima ſub mammis affixa facimus. Sanguinis verò ex naribus profluvium inita ratione contraria, hoc eſt, cucurbitulas præcordiis adhibentes, cohibemus. Sic & cucurbitula defigenda occipiti eſt, ut materiam quæ in poſteriori eſt parte, & ad oculos comportatur, revellamus. Revellendi autem vim habent ratione attractionis violentæ, quæ ab ipſis fit, ut vacuum prohibeatur, & etiam doloris ratione, dum violenter caro ad interiorem earum partem attrahitur. Et ut dictum eſt de ſcarificatis, quo cucurbitula eſt major, & quo pluri igne adhibetur, eo major ab ipſa fit attractio, & major concitatur dolor, & ex conſequenti major etiam fit revulſio. Cum autem paucum, vel nullum afferant virtuti diſpendium, idcircò non ſolum pluribus in locis, & plures numero uno, & eodem tempore poſſunt affigi, verum & pluries in die, prout neceſſitas revellendi poſtulavarit. Quare ipſarum utilitas eſt maximi facienda. Videntur tamen plus conferre revellendo deorſum, quæ ſurſum confluunt, quàm ſurſum ea, quæ deorſum, præcipuè ſi ad artus fiat fluxio; quando enim ad artus non pervenit fluxio, etiam optimè ſurſum revellunt, ideoque Galen. in fluxu ſanguinis ab utero eas applicabat ſub mammis.

Ut revellant cucurbitulæ citra ſcarificationem.

Frictiones, & ipſæ revellendi vim habent, earumque pro revul-

De frictionibus.

revulſione facienda meminit Gal. lib. de hum. cap. 1. tex. 13. & 2. ad Glauc. 7. ubi dicebat: Veluti in utero revulſio erit, ſi venam cubiti ſecueris, aut cucurbitam prope mammas affixeris, aut manus calefeceris, & fricueris. Idem pluribus aliis in locis. Revellunt autem frictiones, & ob calorem inductum, & rarefactionem, & reſolutionem ejus, quod in parte continetur, ſic conſecutione quadam ſequitur ſanguis, tum verò, & maxime, quoniam ſanguis attrahitur verſus partem, in quam ducitur frictio, inde conſequitur alius, & ſic contrarius inditur ſanguini motus. Quòd ſi dolor frictionibus inducatur, hac etiam ratione revellent. Et ideo quo aſperiores erunt, eo fortius revellent; namque & vehementius attrahent, & major concitabitur tum calor, tum dolor, quo vero erunt leviores, eo minorem revellendi vim habebunt. Multa quoque frictio fortius revellit pauca.

De vinculis. Vincula, & ipſa doloris ratione revellunt, & eorum meminit Gal. citatis locis, & calidi lavacri, dicebat enim: Aut manus calefeceris, & fricueris, & deligaveris. Et com. 1. in lib. de hum. tex. 13. Cumque morbus thoracem, & ſtomachum petit, tunc manus, ac pedes adhibita vi, ſunt vinculis excipiendi, ut quod moleſtum eſt, illuc revellatur. Cum ergo dolorem inferendo revellant, manifeſtum, quo arctiora erunt vincula, eo fortius revulſura: ſed cavere oportet, ne adeo conſtringantur, ut parti necem afferant, ideoque ne pars ob vinculum vitalibus ſpiritibus privetur, curandum erit, ne æqualiter partem comprimat, & adſtringat: quod aſſequemur ſuppoſito ipſi vinculo duobus, aut pluribus locis aliquo corpore, quo vinculum aliquibus in locis à parte arceatur, cujuſmodi eſſet lignum ad digiti craſſitiem circiter, quando videlicet vinculis fortiſſimè volumus adſtringere.

Sinapiſmi, & veſicantia, ut revellant. Sinapiſmi, & veſicantia revellunt, & attrahunt calefaciendo, doloremque inferendo, eorum meminit Gal. lib. de hum. loco citato, dicebat enim, ſi redundantia ad caput, aut ventrem feratur, medicamenta mordacia manibus, pedibuſque admota revellere contrariam in partem ſolent; verum ex veſicantibus duplici ratione fit revulſio, & vi ſcilicet ipſius medicamenti veſicantis, & poſt remotionem medicamenti ab inducto ulcere. Quod ſi acribus irritetur medicamentis, & quodammodo inflammetur, ratione

ratione doloris, & inflammationis fiet major revulſio, inflammatio enim veluti cucurbitula attrahit, ut dicebat Galen. pulvis autem euphorbii eſt maximè ex uſu, item pyrethri, ſinapis, piperis, & hujusmodi. Sinapiſmi parantur ex ſinapi, pipere, nitro, naſturtio, pyrethro, ſtaphiſagria, & hujusmodi ad unguenti, vel emplaſtri, vel cerati formam cum idonea materia redactis. Materiam pro unguento præſtabit cera, & oleum aliquod calefaciens, vel unguentum ejusdem qualitatis; pro emplaſtro caricæ, emplaſtrum apoſtolicon, & hujusmodi. Pro cerato oleum calefaciens, cum cera, & reſina, vel cerato quopiam. Solent parari frictiones aſperis linteis acribus liquoribus madefactis, cujuſmodi eſt acetum, quod ſal, piper, pyrethrum, ſinapi, euphorbium, & hujuſmodi acria receperit, & fit fortiſſima revulſio. Veſicantia parantur ex flammula Jovis, radice ranunculi tuſis; item ex cantharidibus additis etiam rubificantibus, & fermento, ac caricis, nec non & aceto, vel melle ſcyllitico, vel anacardino melle, quæ, præter id, quod adjuvant, formam emplaſtri præſtant. Verùm quoniam talibus revellentibus potiſſimùm utimur in gravibus vulneribus capitis, idcircò eo in loco diffuſius de iis pertractabimus.

Quamvis autem dixerimus calorem, & dolorem attrahere, & ex conſequenti revellere, non eſt exiſtimandum fieri hanc attractionem per ſe, ſed per accidens; cum enim ignis hic noſter ſuo calore, quem in ſummo obtinet, non attrahat, neque de aliis caloribus exiſtimandum eſt, quod trahant: ſed hæc fuere explicata, cum de cauſis fluxionis pertractaremus. Pariter neque vacuum attrahit, neque enim datur. Sed ne detur vacuum, neceſſariò egrediente uno corpore ab aliquo loco, aliud ſuccedit, & proptereà abuſivè dicitur vacuum attrahere.

In his autem revellentibus præſidiis quæ de revulſione in univerſali dicta ſunt, conſiderare oportet, ut videlicet quando jam inflammatio cœpit, non ſolùm ad contraria applicentur revellentia, & ad oppoſitum latus; verum etiam ſervetur altera rectitudo. Modo autem uno horum revellentium præſidiorum, modo altero uti oportebit, prout ægrotus permittet, & neceſſitas poſtulabit. Et tandiu in uſu revellentium perſiſtere oportebit, quam-

quamdiu perdurabit fluxio, vel fluxionis periculum, & vires perferent. Licet enim ea revellentia, quæ citra evacuationem ſenſibilem operam ſuam præſtant, minus viribus officiant, non eſt tamen negandum, quin & aliquid detrimenti inferant, cum & inſenſibiliter evacuent, & plura dolorem inferant, dolor autem vires fatigat. Reliqua in uſu revellentium obſervanda peti debent à capite: De ſiſtenda fluxione.

CAPUT LIII.

De purgatione in vulneratis inſtituenda.

QUamvis communiter connumeretur purgatio inter ea præſidia, quæ affluxum humorum ad vulneratam partem prohibent, tam eorum, qui inflammationem efficiunt, quam eorum, qui excrementis ſcatentia faciunt ulcera, atque putredinoſa, utpote quæ quod influere deberet, à corpore educat, & avertat, nihilominus non deſunt, qui cane pejus, & angue eam in vulneratis fugiunt, hac potiſſimum nixi ratione, quod humores commovet, & ad fluendum paratos reddit.

Hippocrates purgationem præcipit in vulneribus, & explicatur locus ex li. de affec. tex. 27.

Verùm, ſi hujuſce quæſtionis voluerimus arbitros Hippocratem, & Galenum, tollitur protinus omnis ambiguitas namque Hipp. lib. de aff. tex. 37. hæc habet: Vulneratos fame affligito, & ex alvo, quæ inſunt, ſubducito, aut per clyſterem, aut pharmaco infra purgante exhibito: quibus quidem verbis duo præcepta proponit, unum eſt, ut prohibeamus, ne generetur materia fluxionis, qua ratione jubet, ut vulneratos tenuiter victitemus, ne ſuccorum copia generetur, qui ſive boni ſint, ſive mali, valent negotium faceſſere: de malis quidem manifeſtum eſt, at bonos quoque noxam interdum inferre, ſi quæ anteà diximus in memoriam revocentur, erit perſpicuum; generato enim ampliori ſanguine, is fertur in eadem quantitate, qua antea ſanitatis tempore, ad vulneratam partem, & forſan etiam majori, poſteaquam natura, ut quod noxium eſt, fortius expellat, aſſolet ſanguinem copioſiorem, & ſpiritum in afflictam partem exprimere, natura verò partis imbecillis nequit tantam ſanguinis copiam

piam conficere, quam antea, unde inflammationes, & putredines. Alterum præceptum eſt, ut quæ materia adeſt jam in corpore fluxionis, ea tollatur, & etiam revellatur, & propterea purgationem per alvum præcipit, quotieſcunque clyſter non ſufficiat: ſufficit enim vel ob parvam quantitatem exiſtentis ſucci, ut quando corpus eſt eucratum, vel ob minus urgens periculum, ut quando vulnus non eſt ex magnis, non enim ibi intelligit Hipp. quod ſemper ſufficiat alterum duorum, ut libuerit, præſtare, vel ſcilicet clyſterem injicere, vel purgans pharmacum exhibere, ſed in leviori periculo vult clyſterem adhiberi, in fortiori verò, & urgentiori ad purgationem ſe transfert. Sicuti & ipſe quandoque non ſolùm purgationis vice, verum etiam loco miſſionis ſanguinis utitur clyſtere acuto. lib. quoque de ulceribus Hipp. purgationem in cura vulnerum proponit, dicebat enim text. 4. Depurgatio ventris deorſum plurimis ulceribus confert, & in vulneribus, quæ ſunt in capite, & in ventre, & in articulis, & in quibus corruptionis periculum eſt, & in his, quæ contuſa ſunt.

Galenus laudat purgationem in vulneribus.

Galen. non minus in vulneribus purgatione nos uti oportere cenſet; dicebat enim 4. Meth. 6. Ulceribus omnibus, & vulneribus, quoties prævalida ſunt, purgatio eſt utilis, unde ibidem ſubjungebat: Ubi tendines, nervi, & carne vacua, atque oſſea loca ſunt, hic doloris, vigiliarum, convulſionis, & delirii periculum inſtat. Hæc ergo omnia, & quæ futuris, vel deligatura indigent, alvi purgationem deſiderant, & quæ vitioſi ſucci ſunt ſoboles.

De qua purgatione intelligendus ſit Hip. & Gal.

Alii non quæcumque purgantia reprobant, ſed valida tantum; levioribus enim, quæ lenientia appellantur, utendum cenſent. Fortiora ſiquidem ajunt humores exagitare, & ad fluxionem commovere. Quapropter & in articularibus fluxionibus, urgente ipſa fluxione, quamvis humor influens ſit bilis unà cum pituita, attamen à purgatione abſtinemus, dicunt, quia magis præcipitat humores ad articulos. Quod ſi Hipp. & Gal. decreto ſtare voluerimus, iſti quoque redarguendi videntur, poſteaquam dum Hipp. & Gal. loquuntur de purgatione, intelligunt ſemper de ea, quæ verè purgatio eſt, qua ſcilicet ſelectivè educuntur ſucci, ut om-

nibus patere arbitror qui in Hip. & Gal. doctrina sunt versati. Et quod ad hanc rem attinet, certum est eos intelligere de ea purgatione, quæ ad propositum finem assequendum facit, at hæc est purgatio selectiva, non levis illa; purgant enim Hipp. & Gal. in magnis vulneribus, ut inflammationem, & affluxum succorum prohibeant, quod fiet, si calidi, & tenues succi, ex quibus totus sanguis ad motum proclivis redditur, evacuentur, & etiam revulsio fiat ope attractricis facultatis medicamenti purgantis, palam autem, hoc præstari posse ab iis tantummodo, quæ verè evacuant. Hæc manifesta videtur sententia Hip. nam lib. de frac. text. 48. com. 3. in fracturis ossium cum ulcere maximi momenti, veratrum exhibet; non ergo intelligendus venit Hip. de leniente purgatione. Idem sentire videtur Gal. 4. Meth. 6. ubi expresse meminit de purgatione hujus, vel illius succi pro ratione redundantiæ; dicit enim. Quin etiamsi iis, quæ jam dixi, illud quoque adjicias, nempe quod ipsum, qui redundat, succum vacuandum esse Hipp. suadet, aliàs sanguinis detractionem adhibebis, cum videlicet is vincit, alias pharmacum, quod ad bilem flavam, vel atram, vel pituitam educendam vim habet, dabis. Neque aliter intelligi potest Gal. namque eo capite propter magnitudinem morbi vult adhibendam esse purgationem, hanc statuendam esse pro indicatrice quadam sanguinis detrahendi, vel purgationis adhibendæ profitetur: si ergo purgationem consulit Gal. propter magnitudinem morbi, utique remedium aliquod magnum sit id oportet, siquidem remedia debent esse morbis proportionata; at non erit magnum remedium, si leniens fuerit, sed tantùm, si fuerit seligens. Sed quoniam isti doctrinæ Hip. & Gal. parum videntur addicti, rationibus rem agamus. Videndum igitur, an in vulnerato reperiatur quod indicet hujus præsidii genus, numque adsit quidpiam, quod prohibeat; etenim si quodpiam præsidium in usum sit revocandum, adesse oportet, quod illud indicet, abesse verò, quod prohibeat; & hac nulla est potior via investigandi, an conveniat aliquod remedium propositum, nec ne.

Supponendum igitur nobis est ex Gal. 1. Aph. 2. & com. 1. in lib. de hum. tex. 12. Purgationem esse evacuationem humorum à sanguine diversorum qualitate peccantium, seu nocentium, quæ quidem

quidem ope pharmacorum attrahentium sibi proprios, & peculiares succos perficitur. Si more Medicorum loquamur, qui communiter statuunt, & hoc Hipp. & Gal. sæpè docuerunt, purgantia pharmaca evacuare attrahendo à proprietate totius substantiæ proprios, & peculiares succos. Quod tamen in dubium forsan posset revocari, cum videamus vim purgativam ipsas venas petere, ut apparet in iis, quæ infantes ablactant, nam si pharmacum sumpserint, lac earum vim purgandi infantem acquirit, quod aliunde provenire non potest, quam ex vi purgativa pharmaci, quæ venas adierit, & cum sanguine permixta, atque ad mamillas lata lac ipsum ita affecerit. Constat autem, si vis expurgativa esset facultas quædam attrahens, lata illa vi ad venas, & ad vacuandos succos, impeditum iri potius expurgationem, ut proinde non ab re suspicentur nonnulli medicamenta purgantia potius expellendo purgare, quàm attrahendo.

Num revera purgantia attrahant proprios, & sibi familiares succos.

Sed hæc obiter, nec multum refert, quantum ad rem præsentem attinet, sive expellendo, sive attrahendo purgent pharmaca. Communem tamen loquendi usum servabimus. Manifestum est ergo, dum ope medicamenti fit purgatio, fieri motum succorum ad intestina ipsa, neque solum eorum, qui evacuantur, sed & aliorum succedentium, vel vi vacui, vel ab iis, quæ peculiariter attrahuntur, raptorum; quamvis enim scammonium evacuet bilem, nihilominus in hoc motu & ipse sanguis, & alii succi impetum quendam assumunt ad intestina, & ideò si ad aliam partem qua de causa vergant succi, vi purgationis retrahuntur. Hæc est ratio, quod antiqui sapientes non solùm evacuationis gratia purgationem instituendam dixerunt, sed & revellendi. Unde Gal. 4. Meth. 6. Desiderant ægri purgationem non modò ut quod noxium supervacuum, quo urgentur, educat, sed etiam ut quod tum ad diversum trahat, tum vacuet. Et 1. com. in lib. de hum. tex. 12. Purgatione opus habent ægroti non modò quia humorum redundantia, quæ noxia est, expurgetur, sed etiam ut avertatur, & evacuetur. Et lib. de cur. ra. per. sang. mis. 8. In iis quibus pars quæpiam graviter icta est, aut utcunque aliter incipientem habet phlegmonem, curationem ab inanitione auspicamur, si eam fore magnam suspicamur, aut purgante exhibito, aut vena incisa, prout

Quomodo revellant purgantia.

prout alterum altero magis convenire videbitur. Et 6. de comp. med. ſecundum loc. At verò venam ſecare eis, qui ſuffocantur, & eluere forti, atque acri clyſtere, & purgatoria exhibere gratia evacuandi totum corpus, & transferendi infra humorum momentum, qui ad affectas partes feruntur, rationabile eſt, & multa experientia indicatum, ac cognitum. Et 3. Meth. cap. 2. loquens de revulſione peragenda in phlegmone, dicebat: At vomitu uti pudibundis laborantibus in diverſa revellens auxilium eſt. Eadem ratione in omnibus, quæ circa caput accidunt, purgatio ad contrarium avertit. Unde & paulo ſuperius una die ſanatos teſtatur ſola purgatione per alvum nonnullos ex iis, quibus oculi tentari phlegmone cœperunt. Et lib. de hum. ſec. 1. com. 13. In omni, inquit, ulcere, cui ignis ſacer ſupervenit, purgandum corpus eſt, quia ulceri maximè prodeſt, ſive id per ſuperna, ſive per inferna fiat. At nobis eandem obſervandam eſſe diſtinctionem tradit, ut ſciamus ad ea loca materiam eſſe revellendam, ad quæ maximè vergit, quare ſi fluxio vehementer feratur, eam ad contraria revellemus, ut ſi in ſuperioribus ulcus ſit, per inferna purgemus, ſi in inferioribus conſiſtat, ſuperiorem ventrem vacuemus. Eadem fere habet 4. Meth. 6. & com. 2. in lib. de frac. tex. 27. dicebat: Non ſolùm ea ratione, ut excrementa expurgentur, veratrum bibendum tradi jubet, ſed etiam ut revellantur. Multa alia Gal. loca poſſent adduci, quibus revellendi gratia purgationem adhibet, ſed cum unuſquiſque ea facile poſſit per ſe invenire, non ero in hac re longior.

Hip. purgatione utitur revellendi gratia.

Non minus Hip. revellendi gratia purgationem adhibuit, ut paſſim apud ipſum licet obſervare. Cur enim 6. Aph. 31. dolores oculorum medicamenti potione ſolvi affirmat, niſi quia revelluntur ſucci ad oculos influentes? cur lib. de frac. com. 3. tex. 48. in curatione fracturæ femoris cum ulcere veratrum, & illud album ex mente Gal. exhibet, niſi ut revellat? cur lib. de art. tex. 76. in luxatione cum ulcere digitorum pedis proponit pharmacum ſurſum purgans, niſi ut revellat? cur lib. de vul. cap. ſi eryſipelas vulneri capitis ſupervenit, præcipit, ut detur medicamentum bilem evacuans? Quare firmum ſit hoc fundamentum, purgationem evacuare aut per ſuperiorem, aut per inferiorem ventrem vitio-

vitiosos succos à sanguine diversos, & ad naturales partes revellere.

Supponendum secundò, quod in vulnerato, quamvis prius succi à sanguine diversi nullam sensibilem inferrent molestiam, atque re vera non essent vitiosi, nihilominus possunt fieri noxii, & facile in magnis vulneribus impetum accipiunt ad vulneratam partem, cujus potentiam opprimunt sua quantitate, eoque magis cum jam pars facta sit ob vulnus imbecillior, unde cum non possint ab ipsa regi, inflammationem, & putredines concitant. Feruntur autem ad vulneratam partem iis de causis, quas capite de vulneris effectibus in vulnerata parte sumus diligenter persecuti, in quibus recensendis nunc non est conterendum tempus. Si verò in vulnerato præexistant vitiosi succi, ut, quando corpus est cacochymum, longè facilius etiam ad vulneratam partem confluunt, tum quia ipsa est imbecillior in cacochymo, tum quia natura, quod supervacuum est, solet semper ad imbecilliorem partem propellere; quæ cum sit tunc temporis, quæ vulnerata est, vitiosos succos ad ipsam facili negotio transmittit, hinc putredines & inflammationes, & alia mala. Ex quibus elici potest non in omnibus vulneratis æquale esse inflammationis, aut putredinis, aut alterius mali periculum, quamvis vulnera & ratione propriæ essentiæ, & ratione dignitatis sint æqualia, sed in iis, qui pluribus, ac pravioribus succis scatent, longe majus est periculum, ratio est in promptu; nam quò major adest materia fluxionis, eò pars sui natura est ad accersendam fluxionem paratior, & quò natura promptius transmittit humores ad partem vulneratam, eò facilius existimandum est dicta mala posse evenire: quæ omnes conditiones magis reperiuntur in iis, qui pluribus, & magis pravis succis scatent, namque plethorico existente corpore, præterquam quod copiosa adest fluxionis materia, natura etiam non egens alimenti minimè retinebit, sed promptè ad partem vulneratam sanguinem copiosiorem transmittet. Quod si pravis succis sit refertum corpus, sumpta à vulnere occasione, conabitur sarcinam, qua premebatur, & infestantes succos in ipsam vulneratam partem, ut imbecilliorem, deponere, & eò magis id accidet, si vulneratus acris fuerit sensus, aut ipsa vulnerata pars ex iis fuerit, quæ exquisito sensu

Secundum suppositum.

ſenſu ſunt prædıtæ. Hinc Gal. 6. Meth. 2. Fingamus quempiam ad nos venire, cui tantùm cutis acu ſit puncta. Hunc hominem, ſi is ſit, cui facilè ulcera ſaneſcunt, etiam ſi citra medicamentum, nudove membro ad opera conſueta dimittas, nihil ſentiet mali: ſin cui difficulter ſanantur, primùm quidem dolebit, poſt etiam tum pulſu particula infeſtabitur, tum phlegmone. Et paulò poſt: Non ignari quod qui vel plethoricus eſt, vel vitioſis ſuccis premitur, vel acris eſt ſenſus, vel horum quibuſdam, omnibusve premitur, phlegmone tentabitur, qui contra eſt affectus, nihil mali ſentiet, &c.

3. Suppoſitum. Tertiò ſupponendum, quod præſidia debent eſſe morbis æqualia, & ideo magnus morbus magno indiget præſidio. Hoc nulla videtur egere probatione, cum ſit axioma in arte medica, qua ratione dicebat Hip. 1. Aph. 5. Extremis morbis extrema remedia optima ſunt.

Concluſio 1. In magnis vulneribus, pravis ſuccis in corpore exiſtentibus, ne ii ad vulneratam partem confluant, neceſſe eſt ipſos & evacuare, & revellere; quatenus enim vitioſi ſunt, evacuari poſtulant, quatenus verò ad vulneratam partem confluunt, revelli, quod cum purgatio ſola præſtet, ut ſupra oſtenſum eſt, nam purgantia pharmaca & evacuant, & vim ipſis inferunt, neceſſe quoque eſt fateri in talibus vulneratis adeſſe indicans purgationem, & quatenus eſt remedium evacuativum, & quatenus eſt revulſivum præſidium.

In vulneratis adeſt indicans purgationem.

Concluſio 2. Ubi majus eſt inflammationis, ſeu fluxionis periculum cum remedia debeant eſſe affectibus proportionata juxta tertium ſuppoſitum, validiori remedio ipſi occurrendum, ſicuti quando levius eſt periculum; leviora ſatis ſunt præſidia. Ob id ſi maximum fuerit vulnus, & præceps fuerit fluxionis periculum, ejuſque lethalis, ut quando corpus eſt validum, cacochymum, vulnus doloroſum, &c. ſicuti indicabitur valdè præſidium tum evacuans, tum revellens, ita conveniet medicamentum fortiter purgans. Hinc Hip. lib. de frac. text. 48. com. 3. Ubi verò reponis, veratrum molle bibendum dare oportet eadem die, ſi eadem die repoſita fuerint. Et inferiùs tex. videlicet. 50. Et quibus oſſa repoſita non fuerint, his eadem exhibenda purgatio. Agebat enim

Vulneratis poſſunt convenire fortia purgantia.

enim Hipp. de fracturis cum ulcere femoris, & brachii in quo os extra eminet, ideoque maximum, & præceps imminet inflammationis, & corruptionis periculum, cujus gratia dicebat: Hi non valde superstites evadunt; nam & ossa magna sunt, & multum medullæ habent, &, quæ simul vulnerantur, multa sunt, & magni momenti, & nervi, & musculi, & venæ. Et siquidem reposueris convulsiones accidere solent, si vero non reposita sint, febres acutæ, & biliosæ, & singultosæ oboriuntur, & denigrantur: non minus autem superstites evadunt hi, quibus reposita non sunt, neque tentatum est, ut reponerentur: En quàm præceps immineat fluxio? Quam ut prohibeat Hipp. non blandum medicamentum exhibet, nec tamen omnia blanda deerant tunc temporis, namque lib. de nat. mulieb. nec non 7. epid. in historia filii Cidis, & Andreæ. Et 1. acut. text. 45. de Mercuriali meminit. Non deerat ipsi lac asininum, quo sæpè utitur ad subducendam alvum, sed veratrum ipsum medicamentum validissimum exhibet; extremis enim morbis extrema remedia sunt optima. Similiter lib. de frac. tex. 27. com. 2. in calcis luxatione veratrum ad revellendum, ut testatur Gal. in com. illius loci, illudque album exhibet. E converso in leviori periculo, ut, quando vulnus non est adeo fluxioni expositum, neque corpus vitiosis succis adeo scatet, leviora conveniunt. Unde Hipp. agens de luxatione digitorum pedis cum ulcere tex. 76. dicebat: Posteà quiescere quàm maximè convenit, & decumbere, ac pauco cibo uti. Melius etiam pharmaco sursum purgante levi aliquo uti. Ecce quomodo ubi levius est periculum, levius etiam proponit medicamentum?

Corporibus puris non conveniunt purgantia.

Conclusio 3. Si daretur corpus, in quo non adessent vitiosi succi, huic non conveniret purgatio, etiamsi vulnera essent magna, hinc Gal. 6. Meth. 2. Fingamus quempiam ad nos venire, cui tantum cutis acu sit puncta: hunc hominem, si is sit, cui facile vulnera sanescant, etiamsi citra medicamentum, nudoque membro dimittas ad opera consueta, nihil mali sentiet, sin cui difficulter sanentur, primum quidem dolebit, postea etiam tum pulsu particula infestabitur, tum phlegmone. per eum enim, cui facilè vulnera sanescunt, eum intelligit, qui neque plethoricus est,

neque ſuccis vitioſis refertus; namque inferiùs modum tradens cognoſcendi eum, cui facilè vulnera ſaneſcunt, & cui difficulter, ſubjungit: At Empyricus examinando, percunctandoque hominis naturam diſcit, nos verò tum ex hujuſmodi examinatione omnibus his uſi, quæ per experientiam inveniuntur, tum nihilominus ex iis notis, quas de boni ſucci, malique natura habemus, præterea de iis, qui acris, hebetiſque ſunt ſenſus, tum plenitudine gravatis, modiceque ſe in ſuccis habentibus, non ignari, quod qui vel plethoricus eſt, vel vitioſis ſuccis premitur, vel acris eſt ſenſus, vel horum quibuſdam vel omnibus premitur, phlegmone tentabitur, qui contra eſt affectus nihil mali ſentiet. En quomodo ei qui probe eſt affectus, nec ullo vitioſo ſucco premitur, non eſt opus purgatione? Idem clarius ex eodem Gal. colligi poteſt eodem loco, nam de nervi punctura pertractans, dicebat: Adverti namque ubi punctus nervus eſſet, ei ex ſentiendi, quod obtinet, acumine neceſſe eſſe tum dolorem incidere quam reliquis partibus majorem, tum ex neceſſitate phlegmonem conſequi, niſi quis & medelam dolori inveniret, & phlegmonis generationem prohiberet. Rationabile igitur mihi viſum eſt, cutis quidem vulnus apertum, inglutinatumque cuſtodire, quo per id ex nervo vulnerato ſanies efflueret, totum verò corpus ſupervacuis humoribus liberare; At ne quis dolor vulneratam partem urgeret, in primis ſolicitudinem habere. Qua verò ratione à ſupervacuis humoribus liberandum ſit corpus, inferiùs ſubjungit, dicens: Tutius verò fuerit etiamſi quis cutem latiùs incidat, ac totum corpus ſanguinis miſſione inaniat, utique ſi fortis ſit virtus. Si verò vitioſis ſuccis repletum corpus ſit, protinus purget. Ecce quomodo non purgat in punctura nervi, niſi corpus vitioſis ſuccis ſcateat? aliàs enim ſibi ſatis eſt miſſio ſanguinis. Unde & Gal. lib. de frac. com. 2. tex. 27. Porrò quod excrementitios humores tum evacuare his, qui ita affecti ſunt, tum etiam ad contraria loca averti ſummopere conducat, ſatis evidens eſt. Neque immerito, cum enim non adſit in corpore quidquam ſupervacui à ſanguine diverſum, quod à natura poſſit tranſmitti ad vulneratam partem, tanquam imbecilliorem, vanum eſt, pharmacis corpus exolvere juxta illud Hipp. 2. Aph. 36. Qui ſalubritatem habent corporis per medicamenta evacuati

citò

citò exolvuntur. Et 37. ejusdem: Qui benè se habent corpore, difficulter ferunt medicationes. Unde Gal. in com. Aph. illius 37. dicebat: Hos, qui benè se habent corpore, inquit, difficulter ferre medicationes, nam & vertigines, & tormina patiuntur, & difficulter his purgatio procedit, & prætereà celeriter exolvuntur. Fiunt autem hæc omnia purgante medicamento proprium quidem attrahere humorem appetente, flavam bilem videlicet, aut atram, aut pituitam, aut aquosam superfluitatem. Quia verò isti non adsunt, sanguinem colliquat, ac carnes, ut ex ipsis proprium attrahat humorem. Et com. 1. in lib. de hum. tex. 12. Sanos, & in quibus nihil redundat, purgare non oportet, quomodo enim decet accommodatam naturæ, & culpa vacantem materiam auferre? immò verò præterquam quod id cum molestia & labore facies, non mediocris noxa consequetur; quidquid enim per vim quidpiam facit, id dolores, labores, interdum etiam animi defectiones, & partium exolutiones, aliasque molestias invehere consuevit, evacuaris tu quidem, sed quidpiam naturæ accommodati, & quod rei essentiam attingat, detraxeris. Verùm, si in homine aut pituita, aut flava bilis, aut alius quispiam humor redundaret, tunc erit optima evacuatio. Denique non adest in corpore, quod purgationem indicet, ergo non est purgandum.

Sunt tamen quidam, qui contendunt omnibus vulneratis, vulnere tamen existente magno, competere purgationem, etiamsi omninò corpus sit mundum, dicunt enim bilem ob sui calorem, & tenuitatem facillimè ad vulneratam partem confluere, ut ergo motus hic præpediatur, purgandum esse ajunt, tum ut materia fluxionis auferatur, tum etiam ut revulsio fiat, immò ob solum motum dicunt competere purgationem revellendi gratia, cum purgatio contrarium motum moliatur, & ad contraria retrahat. Quæstio hæc logica omninò est, namque dari corpus à supervacuis penitus liberum, potiùs fingi potest, quàm quod censendum sit in rerum natura reperiri, sicuti neque datur summa sanitas ex Galeni decreto: attamen supposito ejuscemodi corpore, istud seligenti pharmaco purgandum non esse audacter assererem; id verò, ut omittam incommoda, quæ purgationem perfectè sa-

nis adhibitam comitantur, quoniam in tali corpore ſatis revellit à vulnerata parte detractio ſanguinis. Cum enim tunc temporis non adſit niſi ea bilis copia, quæ requiritur, ut conſtituatur proportionata, & omnibus numeris abſoluta ſanguinis maſſa, neque etiam periculum eſt, ut ſola influat, ut quæ nec calidior eſt, quàm par ſit, nec tenuior. Retinebitur ergo à natura non aliter, ac ſanguis, quia eſt de integritate maſſæ ſanguineæ, quocirca ſi per ſanguinis miſſionem fiat revulſio, neque verendum erit de bilioſo ſanguine, quod fluxurus ſit. Aliter dicendum eſt, ubi in quopiam major bilis copia, & tenacior ſanguis generatur, profectò neceſſe erit in hoc exuperantem bilem educere; niſi enim educatur, poterit facilè à natura expelli ad vulneratam partem, ut onus, quo premebatur, deponat, vel id, à quo moleſtia afficiebatur, expellat. Sed paulò interius rem conſideremus.

Fluxionis cauſæ, & occaſiones partim referuntur in partem recipientem, partim in tranſmittentem, & vias, per quas fit fluxus, ut ſuperiùs explicavimus, ſi de iis videlicet loquamur, quæ ab ipſo affecto corpore procedunt, modò in corpore temperato pars non eſt neque nimis calida, neque nimis dolens, quæ duo ſunt principia attractionis, ut more medicorum loquar (oſtenſum enim eſt re vera neque dolorem, neque calorem attrahere, ſed ſolummodo reddere partem diſpoſitam ad recipiendum) non eſt enim nimis calida, quia talis redditur ob affluxum ſuccorum calidorum in vulnerato: neque nimis dolens, quia neque eſt nimis exquiſiti ſenſus, ſed mediocris, neque dolent vulneratæ partes, niſi aut permaneat cauſa quædam externa continuum adhuc ſolvens, aut alteratio contingat ab aëre, ita ut partes internæ nondum aërem expertæ, eidem diutiùs exponantur, aut ab aliquo alio ambiente, vel ob affluxum ſuccorum, quare parva eſt occaſio principii fluxionis, quantum ſpectat ad partem recipientem ratione attractionis ex dolore, vel calore, major fortaſſe ea attractione, quæ fit vi vacuationis, cum enim ſanguis è vulnerata parte effluat, conſecutione quadam, ne vacuum detur, & alibi allatis de cauſis, ſanguis ad vulneratam partem movetur, qua ratione fieri poteſt, ut major quantitas influat.

fluat, quam à parte regi possit, natura perperam operante ob affectionem. Sed quavis harum causarum fiat fluxio, non major est ratio, quod influat bilis, quam totus sanguis, sed totus sanguis movebitur, unde pro sui revulsione non opus erit expurgante pharmaco, sed venæ sectione. Quatenus verò ad eam fluxione quæ fit ob transmissionem à toto, vel parte aliqua ad imbecilliorem partem. utique hac ratione fluxio contingit, quando natura aut quantitate humorum premitur, aut qualitate irritatur, cum autem in temperatissimo corpore neque humores quantitate exuperent, neque qualitate sint infensi, neque in eodem erit hæc occasio fluxionis, bilis enim quamvis sit calidior, & tenuior, & ad fluxionem sui natura paratior, attamen cum non exuperet, sed in convenienti proportione se habeat ad sanguinem, & ei sit commixta, & naturaliter se habeat, non est, quod natura eam à sanguine separet, ut solam expellat. Nisi quis velit à seipsis humores moveri, quod tamen falsum esse cuilibet in rebus philosophicis vel mediocriter erudito, patere potest, quidquid enim movetur à seipso, dividitur in partem moventem, & in partem motam, ut testatur Aristoteles in 8. Physic. Hoc quomodo an competat humoribus ipsi videant, & quamvis ubi humores ebulliunt, fluere consueverint, attamen neque tunc à seipsis moventur, sed non aliter ac aqua ebulliens vi ignis movetur: Verum in vulnerato, ut tale est, non adest hic in humoribus fervor, relinquitur ergo humores in ipso fluere, aut quia attrahantur à parte vulnerata, vel quia transmittantur ab aliis partibus ad ipsam, tanquam ad imbecilliorem.

Quamobrem concludamus, quod cum in vulnerato temperatissimo bilis ab aliis humoribus separata nequeat confluere, neque etiam pharmaco purganda est, eo siquidem exhibito, cum non adsit nisi bilis necessaria, non poterit fieri, nisi prava purgatio, ut superiùs dictum est. Idem profectò sentiendum est de ea plethoræ specie, in qua vel solus sanguis redundat, vel omnes humores ex æquo sunt adaucti; eadem enim est ratio. Quod si Gal. quandoque plethoricæ dispositioni purgatione succurrat, ut videre est 4. Meth. 6. intelligendum est Gal. decretum, non de vera, sed de spuria plethora. Quamvis ergo Hipp. lib. de frac. vera-

In temperatissimo corpore non competit purgans bilem.

veratrum purgandi gratia in vulneribus cum fractura proponat, non est existimandum in quovis corpore voluisse Hipp. exhiberi veratrum, sed in eo tantum, quod pravis succis scatet; absurdum enim est credere, eum præcepisse nos uti helleboro in puris corporibus, qui 4. Aph. 16. dicat, carnes sanas habentibus helleborum esse periculosum, eo quia convulsionem faciat, unde & Gal. in com. ejus Aph. dicebat: Habet namque helleborus istud præcipuum convulsionem facere propter operationis vehementiam. Supponit ergo Hipp. periculum ingens lethalis fluxionis ad partem ob pravorum succorum abundantiam, quos ut evacuet, & revellat forti remedio, veratrum vult exhibere.

Nec objiciat quispiam purgationem non solum convenire propter vitiosos succos sed etiam propter vim morbi ex Gal. decreto, qua ratione dicebat com. 1. in lib. de hum. tex. 12. & 4. Meth. 6. Quemadmodum sanguis & propter magnam ipsius copiam, & morbi magnitudinem mittitur, sic & purgatio propter alterius cujusdam humoris redundantiam, & morbi robur adhibebitur, & paulo post, purgationes sunt perutiles, & cum morbi magni sunt, & cum quibus permagna juncta est humorum redundantia, unde superius dixerat etiam ex Hippoc. sententia: Scopus, qui in omnibus morbis ad purgationem indicandam præstat cæteris, is est, qui ab affectus magnitudine sumendus est, non enim intelligendum est, Gal. velle in morbo magno, ut magnus est, purgandum esse, ita ut morbi magnitudo sit indicans purgationem, quippe hoc non esset propriis decretis congruens; cur 1. Aph. cap. 23. asserit in magnis doloribus nullum majus inveniri remedium, quam usque ad animi defectionem evacuare, adhibita distinctione, an mittere sanguinem, an purgare conveniat? Cur in synocho sanguinem mittendum ait, non purgandum? Denique cur in magnis morbis modo mittit sanguinem, modo purgat, & tamen, si morbus magnus, ut magnus est, indicaret purgationem, nulla esset habenda distinctio, sed omnibus æqualiter conveniret? An melius est dicere Gal. in magnis morbis modo mittere sanguinem, modo purgare pro ratione peccantis succi? Hoc enim sibi videtur velle illud, adhibita distinctione, an mittere sanguinem, aut purgare oporteat, & illud etiam,

Morbi magnitudo non indicat purgationem.

etiam, quod lib. de cur. ra. per ſang. miſ. dicebat: Incipiente videlicet phlegmone curationem ab inanitione auſpicamur, ſi eam fore magnam ſuſpicamur, aut vena inciſa, aut purgante exhibito, prout alterum altero magis convenire videbitur.

Itaque ſic cenſeo intelligendam Gal. ſententiam, videlicet purgationem convenire & propter vitioſos ſuccos, ut evacuentur, etiamſi morbum actu non faciant; vel, ſi adſit morbus quiſpiam, non ſemper purgandum eſſe, ſed tunc, quando ipſe magnus eſt, quoniam ut magnum remedium non competit in quovis levi morbo, ſed in magno, magnum enim remedium magnis competit morbis, ideoque volentes in morbis purgare pro ſcopo habeant magnitudinem morbi, ut quæ magnitudinem remedii indicet, quod remedium eſt purgatio, quando vitioſi ſucci à ſanguine diverſi morbum faciunt, vel etiam facturi ſint, vel ſanguinis miſſio, quando vitium ſe habeat ex parte ſanguinis, & hæc eſt diſtinctio, quæ adhiberi debet, ut ſciamus, quandò purgare, & quando mittere ſanguinem oporteat. *Interpretatur Galeni ſententia.*

Et ſi interius rem perſcrutemur, magnitudo morbi non erit verè indicans magnum remedium evacuans, ſed potius ſignum morbificæ materiæ vehementer peccantis, ob idque indicantis magnam evacuationem, atque aut per ſanguinis miſſionem, aut per pharmacum purgans pro diverſitate ipſius. Unde Gal. 4. Meth. 6. Quin & ſi iis, quæ jam dixi, illud quoque adjicias, quod ipſum; qui redundat ſuccum, vacuandum eſſe ſuadet, aliàs ſanguinis detractionem adhibebis, cum videlicet is vincit, aliàs pharmacum, quod ad bilem atram, vel flavam, vel pituitam educendam vim habeat, dabis: peterem enim à Gal. cur ſecas venam in magno vulnere? num quia eſt morbus magnus? Equidem ſanguinis miſſio non eſt remedium vulneris magni; nemo enim compos mentis hoc diceret, neceſſarium eſt ergo, ut alia de cauſa ſeces venam: & quæ alia cauſa eſt, niſi vitioſus ſuccus? immo ipſe Gal. hoc expreſſe 4. Meth. 6. tradidit, ubi enim egiſſet de purgatione, & venæ ſectione gratia derivationis, & revulſionis in ulceribus, ſubjungit; hanc verò rationem ad aliam quoque artis partem ſpectare, nempe quæ de ſuccorum medicatione præcipit, neminem latere arbitror, eſt ergo purgatio remedium ſuccorum, non autem vulneris. Et *Morbi magnitudo non indicat præſidium, ſed eſt ſignum indicantis.*

paulò inferiùs ubi de eadem materia egiſſet, ſubjungit: Illius interim in omnibus his non immemor, non eſſe ulceris, qua ulcus eſt, ullam id genus curationem, ſed vel vitioſi, qui conjunctus eſt, ſucci, vel redundantiæ, vel phlegmonis, vel herpetis, vel ejus generis alterius. Si ergo purgatio non eſt curatio ulceris magni, ſed conjuncti affectus, ergo non indicatur ab ulcere magno, niſi ut dictum eſt.

Abſurdum enim eſt dicere, aliud eſſe, quod curandi rationem præſcribat, aliud, quod curetur, ut dicebat Gal. 3. Meth. 1. & indicare de ſe quodque magis poteſt, quam de alio. Quis enim vitioſos habens ſuccos leviter vulneretur, ut nullum ſit fluxionis alicujus momenti periculum, huic profectò nec ſanguinem mittemus, nec purgans exhibebimus: Sed ſi vulnus ſit magnum, modò hoc, modò illud adhibebimus, modò etiam utrumque propter fluxionis, & inflammationis periculum. En quomodo magnitudo morbi impellit nos ad exhibendum pharmacum, quod aliàs non exhiberemus, cum tamen ſit remedium ſuccorum, & hoc quia magnitudo morbi exiſtentis nos docet, imminere aliquod aliud magnum malum ab ipſis ſuccis, unde ut præſervemus corpus à magno illo morbo, purgamus, indicationem tamen ſumentes ab ipſis vitioſis ſuccis, aliud enim eſt ipſorum vitium in magno vulnere, aliud autem in parvo. Quod igitur non purgandus ſit is, qui omninò ſanus, & nullo vitioſo ſucco afficitur, quamvis ſit graviter vulneratus, manifeſtum eſt. Quia tamen ſumma ſanitas non datur, neque eſt invenire corpus exquiſitiſſimè ſanum, & ex conſequenti, cujus omnes operationes ſint perfectiſſimæ, & prætereà noſtris tempeſtatibus maximè delinquitur in victus ratione, ut utraque ratione fieri non poſſit, quin in omnibus ferè corporibus adſint excrementitii humores, ſi vulnus ex maximis foret, & cum urgenti periculo lethalis inflammationis, non ab re exiſtimarem, ſi exhiberetur aliquod levius pharmacum, ex quo non agitentur boni ſucci, ſed tantùm ſupervacua excrementa clementer educerentur, ex quo iſtud inſuper beneficium haberemus, quod aliqua fieret revulſio, ſicuti enim clyſteres faciunt ad revellendum, ita & clementia hæc pharmaca, non quidem ſua ratione, ſed conſecutione quadam.

Con-

Conclusio quarta. In omnibus vulneribus purgatio non potest esse remedium revellens, posteaquam revulsio fit ad contraria, quare cum purgans medicamentum attrahat ad partes naturales, videlicet ad ventriculum, hepar, & intestina, in vulneribus harum partium non potest esse remedium revellens, immò esset potius fluxionis causa, attrahendo ad partes; medicamentum enim, quod per alvum purgat, humores deorsum movet, quod verò per vomitum sursum; ideoque in partium infernarum vulneribus purgatio per alvum non est remedium verè revellens, nec vomitus in vulneribus superiorum partium, sed magis videtur competere vomitus in partium infernarum vulneribus, & alvi dejectio in partium superiorum. Hinc Hip. libro de frac. tex. 76. in luxatione digitorum pedis proponit medicamentum sursum purgans & tex. 39. in fractura femoris exhibet veratrum, album videlicet, si Galeno credimus, ut sursum fiat revulsio. At è converso in lib. de vul. cap. tex. 78. In capitis vulnere, quando supervenit erysipelas in facie, infernam alvum deorsum purgandam esse asserit medicamento, quod bilem ducat. Et Gal. 3. Meth. 2. in pudendorum phlegmone vomitum proponit, tanquam revellens remedium, purgationem verò in iis affectibus, qui circa caput sunt. Et libro de hum. sec. tertia com. 13. in ulceribus superiorum per inferna purgandum asserit ex Hip. revellendi gratia, per superiora verò in inferiorum ulceribus. Hac ratione 13. Meth. 2. In phlegmone jecinoris purgantia medicamenta prohibet, atque in ventriculi, & intestinorum phlegmone, & vomitum in partibus stomachi, & quarto Meth. 6. dicebat: Quare nunc quoque si etiamnum fluxio valenter irruat, revellere ad contraria studebimus, utique si in superioribus ulcus consistat per inferna purgantes, sin autem in inferioribus superiorem ventrem evacuantes. Attamen in vulneribus artuum non adeò necessarium est exquisitam habere rationem superioritatis, & inferioritatis, posteaquam si brachia sint vulnerata, purgans medicamentum per superiora vim habet revellendi, quatenus à remotis partibus externis ad centrum fit attractio, & in vulneribus crurum, & femorum pari ratione purgans per inferiorem alvum. Hoc colligitur ex ipsomet Hip. nam libro de frac. text. 39. In fracturis cum ulcere tum femorum,

In omnibus vulneribus non competit purgatio.

tum brachiorum veratrum album exhibet, quod tum vomitum ciet validiſſimè, tum etiam per internam alvum purgat. Nihilominus, ſi vulneratus eſſet ad vomitum facilis, nihilque reluctaretur, præponendus eſſet in inferiorum partium vulneribus ipſe vomitus, ſicuti in brachiorum vulneribus alvi dejectio. At, quando in trunco vulnus adeſt, omninò ſervanda eſt ſuperioritatis ratio, ita ut in pudendorum vulneribus vomitu utamur, in Thoracis vero, & capitis, & cervicis, alvi dejectione. Neque ſolum quia pharmacum ſurſum trahat, ſed & propter violentiam motus, qua ſuperiores agitantur partes. Pari ratione in uteri vulneribus, & renum cavenda eſt omninò alvi dejectio. In ventriculi verò, inteſtinorum, hepatis, lienis, meſenterii neque purgamus per inferiora; neque per ſuperiora. Quando igitur vulneratæ ſunt partes, in quarum vulneribus non licet congruam curationem inſtituere, aliis revellentibus ſatisfacere oportebit huic ſcopo. Cum autem de vulneribus partium pertractabimus, & quid de purgatione in illis partibus inſtituenda cenſendum ſit, explicabimus. Quod igitur in vulneratis ipſius vulneris gratia purgatio ſelectiva competat, tum pro revulſione, tum pro evacuatione ſuccorum, qui confertim influentes inflammationem, corruptionemve aut aliud quidpiam grave malum minantur, & eorum etiam, qui paulatim tranſmitti poſſunt ad ipſam vulneratam partem tanquam imbecilliorem, unde vulnus excrementitium, & pars intemperata reddi ſolet, ac vitiari ſanguis, ex quo generari caro deberet, ſatis, ſuperque oſtenſum eſt.

Competit purgatio in vulneratis ob apparatum morbificum.

Sed & alia ratione in vulneratis purgationem competere certum eſt, ob apparatum videlicet morbificum, poſteaquam non raro evenit ob pravitatem ſuccorum, quibus totum corpus ſcatet, putridam aliquam febrem accendi, & mali moris interdum. Quod evenire ſæpiſſimè obſervamus in calidis, & humidis aëris conſtitutionibus, & regionibus, & in iis, qui prava victus ratione utuntur, ut contingit tempore belli, & famis.

Solvitur ratio, quæ purgationem prohibebat.

Quare remanet, ut objectionem illam diluamus, quæ purgantia à vulneratis arcebat, quia videlicet purgans medicamentum humores exagitat, & ad motum concitat: & Galeno ſatisfaciamus, qui com. 2. in librum de frac. text. 29. cum in contextu Hipp.

Hipp. per superiora purgandum dixisset, hoc est per album veratrum in luxatione, & contusione calcis ex casu ab alto, si febris absit, vel si parva febris, seu non acuta; in com. inquit Galenus: Nos tamen illud, neque etiamsi nulla adesset febris, tradere auderemus. Et ut ab hac posteriori initium sumamus, ipsemet Gal. ex text. 27. ejusdem com. dat modum solvendi difficultatem, dixerat enim Hipp. similiter veratrum exhibendum esse, unde Gal. in com. inquit: Quamvis evidens sit, excrementitios humores tum evacuari his, qui ita affecti sunt, tum etiam ad contraria loca averti, summopere esse conducibile, non tamen omniquaque tutum id albo veratro præstari, etiam si febris absit, eo quod si multos crassos, atque glutinosos humores in corpore reperiat, soleat interdum homines strangulare, & idcirco antequam ipse exhibeat veratrum, prius corporis præparationi incumbit attenuantibus, alioqui fallax esse, dicens citra corporis præparationem ex victu attenuante ipsum exhibere, cum in plerisque minimè noverimus, quibus humoribus abundent. Ibidem tamen Hip. excusat, quod veratrum dandum dixerit, quoniam Hip. tempore forsitan, ait, tuto poterat exhiberi, quia tunc temporis non erant homines delituoso, atque otioso victui dediti, sed frugali, & laborioso, ut nulla inde humorum crassities contraheretur, & consequenter etiam homines tunc temporis erant robustiores, ut facilè possent labores ex vomitu perferre. Non damnat ergo Gal. usum veratri, quoniam non conveniat purgare excrementitios succos, sed genus medicamenti reprobat, quod suis temporibus erat fallax propter rationes ab ipso adductas eo in loco. Itaque cum nostris temporibus præsto sint medicamenta longè clementiora, poterunt tuto ea exhiberi.

Ad id verò, quod dicebatur in articularibus fluxionibus nos abstinere à purgatione, eo quod humores ad articulos magis præcipitent, unde & idem in vulneribus à purgatione timeri debet, quamvis prima facie multam facere difficultatem videatur, attamen Hip. ipse solutionem præstat. 6. de morb. vulg. sec. 2. tex. 8. ubi habet Hip. Cedentem revellere statim, reluctantem dimittere; Hip. enim vult docere, quibus humoribus competat revulsio, & quibus non, dicitque eam competere iis humoribus,

qui ſunt obſequentes, qui enim reluctantur, & non ſunt revellentibus præſidiis ohſequentes, ſunt dimittendi; etenim ſi in iis quoque fortioribus revellentibus uti voluerimus, magis eos attenuabimus, & fluxiles reddemns, atque ad motum concitabimus, & cum non obſequantur revellentibus præſidiis, neceſſario magis ad affectos locos præcipitabunt. Unde Avic. 4. 1. cap. 3. juxta hoc Hipp. decretum dicebat: Cumque materiam ad longinqua trahere volueris, loci dolorem priùs ſedabis, ut ipſius minuatur compreſſio, ſeu coarctatio per attractionem, quoniam eſt dolor trahens, & cum ad locum non obedit, ad quem ipſam trahis, non violenter agas, quoniam quandoque violentia illa ipſam movebit, & ſubtiliabit, & non trahetur, & fiet velociùs declinans ad dolentem locum.

Ad rem veniamus. In fluxionibus articularibus ſolemus abſtinere à purgatione, quoniam humor influens non cedit purgationi, & revellentibus præſidiis, ne igitur ob violentiam illi ab attrahente pharmaco inditam magis reddatur fluxilis, à purgatione abſtinemus: quamvis ubi fluxio non eſt ita rebellis, non enim ſemper ita contingit, maximè ex uſu ſint pharmaca congrua ſtatim à principio exhibita, ut omnino quandoque fluxionem finiant, veluti multoties experientia confirmatum eſt: modo in vulneribus humores ſui natura ſint obſequentes, ut à purgationibus haud timendum nobis ſit, eos reddendos magis fluxiles.

CAPUT LIV.

De tempore exhibendi pharmacum purgans.

MAnifeſtum eſt ergo in vulnerato, in quo pravi ſint ſucci, ſi vulnus ſit magnum, & non in parte, per quam, vel ad quam fit attractio à medicamento, adeſſe indicans purgationem, & eam etiam ſeligentem, tanquam remedium tum evacuans, tum revellens, & nihil prohibens, qua vulneratus eſt. Dico autem qua vulneratus eſt, ne tiro exiſtimet, me partes ſuas nolle dare ætati, tempori, regioni, conſuetudini, naturæ laborantis, & omnino virtuti, hæc ſiquidem univerſalia ſupponimus. Quando

vero

vero est in parte, per quam, vel ad quam fieri debet attractio, corpore existente pravis succis referto, adesse quidem indicans purgationem, tanquam remedium evacuans, sed prohiberi à vulneratis partibus, & propensione, quam habent succi ad vulneratas partes, quatenus est remedium ad easdem attrahens.

Reliquum est, ut videamus, quando purgans pharmacum exhibendum sit illi, in quo nullum est prohibens; etenim neque ii, qui in vulneribus purgandum existimant, in hoc conveniunt, alii siquidem statim purgandum censent, alii vero magis diligunt, ut serapia quædam alterantia præmittantur, præparandi gratia corpus, & materiam evacuandam, deinde fiat expurgatio. Hinc multos videas, qui non nisi transacta septima purgans medicamentum exhibent; de leniente enim nulla est controversia. Sed in re clara nescio, quo modo cæcutiant. Rei veritas erit manifesta, si scopi considerentur, quos propositos habemus in purgantis pharmaci exhibitione.

Jam dictum est purgationem convenire in vulnerato evacuandi gratia, atque revellendi vitiosos succos, qui confertim ad partem vulneratam influentes inflammationem, atque corruptionem efficiunt, nec non & evacuandi eos, qui à natura sumpta occasione à debilitate vulneratæ partis, posteaquam consuevit semper ad imbecilliorem partem supervacua transmittere, ad eam paulatim expelluntur, ex qua paulatim facta transmissione vulnera humidiora, & pluribus excrementis scatentia redduntur, temperiesque partis paulatim evertitur, & vitiatur etiam sanguis, ex quo generari deberet caro, & tandem in ulcera transeunt, & denique ob apparatum morbificum, cum non raro contingat ob pravos succos in corpore existentes malam putredinem concipi, febremque, & eam mali moris exoriri, unde & ut futuram putredinem prohibeamus, & febrem etiam curemus, vitiosos succos purgamus.

His ergo suppositis, non erit difficile tempus adinvenire, in quo purgans sit exhibendum; quando enim purgamus, ut evacuemus, atque revellamus succos, qui inflammationem faciunt, & ita inflammationem prohibeamus, utique purgandum esse manifestum est, quando fluxionis imminet periculum; at statim im- *Purgatio revulsionis gratia convenit in principio.*

minet

minet periculum fluxionis, ut alias explicatum est, igitur quam primum erit purgandum. Neque valet, quod ut rectè succedat purgatio, priùs debeamus evacuandos succos præparare, præter quam quod enim humores, quos evacuare proponimus, majori ex parte calidi sunt, ac tenues, & ideo pauca indigent præparatione, & tanto magis cum non actu faciant morbum, majus etiam est damnum, quod imminet ex motu humorum prætermissa purgatione, quam illud sit, quod evenire potest exhibito purgante medicamento ante humorum præparationem, quod sanè in corpore non febricitante non potest esse, nisi exiguum. Et quid prodesset purgatio, si interim ac humores præparamus, irrueret fluxio?

Galeni auctoritate comprobatur.

Hæc est mens ipsius Gal. namque 6. Meth. 2. volens præcavere, ne puncto nervo succedat inflammatio, protinus purgandum præcipit, dicebat enim: Adverti namque ubi punctus nervus esset, ei ex sentiendi, quod obtinet, acumine, necesse esse dolorem incidere, quàm reliquis partibus majorem, tum ex necessitate phlegmonem consequi, nisi quis & medelam dolori inveniret, & phlegmonis generationem prohiberet. Rationabile igitur mihi est visum, cutis quidem vulnus apertum, inglutinatumque custodire, quo per id ex nervo vulnerato sanies effluеret, totum vero corpus supervacuis humoribus liberare; Ac ne quis dolor vulneratam partem urgeret, in primis solicitudinem habere. Et paulo post: Tutius vero fuerit, etiam si quis cutem latiùs incidat, ac totum corpus sanguinis missione inaniat, utique si fortis sit virtus; si vero vitiosis succis repletum corpus sit, protinus purget. Ecce quomodo Gal. nullam expectandam coctionem, aut præparationem censet. 3. quoque Meth. cap.9. dicebat: Quoties vidisti me una die curasse oculi inflammationem sola purgatione, facta scilicet revulsione ad partem oppositam, & ab affecta parte longinquam, & per eam evacuata bile, quæ fluendo cum sanguine inflammationem oculo concitabat? Libro quoque de curandi ratione per sanguinis missionem cap. 8. dicebat: Eadem ratione in his, quibus pars quæpiam graviter icta est, aut vulnerata, aut utcumque incipientem habet phlegmonem, curationem ab inanitione auspicamur, si eam fore magnam suspicamur,

mur, aut vena incisa, aut purgante exhibito &c. Ecce quomodo revulsionis gratia non secus à principio purgans exhibet, ac sanguinem mittat? Et 14. Meth. 8. cuidam linguam valde tumefactam habenti exhibuit statim pilulas ex aloë, scammonio, & colocynthide, hæc sunt verba: Sanè linguam ita tumefactam cuidam vidimus, ut ore hominis contineri non posset, is nec venam inciderat unquam, & sexagenarius jam erat, horaque diei ferè decima erat, cum ad eum primùm accessi, & vidi, at visus mihi est usitatis mihi pilulis, quæ aloë, scammonio, & colocynthide constant, vespere datis purgandus. Et paulo post: Pilulas quidem sumpsit, de locali tamen remedio (proposuerat enim Gal. locale aliquod refrigerans) deliberatio in posterum diem est delata. 5. etiam Meth. 14. purgationem statim à principio instituit, ut avertat acrem fluxionem à capite ad pulmones, erosionem venæ in pulmonibus minantem, dicebat enim: Oportet autem in principio nullius rei esse æquè solicitum, quam ut neque tussiant, neque ex capite aliquid in pulmonem defluat. Cavetur autem id triplici præsidio, purgatione primùm, secundo medicamine, quod Diaspermaton dicitur, tertio ipsi capiti providendo. Quod purget, diversas facultates habeat oportet, cujus generis sunt nostræ pilulæ, quæ ex aloë, scammonio, colocynthide, Agarico, bdellio, & gummi Arabico conficiuntur, ad plures videlicet excrementorum purgandas species. Et paulo post: Capiti providebitur cerati usu, quod fit ex thapsia; atque hæc quidem in principio peragenda sunt.

Immo & ipse Hipp. idem sensit, nam lib. de frac. com. tertio textu 48. In fractura femoris, aut brachii cum vulnere, quando ossa extra exiere, statim à principio exhibet veratrum. At illis restitutis, dicebat: Eadem die molle vēratrum potandum exhibeto, si eadem die fuerint restituta. Et com. 2. tex. 27. Melius autem etiam erit ut veratrum bibendum, aut eadem die, aut postridie exhibeatur, tertio vero die solvatur, ac rursus ligetur. Unde Gal. com. 2. tex. 29. censet veratrum dandum aut eodem, aut postero die, videlicet antequam partes affectæ inflammatione laborent, homoque febricitare incipiat. Quid clarius? Quin & 2. de ra. victus in acutis: In pleuritide statim à principio si non *Idem sensit Hipp.*

revulſionis gratia, ſaltem ſubtrahendæ materiæ fluxionis cauſa, ſi dolor infeſtet partes, quæ ſub ſepto tranſverſo ſunt, veratrum nigrum exhibet, vel peplium, dicebat enim: Si vero eas, quæ ſub ſepto transverſo ſunt partes, dolor infeſtat, nullumque ad claviculam ſignum fuerit, ventrem vel nigro veratro, vel peplio mollire oportet. Neque hoc reprobat Gal. in com. illius loci.

Sed in re manifeſtiſſima, cuique maximè ratio favet, plura loca illuſtriorum medicorum congerere ſupervacaneum exiſtimo. Nemo eſt, qui non videat, magis poſſe humorum motum ad vulneratam partem ad indicandam purgationem; quam eorum modica præparatio, vel etiam cruditas poſſit ad eam prohibendam. Inflammatio enim vulneribus ſuperveniens ob affluxum ſuccorum non ſolum negotium faceſſit, verùm multoties lethalis eſt: atqui damnum ex evacuatione crudæ materiæ, & non præparatæ emergens (concedamus à principio, & aliquam portionem non præparatæ vim pati à medicamento, poſteaquam neque ulla purgatio abſque alicujus utilis partis evacuatione ſuccedit) paucum eſt, & ſolummodo ex hoc reddi poteſt evacuatio aliquantulum laborioſior, non enim ſumus in caſu, in quo natura retinet, ut concoquat. Ex duobus malis methodus ſuadet minus eſſe eligendum.

Sed quoniam, ut dictum eſt à principio, non procuramus, niſi purgationem tenuium ſuccorum, atque calidorum, pauca admodum opus eſt præparatione, ut damnum ex tali evacuatione procedens pro nihilo habendum ſit, cum tamen omiſſa hac purgatione, malum maximi momenti immineat. Eo autem minus malum ex purgatione in principio facta noſtris temporibus evenire cenſendum eſt, cum pharmaca habeamus valdè clementia, quæ licet ſelectivè humores ducant, nullam vim tamen naturæ inferunt, quibus quidem deſtituta erat antiquitas. Neque ſemper unica medicamenti exhibitio ſatis eſt ad ſubtrahendam fluxionis materiam, atque ad revulſionem, ſed bis, & ter exhibendum eſt pharmacum pro exuperantia ſucci, interpoſitis tamen aliquibus diebus inter unum, & alterum pharmacum, quo natura interim poſſit refici: unde conſuevi ego ſtatim à principio exhibere pharmacum, deinde tribus circiter diebus refrigerantibus,

Repetenda eſt purgatio.

bus, & incrassantibus uti, quo humores inepti ad motum reddantur, & iterùm, si adhuc periculum sit fluxionis, ante, septimam aliud expurgans exhibeo: dein rursus ad alterantia me confero. Et si adhuc periculum fluxionis adesse videam, iterùm decima, vel duodecima expurgo. Quandoque tamen urgentia periculi iterationem pharmaci accelerare cogit.

Sed post usum refrigerantium, & incrassantium, & omnino humores ineptos ad motum reddentium videtur incongruus esse usus purgantium pharmacorum, posteaquam talia reddunt humores rebelles, & minimè obsequentes pharmacis purgantibus, eoque magis, cum etiam viæ, per quas deberet fieri attractio succorum, ope talium reddantur adstrictæ, quod est à doctrina Hipp. alienum 2. Aph. 9. dicentis: Corpora quæcumque quis voluerit purgare, fluida facere oportet. In cujus Aph. explicatione dicebat Gal. Si quis enim extenuet, atque incidat crassos, atque tenaces humores, qui in corpore sunt, & meatus aperiat, per quos isti transmittuntur, atque trahuntur à medicamentis, quæ vim purgativam habent, tunc purgatio in omnibus rectè procedit, qui vero istud neglexerint, & vomitus, atque alvi subductionem procuraverint, his difficiles veniunt purgationes non sine torminibus, & quadam vertigine, fastidioque multo, & malo pulsu, ac dissolutione, & difficultate. Et ibidem: Sive per vomitus, sive per alvi subductionem purgare velis, fluidum totum corpus efficies, sic purgabis optimè. Erit autem fluidum, ut diximus, omnibus meatibus reseratis, humoribus vero incisis, abstersis, atque extenuatis, si quis fuerit humor in corpore crassus, & glutinosus. Omninò igitur videtur inconveniens exhibere ea, quæ humores incrassant, & ineptos ad motum reddunt, atque præterea vias adstringunt, dein velle purgationem moliri. *Dubitatio.*

Huic dubitationi dicimus, nos procurare incrassationem, & refrigerationem tenuinum, & acrium succorum, qui superfluunt primæ purgationi. Verùm quoniam non est verisimile omnes reddi posse in tam parvo tempore crassos, & ad motum ineptos, purgamus, ut, qui tenuiores actionem alterantium refugerunt, evacuentur. Requiritur autem attenuatio illa, & detersio, quando humores sunt crassi, & tenaces, non autem, quando tenues *Solutio.*

 sunt

ſunt evacuandi. Qua ratione dicebat Gal. com. 3. & in lib. de hum. Craſſos humores attenuare, ac tenaces incidere plane decet, alii vero evacuandi, per alios tenues intelligens. Ubi vero craſſos, ac tenaces vellemus evacuare, utique hi priùs attenuandi eſſent, & incidendi. Verùm tranſacto inflammationis periculo horum evacuatio tentanda, ne dum hos volumus attenuare, tenuiores ad motum concitemus. Et, quod de imminenti fluxione dictum eſt, intelligendum eſt etiam, ſi ſupervenerit jam fluxio, quamvis non exhibeamus pharmacum ratione materiæ jam fluxæ, ſed fluentis & fluxuræ.

Purgatio quæ convenit ratione ſuccorum, qui paulatim influentes vulnus reddunt excrementitium, quando inſtituenda.

Si vero loquamur de purgatione eorum ſuccorum, qui paulatim à natura tranſmitti ſolent ad locum vulneris, atque vulnus humidum, & excrementitium reddunt, utique ſi craſſi ii fuerint, præmittenda erit aliqua præparatio, tutoque fieri hoc poterit, poſteaquam periculum non eſt in mora: at ſi ſucci tenues fuerint, purgatio, quæ materiam fluxionis ſubtrahit, fluenteſque humores retrahit, eadem & hoſce humores evacuabit. De purgatione autem, quæ fit ob apparatum morbificum, non eſt præſentis loci determinare. Sed tamen ad uberiorem doctrinam aliquid de hac ſummatim afferemus, ne tiro in hujuſmodi caſibus hæſitet, & occaſionem labi permittat. Quoniam propoſitum habere debemus, omni ſtudio putredinem prohibere, quæ ob exuberantes pravos ſuccos imminet; antequam putredo accendatur, neceſſarium erit quamprimum minorem reddere materiam morbificam purgante exhibito, & eo quidem validiori, ſi mali moris, vel etiam peſtilentialis febris immineat. Quod enim præſente febre, conceditur, tanto magis ipſa abſente, ſed imminente exequendum: atqui, præſente febre, ſi pravorum ſuccorum tanta ſit copia, ut vereamur, ne ſuccumbat, aut deficiat natura ante eorum coctionem, vel ea ſit ſuccorum malitia, ut naturæ gratiam recipere non poſſint, veluti quando materia eſt venenoſa, purgante exhibito neceſſarium eſt minorem reddere materiam quo natura faciliùs poſſit, quod reliquum eſt, evincere, atque à putredine præſervare, & prætereà materiam illam adeo pravam expellere, ne dum coctionem expectamus, augeatur potiùs corruptio, aliter expectaretur quod nunquam venturum

Quando purgandum, ſi ob apparatum morbificum febris immineat.

rum

rum esset, unde & Hipp. 2. Aph. 29. In principiis morborum si quid tibi videtur movendum, move, coque magis cum natura evacuationi non reluctetur; nam propter multitudinem, vel malitiam natura eam non retinet, & amplectitur, ut concoquat, igitur & antequam putredo accendatur, ut illa prohibeatur, necessarium erit purgante exhibito multitudinem tollere, ac malos, & incorrigibiles succos educere. Quæcunque enim morbis præsentibns rectè peraguntur, dicebat Gal. lib. de cur. ra. per sang. mis. ex Hip. cap. 9. aut incipientibus, aut imminentibus prævertenda. Quando unica medicamenti exhibitione non satis vacuatum corpus videtur, paucis interpositis diebus, quibus præparationi, & alterationi incumbendum est, iterùm exhibendum pharmacum, & sic deinceps, donec periculum transierit. At tempus exhibendi pharmaci, si putrida febris ob appatum morbificum jam supervenerit, à doctrina febrium petendum est. Aliquid tamen de hoc etiam dicemus, quando de procuratione vulnerati in febribus pertractabimus.

An verò præmittenda sit venæ sectio, an expurgatio, quando utroque auxilio uti est opus, & ex natura pharmaci, quo usuri sumus, & ex imminenti periculo licebit intelligere, quando enim vehementi pharmaco uti propositum est, proculdubio præmittenda est venæ sectio unde Gal. 6. Epid. sec. prima tex. 5. Cum pro curatione nephritici doloris proposuisset tum venæ sectionem in poplite, tum expurgationem per veratrum, hæc habet: Veratro quidem purgare, cum affectus inveteraverit, & quasi vecte quodam, ut ita dixerim, quo exturbetur, eget; veratro enim ad ejusmodi affectus utimur. Venam autem secare his expedit, in quibus sanguis multus, aut crassus per venas redundaverit. Quod si utriusque auxilii idem homo egeat, satis constat, à venæ sectione esse auspicandum. Hinc Avic. 4. primi doct. 5. cap. 4. Cum autem minutio necessaria fuerit, & ventris solutio ex aliquo, quod sit sicuti helleborus, & violentæ medicinæ, à minutione incipere debes, quoniam hoc est ex præceptis Hip. in lib. Epid. & hæc est veritas. Hujus autem rei ratio nulla alia est, nisi quod venæ sectio est universalius præsidium, cum ex æquo evacuet omnes humores, unde post venæ sectionem humores in venis re-

Quando prætermittenda est venæ sectio.

Imminens periculum idem demonstrat.

manent in eadem proportione, qua priùs. At imminens periculum id clariùs demonstrabit; nam si majus, & urgentius periculum ex motu sanguinis immineat ad vulneratam partem, quam ea succo à sanguine diverso, quod plerumqne contingit in vulneratis, si periculum ex vulnere dimetiamur, priùs secanda est vena, si vero à succo à sanguine diverso, à purgatione exordiendum. Unde præclarè admodum Celsus. lib. 2. cap. 12. dicebat: Cum si autem crudo minimè sanguis mittendus, tamen ne id quidem perpetuum est, neque enim semper coctionem res expectat. Ergo si ex superiori parte aliquis decidit, si contusus est, si ex aliquo subito casu sanguinem vomit, quamvis paulo ante sumpsit cibum, tamen protinùs ei demenda materia est, ne, si subsederit, corpus affligat. Ideoque etiam in aliis repentinis casibus, qui strangulabunt, dictum est. Quod vero in vulneratis plerumque majus sit, & urgentius periculum, quod ex motu totius sanguinis imminet, ex eo perspicuum est, quod ex dissectione, seu laceratione vasorum effluit, atque ita suscipit impetum quemdam ad vulneratam partem, qui protinus cohiberi desiderat, cohibetur autem dum per venæ sectionem alio avertitur. Plerumque igitur præmittenda est venæ sectio ipsi purganti pharmaco, neque solùm selective ducenti, verùm etiam ipsi lenienti, quo propositum est primas tantum vias expurgare, quoniam majus est plerumque, atque urgentius malum, quod ex motu sanguinis ad vulneratam partem imminet, quàm quod ex attractione eorum, quæ in primis viis sunt, ad venas, expectari possit, non enim timemus à substantia sanguinis, sed à motu. Neque poterit esse alicujus momenti, quod ad venas attrahitur, posteaquam non multo post licebit tum clysteres immittere, qui etiam sæpe præmitti possunt ipsi venæ sectioni, quando videlicet non eam remorantur, tum purgans exhibere: Itaque prudentissimè Celsus, ut in omnibus, dicebat: Quamvis paulo antea sumpserit cibum, tamen protinùs ei demenda materia est, ne si subsederit, corpus affligat. In urgenti periculo non solum non vult præmitti medicamentum, verùm neque clysterem, neque vomitum provocari, quæ pauciori tempore fieri possunt, nè differatur auxilium. Non est ergo audiendus senex, qui paucis ab hinc annis libellum

bellum quendam edidit: De vulneribus bellico fulmine illatis, dum præcipit, ut ante ſanguinis miſſionem vel immittatur clyſter, vel exhibeatur minorativum medicamentum, ſolvens dictum, hæc ejus ſunt verba: cum ſæpius non ſit præmittendum medicamentum, & non raro, neque etiam clyſter, conſuevi ego in urgenti periculo ſtatim venam ſecare, deinde clyſterem immittere, aut vomitum provocare, ſi cibus ſit in ventriculo, poſtridie autem medicamentum exhibere, niſi tunc etiam urgeat neceſſitas ſecandi venam.

Quando præmittendum purgans.

Majus vero, & urgentius periculum eſſe poteſt à vitioſis ſuccis, & à ſanguine diverſis, quando ob eorum exuperantiam, vel malitiam imminet putredo, & ex tali putredine febris quædam mala aut raptus eorum ad aliquod membrum princeps. In quo quidem caſu ſaltem præmittendum eſt leniens medicamentum, ſi ſupervacua adſint in primis viis, ne ad venas attracta totum ſanguinem magis conſpurcent, ſemper enim ab eo exordiri oportet, ut dicebat Gal. 2. ad Glauc. ult. ſine quo alterum tuto exequi non poſſumus. Sæpius etiam ex purgans præmittendum, ut putredo prohibeatur, & raptus materiæ ad membrum princeps. Denique quando major eſt neceſſitas purgationis, ea præmittenda, niſi quid obſtet. Sed hoc nimis propoſitos limites excedit. Quod vero dictum eſt, de venæ ſectione eſt intelligendum, quæ univerſaliter totum evacuet; nam quæ in gratiam tantùm evacuationis alicujus partis adminiſtratur, ſæpe totius expurgationem præſupponit. Unde Gal. loquens de ſectione venæ frontis in dolore poſterioris partis capitis, dicebat, Præevacuatum totum corpus ſit oportet.

CAPUT LV.

De electione purgantis pharmaci.

Quando validis, & quando imbecillioribus pharmacis non ſit utendum.

QUamvis dictum ſit valida etiam pharmaca locum habere poſſe in vulneratis, non ob id citra diſcrimen validis pharmacis utendum, ſed in fortiori cauſa validioribus, modo vires ferant, in leviori imbecillioribus. Qui ſecùs faciunt, aut indigentiæ

non ſatisfaciunt, aut plus, quam par ſit, evacuando vires proſternunt, ſubtrahunt alimentum vulneratæ parti, & calorem nativum ipſius diſſipant, unde vulnus evadit decolor, ichoroſum, & malæ naturæ. In valde ſalubribus igitur ſatis erunt lenientia, ſi ſupervacua fuerint in primis venis. Si vero in venis adſit cacochymia, ſecundi generis purgantia convenient, quæ videlicet à venis evacuent. At ſi cacochymia fuerit inſignis, & cauſæ fluxionis valde fortes, validiſſima ſolventia ſunt uſurpanda, ſi ferant vires, unde Hipp. veratro utebatur. Gal. vero pilulas exhibebat ex aloë, collocynthide, & ſcammonio. Dandum tamen ſemper aliquid ætati, tempori, regioni, conſuetudini, & reliquis. Quod vero pharmacum expurgando ſucco debeat eſſe proportionatum, notiſſimum eſt.

Purgantia debent eſſe adſtringentia.

Medicæ materiæ.

Illud etiam in medicamentis alvum purgantibus deſiderari debet, ut adſtringentem habeant facultatem, quo peracto opere veſtigium relinquant in venis adſtrictionis, quod ſolet impetum ſuccorum obtundere. Lenientia igitur in tenuibus, & bilioſis materiis (quoniam coguntur interdum, qui minùs verſati ſunt, Phyſici partes gerere, eis aliquo pacto ſubveniendum duxi) erunt ſyr. roſ. ſol. cum pulpa tamarindorum, diaſebeſten, manna cum tamarindis, flos caſſiæ cum tamarindis, diaprunis lenitivum, & hujuſmodi. In pituitoſis, & crudis, excrementis mel roſ. ſol. manna, electuarium lenitivum, diacatholicon, confectio Hamech leniens. In melancholicis mel roſ. ſol. ſyr. de polypodio leniens, Diaſene lenitivum, ſeu electuarium lenitivum, Confectio Hamech ſine ſcammonio, & collocynthide, diacatholicon. Si vomitorio opus fuerit, aqua tepida eſt leniſſimum vomitorium, item poſca aquoſa tepida, jus pingue copioſè exhibitum cum portiuncula etiam aceti, vel oxymelitis; aqua tepida, vel jus cum copioſo oleo communi, vel amygd. dul. eſt accommodatum vomitorium lene. Ad evacuandas materias bilioſas in venis exiſtentes leviora, & clementiora ſunt mirobalani citrini, & rhabarbarum, & pilulæ de tribus cum rhabarbaro. Fortiora ſunt diaphænicon, electuarium roſ. Meſue, electuarium de ſucco roſarum, diaprunis ſolutivum, pilulæ aureæ, ſine quibus. Ad pituitoſas vero inter clementiora, ſunt agaricus, præſertim trochiſcatus, polypodium, folli-

folliculi, & folia ſenæ. Fortiora ſunt ſyr. de polypodio ſol. diaphænicon, diacarthamum, hyera, diacollocynthidos, confectio Hamech, pilulæ Cochiæ, Arabicæ, de nitro. Ad humorem melancholicum, & exuſtos ſuccos inter leviora ſunt polypodium, & folia, & folliculi ſenæ. Fortiora vero ſunt ſyr. de polypodio ſol. diaſenæ ſol. confectio Hamech, electuarium Indum, pilulæ Cochiæ cum helleboro, pilulæ Indæ, pilulæ de lapide lazuli, & de lapide Armeno, quibus imbecilliores ſunt aggregativæ, quæ indifferenter expurgant omnes ſuccos. Si varios humores propoſitum ſit educere, commiſceri poterunt medicamenta diverſa, vel ea uſurpanda, quæ ſui natura valent ad diverſas materias, ſicuti confectio Hamech, & pilulæ aggregativæ, quæ valent ad omnes ſuccos, & pilulæ Cochiæ, atque diaphænicon, quæ valent ad bilem, & pituitam. Inter lenientia quoque ad omnes materias valent diacatholicon, electuarium lenitivum, confectio Hamech ſine ſcammonio, & collocynthide, mel roſ. ſol. ſyr. de polypodio lenitivus. Ad birioſa verò ſupervacua, atque pituitoſa, manna, immò pauca reperies medicamenta, quæ non ad plures ſuccos valeant. Ex varia poſteà commixtione ſolventium, tum fortiorum, tum mitiorum, nec non & lenientium poſſunt conſtitui diverſi medicamentorum gradus, prout neceſſarium fuerit.

Quoniam autem, ut dixi, maxime probandum eſt, ut pharmaca vim habeant adſtringentem, ſi fortè aliquod pharmacum deligeremus, vel deligere coacti fuerimus, quod adſtrictione careat, addendum erit aliud adſtringens, quamvis non ſit ſolutivum, quando parantur potiones, quod fiet, ſi in decoctione, qua pharmacum diſſolvendum eſt, aliquid adſtringens bullierit, aut ex aliqua adſtringenti aqua paretur decoctio, puta ex aqua plantaginis, vel equiſeti, aut ſubſtantia alicujus adſtringentis addenda, ut ſi addantur ſemina plantaginis. Mirobalani modicè evacuant, ſed cum valida adſtrictione, idcircò decoctioni addentur cum maximo fructu. Quando tamen tranſactum eſt inflammationis periculum, & exhibetur pharmacum, ut tollatur paulatim illa tranſmiſſio ad vulnus, non adeo neceſſaria eſt hæc vis adſtrictoria in pharmaco. Sicuti neque procuranda, immò effatu digna fugienda, quando ob apparatum morbificum evacua-

mus, ne fiant obstructiones, unde tunc à mirobalanis cavere oportet; utor ergo libenter rhabarbaro tum propter sui clementiam, tum propter suam moderatam adstrictionem, & ideo sæpè ipsum basim mei pharmaci facio, & si fortiori opus sit eidem permisceo.

Vomitoria. Vomitoria seligentia clementiora sunt flores & semina genistæ, unde & saccharum ex floribus genistæ paratum, & ipsorum aqua optima erit. Paratur etiam oxymel præstantissimum ex floribus, & seminibus ipsius genistæ. Fortissimum, & cum hoc, neque violentissimum est stibium decenter præparatum, quo in fortissimis causis uti possumus, sicuti Hipp. utebatur veratro, quod nostris temporibus ob maximam ejus violentiam exolevit, posteaquam & corpora sunt imbecilliora, quam essent Hip. tempore. Ut autem dictum est, in eligendo pharmaco dandum aliquid ætati, tempori, regioni, consuetudini & omnino ægrotanti naturæ, ac viribus. Hinc in tempore valde calido, & regione tali, nec non & in tempore valde frigido, & tali etiam regione, à calidioribus, & validioribus pharmacis abstinemus, pariter & pueros, & valde senes aut non purgamus, aut leniter, sicuti & cautè procedimus in iis, qui pharmacis minimè sunt assueti, & in imbecillioribus viribus. Eos verò, qui vomitui minimè sunt assueti, & ad vomitum difficiles sunt, non cogimus, ut enim dicebat Gal. primo loc. af. 4. Cogere eum, qui vomere non potest, absurdum est. Sed quæ ad universalia attinent, non est, cur hic diffusiùs tractemus.

CAPUT LVI.

De Clysteribus, & suppositoriis.

Clysteres tribus potissimum rationibus locum habent in vulneribus, prima quidem, ut eorum ope fæces diutius retentæ evacuentur, quod enim hoc possint clysteres norunt & ipsæ mulierculæ; secunda revulsionis gratia, tertia evacuationis, & subtractionis materiæ fluxionis. Has clysterium utilitates sæpius proponit Gal. unde dicebat 2. de comp. med. per loca cap. 1.

Tres clysterium utilitates.

Lau-

Laudavi etiam evacuationem per clyſterem, non ſolùm propter evacuationem eorum, quæ inteſtinis continentur, ſed etiam ob revulſionem eorum, quæ ad caput feruntur, atque ob id probè in his, quæ ſcripſit Archigenes, non ſimpliciter dixit evacuationem alvi per clyſterem, ſed addidit validam, multum enim in hujuſmodi ſitum eſt, quantum ad revulſionem attinet, ultra hoc, quod non ſolum ea, quæ circa ventrem, & meſeræum ſunt ſevacuat, ſed etiam quæcirca hepatis ſima hærent. Quibus in verbis manifeſtè tres dictas clyſterium utilitates proponit. Sed & alibi eodem in capite loquens de capitis vulneribus quòd non ſolum ut inteſtina evacuent, verùm etiam, ut revellant, ſint immittenda, apertè profitetur, dicens: Quod ſi quippiam horum, ſive ætas, ſive virium imbecillitas, aut etiam ambo ſimul, ſanguinis detractionem fieri præpediant, alvum per clyſterem evacuabimus, tum ut ſuperflua in ipſo excrementa extrahamus, tum ut hùmores, qui ad affectas partes inde ferri conſueverunt, revellamus, & 2. pariter de Comp. med. per loc. cap. 2. dicens: Si vero velut debile caput exiſtens ad ſe ſublatos humores, ac vapores ſuſceptet, materiam revellere oportet in totum corpus, atque ita particulæ mederi per clyſteres, itaque fit revulſio. Et 5. etiam Meth. 13. acri clyſtere uſus eſt revellendi gratia in muliere, quæ ob catarrhum in ſputum ſanguinis inciderat. Unde libro de hum. com. 1. tex. xj. dicebat: Acribus clyſteribus utimur ad lateris dolores, gingivarum defluxiones, capitis dolorem, propenſionem in ſomnum nimium, peripnevmoniam, anginam, rigorem, morbum comitialem, inſaniam, coxendicis morbum, inflammationem oculorum, & cum homo non niſi recta cervice educere ſpiritum poteſt, denique ad veternum. Si vulneratus febricitaret, etiam refrigerandi gratia uſurpari poſſent.

Porro adeo varia præſtant propter diverſitatem materiæ, ex qua conficiuntur. Qui ad fæces excernendas faciunt, ex mollibus parantur, & ex iis etiam, quæ aliquo modo irritare poſſunt, atque detergere? mollia enim fæces duras molliendo, vias lubricando, atque laxando, fæcum expulſionem adjuvant. Leviter irritantia facultatem languidam, & pigram excitant, & ad excretionem provocant. Molles igitur clyſteres parabat Gal. ut videre eſt *Clyſteres mollientes & irritantes.*

est lib. de hum. com. 1. tex. xj. ex aqua calida, & ex aqua, & oleo commixtis, & ex aqua, in qua alica, tragum, lini ſemen, malvaque efferbuerat. Addit aliquando adipem anſerinum, ſuillum, caprinum, hircinum, gallinaceum, item butyrum, terebinthinam, & hujuſmodi. Noſtris temporibus conficiuntur molles clyſteres ex decoctione blitti, malvæ, violariæ, oleo coi, butyrove recenti commixtis, additur etiam ovi vitellus. Loco olei communis quandoque accipitur oleum amygd. dul. ſem. lini, ſeſaminum; quandoque etiam additur flos caſſiæ. Conficiuntur etiam ex jure, pingui præſertim, oleo, vel butyro commixtis. Quandoque in jure emollientia decoquuntur, ut malva, violæ, Caricæ, & hujuſmodi.

Clyſteres irritantes ex quibus conficiantur

Irritantes conficiuntur ex acribus, modo magis, modo minus, prout opportunum viſum fuerit. Parantur itaque hujuſmodi clyſteres ex decoctione mercurialis, atriplicis, parietariæ, braſſicæ marinæ, & hujuſmodi, additurque modicum ſalis, ſaccharum rubrum, mel roſatum colatum, & etiam ſolutivum, hyera ſimplex, diacatholicon, electuarium lenitivum, & hujuſmodi. Omnia etiam purgantia facultatem irritant, ſed ſi clyſteribus permiſceantur, alios quoque ſcopos reſpicient. Quandoque clyſterem amamus emollientem, atque irritantem ſimul, & tunc emollientia, atque irritantia commiſcemus, accipientes, exempli gratia, decoctum blitti, malvæ, violariæ, & etiam mercurialis, addenteſque oleum commune, vel butyrum, mel roſaceum ſimplex, vel ſolutivum, ovi vitellum, atque ſalis modicum, quamvis oleoſa, ac pinguia valde obtundant acrimoniam irritantium. Irritantes clyſteres nun ſolùm ad fæcum excretionem faciunt, verum etiam ad revellendum, advocantes enim naturam, & quodammodo ad infernam excretionem cogentes, quos ad ſuperiores partes tranſmittebat, ſuccos, efficiunt, ut ad infernam partem, ſaltem ſecundùm aliquam portionem convertantur.

Clyſteres acres.

At fortiùs revellunt, quæ ex iis conficiuntur, quæ proprios humores attrahunt; dum enim vi ſua attrahente proprios ſuccos ab aliis ſejunctos attrahunt, eos deorſum vel invitos moveri cogunt.

Scio aliquos negare, purgantia clyſteribus injecta poſſe proprios

prios ſuccos attrahare, exiſtimantes ad id eſſe neceſſarium, ut medicamentum à calore ventriculi ad actum reducatur, ad quem clyſteres non perveniunt. Verùm quod hoc non ſit neceſſarium, demonſtrant medicamenta, quæ umbilico admota efficaciter purgant, immo nonnulla plantis pedum illita. Satis eſt ad hoc, ut medicamentum proprias vires exerceat, ut à noſtro calore alteretur, fundatur, & attenuetur. Verum quidem eſt, cum id meliùs fiat in ventriculo, efficaciùs purgare ingeſta. Cum hoc tamen, & clyſteribus indita ſatis efficaciter evacuant, ut teſtis eſt experientia, & ideo dicebat Gal. eos poſſe evacuare non ſolùm meſaræum, verùm etiam ſima hepatis. Sed hæc obiter.

Parantur itaque hujuſmodi clyſteres commixtis ſolventibus cum iis, quæ ſimpliciter irritant. Varia autem erunt ſolventia pro diverſitate ſuccorum, qui evacuari, & revelli poſtulant. Itaque in materiis bilioſis optimum eſt diaphænicon, electuarium de ſucco roſarum, electuarium roſatum Meſue, diaprunis ſolutivum, diagridium. In pituitoſis agaricus, turbith, collocynthis, polypodium, diaphænicon, diaturbith, diacarthamum, benedicta laxativa, hyera, diacollocynthidos, & hujuſmodi. In melancholicis ſena, polypodium, epithimum, confectio Hamech, diaſene ſolutivum, &c. decoctis igitur addi poſſunt turbith, ſena, polypodium, collocynthis, diagridium, rad. cucumeris agreſtis & hujuſmodi. Verùm nec eſt ſpernendum, ſi addantur aliqua alterantia, quæ reſpiciant purgandos ſuccos, puta in bilioſis materiis lactucam, hordeum, ſerum: in pituitoſis betonicam, ſalviam, amaracum, origanum, thimum, ſaturejam. In melancolicis borraginem, bugloſſam, meliſſam, & hujuſmodi. Non ſunt autem permiſcenda oleoſa, & pinguia, ne vim purgantium obtundant.

Quando his, vel illis clyſteribus ſit utendum.

Utimur clyſteribus ſimpliciter alvum ſubducentibus, quando fæces diutiùs retinentur, cum enim natura non excernantur, arte excerni debent: revellentibus vero & evacuantibus utimur præſente, aut imminente fluxione, in leviori quidem fluxionis cauſa, & imbecillioribus viribus iis, quæ irritant quidem, verùm ſelectivè non evacuant. In fortiori verò, & valentioribus viribus ad acuta, & acria clyſteria confugimus, quando non licet

fortiora præsidia adhibere, qualia sunt venæ sectio, & purgatio per pharmacum devoratum, & tamen adhuc urget fluxio, aut ejus periculum, ut effatu digna revulsione opus sit, & subtractione aliqua materiæ ipsius fluxionis; non enim tantam vim naturæ inferunt clysteria, quantam ipsa purgantia assumpta; neque enim ita ad actum deducuntur, ut in ventriculo, cum nec etiam tamdiu morentur in corpore, natura namque irritata citiùs ad expulsionem insurgit, & crebriùs immitti possunt clysteres, quàm exhiberi possit pharmacum. Illud etiam in usu horum clysterium animadvertendum, sicuti & de purgantibus dictum est, non in omnibus vulneribus rationem revellendi habere posse, cum ad partes naturales attrahant, unde in vulneribus harum partium cavenda sunt. In ipsorum vero intestinorum vulneribus, & emollientia, & irritantia, quod tum fieri potest, sunt fugienda. Cavenda etiam sunt evacuantia in vulnerato notabiliter febricitante, in imbecillioribus, ut in pueris, atque decrepitis, vel morbo confectis. Item non sunt immittenda calidissimis temporibus. Denique eadem ferè observanda, quæ in exhibitione pharmaci observari solent. In vulneribus intestinorum alio clysterium genere utimur, siccantibus videlicet, & omninò ad vulnus valentibus, sed hic solum de clysteribus agimus, quæ adhibentur, ut toti consulatur.

Glandibus in vulneratis utimur propter easdem causas, propter quas & clysteribus, valent enim tum ad evacuandas fæces, tum ad revellendum à remotissimis etiam partibus, atque evacuandum. Verùm non faciunt ad fæcum excretionem molliendo, & laxando, sicuti clysteres molles, propterea quod conficiuntur in forma solida, & vix pertranseunt recti intestini extremitatem, unde non possunt fæces mollire, neque intestina laxare, nisi fortè extremitatem intestini recti. Faciunt ergo ad fæcum excretionem solummodo irritando naturam, & ad excretionem lacessendo, non secùs ac clysteres irritantes. Hinc ex acribus conficiuntur, nequaquam tamen selectivè ducentibus, quamvis & hæc naturam irritent. Verum, si ex purgantibus glandes conficiantur, & fortiùs revellunt, & peculiares succos attrahunt, pro qualitate videlicet purgantis. *Glandes irritantes.* Simpliciter irritantes glandes, quamvis ex

multis

multis confici possint, nostris tamen temporibus magis conficiuntur ex sapone, felle alicujus animalis exsiccato, suillo larido salito, caulis stipite; potissimum verò ex melle coƈto cum sale communi, vel gemmeo; & hæ sunt simpliciores glandes. Adduntur aliquando hyeræ simplicis species, pyrethrum, sinapis, & hujusmodi. At quando acriores glandes volumus, ut fortius revellant, & etiam evacuent, addenda sunt purgantia idonea. Adduntur autem præsertim species Elescoph, diagridium, trochisci Allhandal, rad. cucumeris agrestis, turbith, elaterium, & similia. Omnes ergo glandes cum acres sunt, revellunt, verùm acriores, & selectivè ducentes fortiùs revellunt, idcirco in fortiori causa fluxionis, & in robustioribus conveniunt. Temporibus etiam calidissimis cautè uti his debemus, & si vulneratus intensè febricitet: quamvis paulò liberalior possit esse eorum usus, quàm acutorum clysterium, cum eorum corpulentia non adeo penitiores partes penetret, ac ipsorum clysterium.

Glandes acres.

CAPUT LVII.

De alterantibus in vulneribus.

UT meliùs impediatur fluxio, & quæ cæpit, sistatur, vidimus ineptos reddendos esse humores ad motum, arctandasque fluxionis vias. Illud quidem per ea, quæ infrigidant, & incrassant, hoc verò per ea, quæ adstringunt. Quocirca hæc alterantia in primis vulneratis conveniunt, videlicet refrigerantia, incrassantiaque, necnon & adstringentia, non tamen ita valida, ut obstructiones possint gignere. Et quando pro inhibenda fluxione usurpantur, factis evacuationibus, statim sunt in usum revocanda, ut qui relinquuntur succi minùs habiles ad motum fiant, minusque liberas habeant vias. Serapia igitur, vel decocta, vel etiam electuaria, quæ dictos scopos respiciant, exhibenda erunt. Serapia erunt ex acetosa, cichorio, endivia, rosis siccis, ex myrto, & nenufare. Rosaceus recens, violaceus cum decoctis, vel stillatitiis aquis acetosæ, plantaginis, cicerbitæ, endiviæ, equiseti, lactucæ, cichorii. Quòd si humoribus acribus præditum sit corpus,

Alterantia primæ fortis in vulneribus necessaria.

pus, iis potissimùm infrigidantibus, & incrassantibus uti oportebit, quæ etiam vim habeant leniendi, & demulcendi acrimoniam humoris, quæ sæpè solet esse in causa, ut humores fluant, hujusmodi sunt portulaca, nymphea, violæ, amylum, papaver, tragacantha, buglossa, & similia. Ex dictis herbis quoque parari poterunt jura dicta alterata, quando à dulcibus abstinere oportuerit, vel quia corpus subjectum ex iis sit, in quibus dulcia facilè bilescunt, vel quia tempus sit calidius, ut ob id metuamus eorum transitum in bilem, vel quia ægrotus ea abhorreat. Conservæ refrigerantes non minus valebunt, ut quæ ex cichorii floribus parantur, & rubris rosis, & floribus nenufaris, & violarum. Quoniam autem quæ refrigerant, & adstringunt, sibimetipsis viam præcludunt, ideò permixtione alicujus calidi indigent, qnod ea penetrare faciat, ut est aliquod ex aromatis, nisi ipsum adstringens suapte natura tale fuerit, quemadmodum consulit Galenus libro Art. med. cap. 95. & 7. de comp. med. secundùm locos. Et quoniam aliqua ex dictis adstrictione carent, iis permisceri poterunt ea, quæ adstringunt.

Aliquando non tantùm inflammationem timemus, sed & corruptionem partis, & malam putredinem in venis ob apparatum morbificum, & pravitatem succorum. Quo in casu putredini resistere oportebit, tàm iis, quæ qualitatibus manifestis eam cohibent, quàm iis, quæ à tota substantia eidem occurrunt. Unde hæc erunt alterantia secundæ sortis in vulneratis, in priori censu sunt refrigerantia, & exsiccantia, ut acetosa, & ejus syr. cicerbita, succus limonum, & ejus syr. Syr. de citri acido, de succo granatorum, oxysaccharum, acidum citri saccharo conditum, melissa, borrago. A tota vero substantia putredini adversantur, & ipsam inhibent citri succus, margaritæ, lapilli pretiosi, terra sigillata, bolus Arm. or. cornu monocerotis, cornu cervi ustum, coralli, scordium, carduus benedictus, scorzonera, aqua ejusdem stillatitia, & ejus radices saccharo conditæ. Sed terræ, & lapilli, & cornua etiam manifesta qualitate id faciunt, videlicet siccando, & plurima etiam refrigerando spiritus chacanthi utraque ratione confert. Inter composita sunt Diascordium, præclara illa confectio de hyacintho, & magnæ antidoti, potissimum

Altera sors alterantium.

mum Mithridatium, quod confectioni de hyacintho permixtum mirabilia præstat. Fiunt etiam confectiones de bolo, pulveres, aquæ theriacales, & alia præclara composita. Præstantissima est aqua theriacalis secundùm infrascriptam descriptionem, *Aqua theriacalis.*

Recipe aquæ florum citri
Florum borraginis
Scorzoneræ
Melissæ
Acetosæ
Rosarum rubearum
Rutæ capraria
Vincetoxici
Cicerbitæ
Aceti rosati ana lib. ſ.
Scordii
Vincetoxici
Pimpinellæ
Rutæ capraria
Cardui benedicti
Scabiosæ, ana m. ſ.
Florum borraginis
Buglossæ
Citri
Cariophillorum
Liliorum convallium
Nenufaris
Rosarum rubearum ana p. i.
Santalorum citrinorum
Boli armenæ orient.
Terræ sigillatæ
Terræ Melitensis
Zedoariæ
Ligni aloes
Sem. citri ana drach. i. ſ.
Acetosæ
Papaveris albi ana drach. j.

Radic. Carlinæ.
Tormentillæ.
Bistortæ ana drach. ij.
Scorzoneræ.
Vincetoxici ana drach. iij.

Accipiantur herbæ, & flores virentes. verùm omnis humiditatis extraneæ expertes, & minutim incidantur. Herbæ tamen etiam contundi poterunt, & in aquas simul mixtas, aceto etiam addito, unà cum reliquis pariter contusis conjiciantur, priùs tamen omnia vino albo irrorentur, atque ita f. inf. s. a. balneo calentis aquæ 12. horarum spatio. Fideliter tamen obturatum sit os vasis, quod quidem vitreum esse debet, postea fiat col. & expressio diligens, & par pondus earundem rerum accipiatur, fiatque altera infusio eodem prorsus modo, & sic tertiò; facta postrema expressione, & col. addatur duplicatum pondus earumdem rerum, & sequentia, videlicet.

Succi acidi citri lib. ß.
Arantiorum.
Vincetoxici.
Rutæ capraria.
Acetosæ.
Scabiosæ.
Scordii.
Quinque folii.
Cardui benedicti.
Granatorum acidorum ana unc. iiij.
Radic. Angelicæ drach. iij.
Theriacæ.
Mitridatii ana unc. j.
Confect. de hyacintho unc. i. ß.
Spec. diamargarit. frigid.
Cordialium temperatarum
Trochisc. de camphora ana drach. iij.
Cortic. citri recent. minutim incisorum lib. ß.
Cornu cervi usti unc. ß.

Electuariis

Electuariis addantur pulveres, & cum liquoribus paulatim dissolvantur, deinde addantur reliqua omnia contusa, cunctaque diligenter permisceantur & balneo calentis aquæ fiat inf. per 24. horas modo supradicto, quo tempore pluries manibus curiosè malaxentur, inde duplici vase destillentur s. a. datur à semiuncia ad unciam unam.

Infrascriptus etiam pulvis valdè est efficax, recipit autem.

Smaragdi orient. præparati drach. j.
Fragmentorum hyacinthi scr. ij.
Granatorum drach. ß.
Margaritarum præparatarum
Corallorum rubeorum præparatorum
Cornu cervi usti, & aqua rosacea loti ana scr. j.
Boli Armenæ orient.
Terræ sigillatæ
Bezoar ana scr. ij.
Radic. Scorzoneræ
Vincetoxici
Zedoariæ ana drach. i. s.
Cortic. citri
Cocci infectorii
Rosarum rubearum ana gr. xv.
Croci
Cinnamomi ana scr. j.
Florum squinanthi
Melissæ ana scr. iv.
Spicæ
Ligni aloes ana drach. j.

Pulverizentur subtiliter, & misceantur, datur ad semidrachmam. Ab iis, quæ calefaciunt, maximè cavere oportebit in temporibus, & naturis calidis, & in quibus vehemens est fluxionis suspicio, namque si inflammatio cœperit, maximeque in aliquo interiori membro, nequaquam usum magnorum antidotorum concederem, sed in refrigerantium usu persisterem, vel eorum saltem, quæ non calefaciant.

Linimenta. Extrinſecùs etiam multa applicata regioni cordis, & arteriis manifeſtioribus, cor à putredine mala vindicant, ut eſt oleum Matthioli, Magni Ducis Hetruriæ, oleum illud, quod pro peſte Ferrariæ paratur. Oleum quoque citri florum, & ejusdem corticum, & ſeminum, linimentaque parata ex Theriaca, vel Mithridatio, unguento roſaceo, oleo nenufarino, oleo florum, aut corticum, vel ſeminum citri, ſpeciebus cordialibus temperatis, camphora, croco, & hujuſmodi.

Item epithemata regioni cordis adhibita ex aqua roſacea, borraginis, meliſſæ, florum citri, florum myrti, ſcorzoneræ, aqua theriacali, aceto roſato, vel ex citri, & cariophillorum floribus, ſpeciebus diamargarit. frigidis ſpeciebus cordialibus temperatis, confectione de hyacintho, theriaca, mithridatio, camphora, croco pauco, vino aromatico, & hujusmodi, ex. gr.

Recipe Aquæ roſarum
Borraginis.
Meliſſæ ana unc. jv.
Aceti roſati unc. i. s.
Spec. cordialium temperatarum drach. ij. s.
Camphoræ ſcr. i.
Croci gr. iij.
Vini aromatici modicum. Pro epithemate.

Aliud.

Recipe Aquæ roſarum unc. iij.
Meliſſæ unc. iv.
Florum citri
Mirti ana unc. ij.
Aceti roſati
Vini malvatici ana unc. i.
Spec. diamargarit. frigidi
Cordialium temperatarum ana drach. i. ſ.
Croci modicum. M. pro epithemate.

Aliud.

Recipe Aquæ roſatæ ſantalinæ unc. iv.
Florum myrti unc. iij.
Citri

Scor-

Scorzonera ana unc. ij.
Aquæ theriacalis uncia 1. *ſ.*
Confect. de hyacintho drach. iij.
Mithridatii drach. j.
Aceti roſati, & vini malvatici modicum.
Miſce, pro epithemate.

Quæ quidem Bezoartica, atque facultatem vitalem roborantia erunt etiam ex uſu; quando ob partis corruptionem, & gangrænam pravi halitus ad cor elevantur.

Aqua roſata ſantalina ſic paratur, *Aqua roſacea ſantalina.*

Recipe Roſarum rubearum recent. lib. vj.
Santalorum præparat. citrin. alb. ana unc. i. s.

Roſæ incidantur minutim, & manibus cum ſantalis malaxentur, vel etiam ſimul contundantur, addendo aliquantulum aquæ roſaceæ inde in alembicum projiciantur, & deſtillentur duplici vaſe ſecundum artem, deinde

Recipe Aquæ, quæ diſtillaverit lib. ij.
Roſarum rub. recent. lib. iij.
Santalorum unc. jv.

Miſce & fac, ut ſupra dictum eſt, ſerveturque aqua quæ poſtremo deſtillavit ad uſum.

Non ignorare autem oportet, quando adeſt malæ putredinis ſuſpicio, vel cæpta eſt, cautè utendum adſtringentibus, ne obſtructiones fiant, & ſit major putredinis occaſio, ad methodum recurrendum eſt, & ei, quod magis urget, incumbendum, cæteris, ſi fieri poſſit, non neglectis, qua de cauſa quandoque omninò ab adſtringentibus cavebimus, quandoque parcè illis utemur, & ſolummodò nonnunquam ad prohibendam innati calidi diſſolutionem, quandoque etiam uberior erit eorundem uſus. Alterantibus etiam quandoque egemus ob ſupervenientem febrem, ut intemperiem febrilem obtundamus. Sed cum hæc indicatio coincidat cum illa, qua humorum caliditatem, & tenuitatem corrigere docemur, non eſt, quod de ea plura dicamus. Id ſolum adjungemus, quod ſi febris fuerit ob apparatum morbificum incraſſantibus, & adſtringentibus cum præmeditatione uti opus erit, in his enim potius moderatæ aperitioni attendendum. Sed & quod de *De uſu adſtringentium*

mala putredine dictum est, huc erit transferendum, ei namque quod magis urgebit, consulendum, cæteris non neglectis, quando fieri id possit. Alia quoque alterantia convenire possunt ratione supervenientis febris, sed hæc à tractatu de febribus sunt petenda.

Potiones vulneraria. Cogimur quandoque aliam alterantium sortem vulneratis exhibere, exsiccantia videlicet; cogimur enim ad horum usum devenire, quando ob nimiam humiditatem ulcus ad sanitatem perduci non potest, defluente assiduè humiditate quadam superflua ad vulnus, quod quidem potest contingere, vel totius humiditate, eo quia videlicet totum sit repletum crudis, & serosis succis; sive ob pravum victum præcedentem, sive ob malam temperaturam earum partium, quæ coctionibus dicantur, unde fit, ut assiduè generetur sanguis nimia præditus humiditate, vel alicujus partis tantùm, puta capitis superfluum humorem ad partem vulneratam tanquam ad imbecilliorem transmittentis, vel totum etiam sanguinem coinquinantis. Totum igitur exsiccare oportebit, quando totus sanguis est humidus, & partes etiam nimia humiditate flaccescunt, carnis enim generatio fit ex temperatura partis vulneratæ tanquam efficiente, & sanguine probo tanquam materia, & partem determinatam, si ab ea fuerit excrementorum proventus, ad naturalem statum reducere. Sed qua ratione consulatur affectibus determinatarum partium, non est præsentis loci. Pro absumenda tamen excrementitia totius materia, atque ad præparandam idoneam materiam pro carnis generatione, valida èxsiccantia convenient, quæ & corroborent partes, & affluxum excrementorum ad partem moderata sua adstrictione compescant, nisi quidpiam adsit, quod adstringentium usum prohibeat, quo in casu sola exsiccantia convenient. Itaque ex usu erunt potiones ex pilosella, tormentilla, alchimilla, ophri, limonio, stellaria, serpentaria, trinitate, equiseto, cariophillata, ophioglossa, sanicula, auricula ursi; artemisia, agrimonia, dictamno Cretico, vincapervinca, persicaria, quinquefolió, veronica, potentilla, betonica, verbena, brassica, rubia, nepetha, lilio convallium, summitatibus rubi, & cannabis renatæ radicis consolidæ majoris, aristolochiæ utriusque dictamni albi, valerianæ, tormentillæ, bi-

stortæ,

ſtortæ, gentianæ, rhabarbari, rhapontici, & hujuſmodi, item ſpermate ceti, ligno lentiſcino, mumia, cancris fluvialibus, aſtacis. Quibus etiam quandoque addantur diuretica, ut portio excrementitiæ materiæ ad urinæ vias perducatur, veluti radices rubiæ, petroſelini, fœniculi, aſparagi, & hujuſmodi, & interdum ad majorem attenuationem, cinnamomum, galanga, macis, Zedoaria, ſabina &c. ſed maximum momentum ad exſiccandum habent decoctum Guajaci, ſarſæ, & chinæ, atque non tantùm per ſe exſiccant, ſed etiam per accidens, reſolvendo videlicet materiam per inſenſibilem halitum, aut per ſudorem evacuando. Quare hæc erit alia ſors evacuantium in vulneribus commoda. Quod ſi corpus lue illa Venerea fuerit infectum, tantò magis neceſſarius erit ligni, & ſalſæ uſus.

Sed circa horum uſum duo ſunt animadvertenda, unum eſt, ut, quæ calida ſunt, non exhibeantur, niſi tranſacto inflammationis periculo, & cautè in temporibus, regionibus, atque naturis calidis; alterum, ut præcedant univerſales evacuationes. Immò ad hæc exſiccantia non devenimus, niſi quando purgantibus non poſſumus excrementitios ſuccos penitus abſumere. Potiſſimum autem præevacuatum corpus ſit oportet, quando iis uti placuerit, quæ calefaciunt & humores attenuant, ac fundunt: colliquando enim ſuccos, atque calefaciendo inſignes concitarent fluxiones. Paratur decoctio non ex vino potenti, ut multi conſueverunt, ne calidior, quam par ſit evadat potio, ſed ex aqua communi chalybeata, aut equiſeti, vel veronicæ, & hujusmodi: quod etiam magis à Gal. probatur, qui eas conficiebat ex aqua, aut vino imbecilli, ut videre eſt 5. Meth. 9. Addetur ergo potius in fine decoctionis vinum album optimum, ut diſtributionem adjuvet. Ne verò quidquam deſiderent tirones, exempla quædam harum potionum ſubjicere volui.

Animadvertenda circa potionum uſum.

Prima quidem recipit.

Equiſeti
Plantaginis
Cariophillatæ
Piloſellæ
Saniculæ

Pyrolæ

Pyrolæ
Quinquefolii ana m. j.
Radic. Consolidæ unc. i. s.
Dictamni albi.
Tormentillæ.
Bistortæ.
Valerianæ.
Petroselini.
Fœniculi dulcis ana unc. s.
Rubiæ.
Cinnamomi ana drach. ij.
Aquæ chalybeatæ q. s.
Misce, & f. decoctio. s. a.
Deinde ℞. hujus decoctionis lib. iiij.
Mellis optimi lib. i. s.
Vini albi electissimi, neque nimis potentis lib. ij.

Misce, & bulliant simul, donec fiat veluti mulsa. Dosis est ab unc. 6. usque ad decem.

Secunda recipit.

Ligni lentiscini.
Visci quercini ana un. ij.
Radic. consolidæ.
Aristolochiæ.
Centaureæ.
Rubicæ.
Valerianæ.
Tormentillæ.
Bistortæ ana unc. s.
Aquæ communis chalybeatæ lib. xij.

Misce, & f. inf. s. a. per viginti quatuor horas, postea bulliant duplici vase ad consumptionem medietatis, & cum ad consumptionem tertiæ partis fuerit perventum adde.

Radic. Petroselini un. s.
Summitatum rubi.
Cannabis.
Pilosellæ.

Trini-

Trinitatis.
Vincæ pervincæ.
Equiſeti.
Fragariæ.
Florum lilii convallium ana m. ſ.
Rha Pontici drach. ij.
Cinnamomi unc. ſ.

Et in fine decoctionis adde vini aromatici lib. iij. deinde facta expreſſione, & colatura cum ſaccharo fiat veluti mulſa.

Tertia recipit.

Ligni Guajaci præparati unc. jv.
Corticis Guajaci.
Sarſæ parillæ ana unc. ij.
Santali citrini.
Radic. Tormentillæ.
Biſtortæ.
Valerianæ.
Dictamni albi.
Conſolidæ ana unc. ſ.
Aquæ communis lib. xvj.

Miſce, & f. inf. s. a. per 24. horas, poſtea bulliant duplici vaſe s. a. ad conſumptionem tertiæ partis, tunc adde:

Equiſeti.
Betonicæ.
Piloſellæ.
Dictamni Cretici.
Pyrolæ.
Potentillæ.
Summitatum rubi.
Trinitatis.
Fragariæ ana m. ſ.
Cinnamomi unc. ſ.

Bulliant ſimul, donec remaneant lib. 6. & in fine ebullitionis adde vini albi optimi lib. 3. facta deinde expreſſione, & colatura cum melle, vel ſaccharo fiat veluti mulſa. Si tamen febricitaret vulneratus detrahendum eſſet vinum.

Maximi etiam momenti eſt potio illa de pyrola à Matthiolo deſcripta commento de limonio. Sed & pulveres, & electuaria conficiuntur, & confectiones ſolidæ, quæ eundem præſtant uſum, & ſi non æque ad remotas partes diſtribuantur, niſi accommodato liquore diſſolvantur, in vulneribus tamen ventriculi, inteſtinorum, atque thoracis ſunt maximè accommodata. Quamvis ubi vulnerum thoracis gratia ſuſcipiuntur, non inſimul ſint devoranda, ſed ſenſim in ore liquefacta deglutienda, ut ejus portio per aſperam arteriam ad pulmones feratur. Ejus generis eſt diatragacanthæ cùm bolo: Electuarium confectum ex radicibus conſolidæ majoris decoctis, ac ſetaceo trajectis, ac melle, ſeu ſaccharo, & ex ſaccharo roſaceo veteri, bolo Arm. orientali, terra ſigillata, terra Samia, ſem. plantaginis, acetoſæ, ſyr. de roſis ſiccis, aut myrtino. Præſtantiſſimum eſt, quod ſequitur. Accipit autem.

Succi ophioglоſſæ.
Equiſeti.
Verbenæ,
Piloſellæ.
Saniculæ.
Trinitatis ana lib. ſ.
Sacchari albi lib. iij.

Miſce, & bul. ſimul ad elect. conſiſtentiam, tunc addatur.

Radic. Biſtortæ.
Tormentillæ.
Ariſtoloch. rot. ana una. j.
Dictamni albi.
Rha Pontici ana unc. ſ.
Cariophillatæ.
Vincæpervincæ.
Betonicæ.
Dictamni Cretici ana drach. iij.
Cinnamomi.
Galangæ.
Macis.
Zedoariæ.

Semin.

Semin. Plantaginis.
Acetosæ.
Portulacæ ana drach. ij.
Gummi tragacanthæ.
Amili ana unc. ʃ.
Radic. Consolidæ majoris sub cineris coctarum, ac setaceo trajectarum unc. iij.
Misce, & f. electuarium ʃ. a.

Hac ratione innumeræ compositiones parari poterunt, quæ judicio prudentis Medici relinquemus. Non est autem prætermittendum, quando vulnus in remotis est partibus, quin ea permisceantur, quæ vehiculi præstent vicem, ut in vulneribus capitis betonica, in vulneribus renum, & vesicæ radices apii, & fœniculi, syr. de duabus, & quinque radicibus, & alia diuretica, in vulneribus uteri artemisia, & ejus syr. in vulneribus articulorum iva, & sic de reliquis.

Nec sunt spernenda id genus præsidia, quasi sint recentiorum inventa, constat enim, & antiquos iisdem interdum fuisse usos, unde & eorum meminit Gal. 5. Meth. 9. tractans de curatione vulnerum thoracis, dicebat enim: Cæterum danda est opera, ut ea quacunque ratione siccemus, tum per ea præsidia, quæ extrinsecus imponuntur, tum per ea, quæ ex aqua, vinove tenui bibuntur. Porro maximè idonea sunt, & quæ, propterea quod ex seminibus fiunt, diaspermaton Græcè dicuntur, & quod solemne nobis est, quod in pectore perforato semper utimur, quod ex cassia componitur. Antiquissimus igitur est harum potionum usus. Quas non tantùm exsiccando, adstringendo, ac detergendo prodesse certum est, verum etiam & calorem innatum partis roborando, ut eorum auxilio propria munia longè fœliciùs exerceat. Idque quotidianus eventus abundè patefacit. Hinc Germani fœlici, ut ajunt, cum successu etiam à principio hisce potionibus utuntur. Quamvis ab iis abstinendum censeam, quæ calidiores sunt, quamdiu urget inflammationis periculum. Necessarius tamen omnino erit hujusmodi præsidiorum usus statim à principio, quando interiorum aliquod unà fuerit vulneratum: posteaquam externis auxiliis

parum in hisce vulneribus proficimus. Debent autem non exsiccandi solùm, verùm etiam adstringendi facultate esse prædita.

Utimur denique in vulneribus repellentibus, atque intercipientibus, sed quoniam immediatè fluxionem respiciunt, de illis in capite de supprimenda fluxione diffusè tractabimus. Sunt postremo, quæ ingesta vulneratæ partis calori tantùm adjiciunt roboris, ut una hac ratione certa quædam munia fœlicissimè exerceat. Hoc est videre in dictamno Cretico, cujus succus, vel pulvis epotus in expellendis peregrinis corporibus mirificè nativum calorem adjuvat, & in lapide illo, qui Germana lingua *Beinbruch* appellatur, cujus drachma in vino rubro ex infusione vincæpervincæ exhibita quatuor, aut quinque subsequentibus diebus fracturis cum vulnere brevissimè magna cum omnium admiratione medetur; & in potionibus etiam illis vulnerariis, non solùm enim excrementa respiciunt, atque materiam generandæ carnis, verùm & ipsum nativum calorem.

CAPUT LVIII.

De ratione victus.

EXplicatis chirurgicis, & pharmaceuticis præsidiis quæ in vulneribus sunt opportuna, tempus est, ut ad victus rationem transeamus, qua neglecta parum, vel nihil alia proficerent. Quoniam igitur huc debemus spectare, ut arceantur omnia, quæ vulnerum curationem interturbant, impedimentisque occurratur, atque opportunè adsit congrua materia pro glutinis, vel carnis generatione, ac naturalis calor roboretur, quæ necessariò nostrum corpus afficiunt, ita sunt moderanda.

De aëre. In primis aër in activis eligendus est temperatus, & in passivis siccus. Scio ab aliquibus magis probari frigidum aërem, quia magis humores ineptos ad motum reddit, & vias etiam, per quas fieri deberet fluxio, quodammodo adstringit, sed quoniam talis aër vulneri est inimicus, & reliquas etiam afficiens partes, ipsi vulneratæ parti potest esse infestus, & corporis poros obstruit, unde assidua diligentia requiritur, ut corpus totum, nedum pars vulnerata

nerata protegatur, ac solum inspiretur, & ex erratis non contemnenda mala proveniunt, propterea temperatum magis laudo. Calidus licet vulneri prosit, suspectus tamen est, quoniam vias laxat, humores liquat, & attenuat, & aptos ad motum reddit, & ita fluxionem commovet, ideò Celsus lib. 5. cap. 26. Locus, in quo cubabit, tepidus esse debebit. Et lib. 5. Oportunissimum curationi tempus vernum est, aut certe neque fervens, neque frigidum, siquidem vulnera, & nimius calor, & nimium frigus infestat. Nisi igitur talis fuerit, qualis dictus est, arte parandus, quando hoc fieri possit. Sin minus, is eligatur, qui magis ad dictum accedat, & inæqualis tanquam maximè adversus omninò fugiendus: ideoque Celsus loco citato autumnum perniciosissimum dicebat. Calidus, & humidus pessimus, crassus partium inferiorum, tenuis, præsertim si juncta sit insignis frigiditas capitis, & penetrantibus omnibus vulneribus inimicus turbulentus, & nebulosus, fœtidus, inquinatus, & putridus maximè fugiendus: Amandus verò purus, liber, nulloque halitu vitiatus. Verùm si aër, in quo moratur vulneratus, minus sit ad rem nostram accommodatus, saltem curetur, ut sit liber: cæteræ verò pravæ qualitates arte corrigantur, quod alibi traditur, aut aliò transferatur patiens.

De motu & quiete.

Quies est imperanda, & præcipuè vulneratæ partis, motus enim humores commovet, & ad fluendum promptos facit, & si vehemens sit, ad vulnus præcipitat, & magis si pars vulnerata aut quæ illi proximæ sunt, moveantur, naturam quoque interturbat. Ambulare enim non æquè nocet iis, qui vulnerati sunt capite, aut brachiis, ac iis, qui cruribus, & femoribus, unde Celsus loco citato: Optimum etiam medicamentum quies est. Moveri, & ambulare, nisi sanis alienum est: minus tamen his est periculosum, qui in capite, vel brachiis, quàm qui inferioribus partibus vulnerati sunt. Minimeque ambulatio convenit femine, aut crure, aut pede laborante. Ambulationis vice præcipi poterunt leves frictiones, non tamen iis partibus, quæ vulneri sunt propinquæ, ne ad partem vulneratam attrahant, sed iis, quæ longinquæ sunt, ut potius avertant, unde Celsus loco citato: Levis frictio rectè adhibetur, sed iis partibus, quæ longius absunt à vulnere.

Cavendæ

De somno, & vigilia. De repletione, & inanitione. Motus animi.

Cavendæ quoque sunt immodicæ vigiliæ, succos enim exacuunt, & commovent. Alvus lubrica sit oportet, ideò si talis natura non fuerit, mollibus clysteribus, aut suppositoriis non acribus supplere opus erit. Motus animi immodici sunt evitandi, præcipuè autem ira. Lætus sit ægrotans, & benè speret. Sed quoniam id esse non posset, nisi pro comperto haberet, se viro in arte peritissimo salutem suam commisisse, propterea illud potissimùm apud ægrotum debet Medicus contendere, ut æger de ipso benè sentiat, existimetque eum optimè res ad vulneratos attinentes intelligere, sic enim se ipsi, ut dicebat Hipp. 1. Præsag. majori cum fiducia committet, & in confidente infirmo, & præclara expectante præsidia longè magis proficiunt, quæ pro ejus recuperanda sanitate adhibentur. Ut ad hoc inducat ægrotantem, opus est, tales ejus esse actiones, ut ex ipsis nullam in arte pati exceptionem possit dijudicare: quare cum variæ sint hominum sortes, non erga omnes se debet eodem modo præstare, sed prout fuerit cujusque natura, alios fabulis capiet, alios in rebus agendis se prudentem præstando, & de hisce discurrendo, alios de iis, quæ ad artem spectant, tractando, hoc enim est hominum proprium, qui ad sapientiæ fines adhuc non pervenere, ex uno particulari universale colligere, dijudicantes Medicum in eo, de quo sermonem habet, peritum, in eo etiam, quod ad totam artem pertinet, peritum colligunt. At quoniam qui sciunt, id, quod est, judicant, ideò cum quis habet præ manibus viros sapientes, non laudarem, ut ludicris coram ipsis ageret, & inanem quamdam lætitiam ostenderet, quæ apud ipsum levioris ingenii essent notæ, sed consideret quod ab Aristotele 1. Prob. 30. dicitur sapientes videlicet esse melancholichos, eo quod humor melancholicus faciat ad quietem, & gravitatis, atque judicii sit auctor, qua ratione dici solet, animam quiescentem fieri sapientem. Non quidem quod velim Medicum melancholicum, & quasi tristem, ac metuentem sese ostendere, neque enim abundantia melancholici succi est sapientiæ causa, sed cum ad sapientiam requiratur, ut dicebat Gal. lib. Art. med. in signorum tractatu tenuitas, & claritas spirituum cum modica bilis, & melancholiæ permixtione, bile quidem ad discursuum velocitatem, & ad solertiam conferente, melancholia verò ad

Quomodo captandus sit vulneratus.

stabili-

ſtabilitatem judicii, ſe talem præbeat, ut promptitudinem quamdam in diſcurrendo oſtendat: in judicando autem, & eligendo, non ſe oſtendat præcipitem, ſed acris, & exquiſiti judicii. Hoc volebat Celſus, quando dicebat: Si interrogatus ſemper velociter reſpondeas, dubitandus es. Alia via incedunt nonnulli noſtris temporibus, & aliter ſuos ægrotantes capiunt, coram ægrotante enim, & aſſiſtentibus præclaras, & memorandas curationes à ſeipſis anteà geſtas prædicant, atque ut ſibi major fides adhibeatur, ſecum habent gnatones, viles tonſores, qui omnia amplificant, & adhuc majora de curante enarrant, ut comœdiam agi diceres, & colloquia inter gnatonem, & Thraſonem audire; res quidem viro, & arte indigna, & magis etiam eis Medicis, qui, ut ipſi profitentur, & prædicant, ex dignitate artem exercent. Nec magis laudandi ſunt, qui ſcurrilibus, tanquam mimi agunt, nihil aliud curantes, niſi ut ea dicant, & faciant, quæ ægrotantibus, & aſſiſtentibus riſum moveant, qui ob id hiſtriones potiùs, quàm Medici eſſent dicendi. Elegans verò Medicus ea amplectatur, quæ artis dignitatem ſapiunt, non quæ artis dignitati detrahunt.

Reprehenduntur Thraſones.

Reprehenduntur mimi.

Coitus eſt vitandus, nam vires diſſolvit, & ſuccos exagitat. Sic tractandum eſſe vulneratum in hiſce rebus, ex univerſali curandi ratione, quam ſuperius propoſuimus, facilè quiſquis conjicere poterit.

De coitu.

Sed & ex eadem generali methodo non erit difficile colligere, quiſnam victus ſit inſtituendns, quomodo ſcilicet in iis, quæ comeduntur, & bibuntur, tractandi ſint vulnerati: Manifeſtum enim eſt rationem inſtituendi victus in vulneribus non deſumi ab iis, quatenus tales morbi ſunt, poſtquam morbi immateriales ſunt, & ut tales morbi ſunt, eadem ipſis competeret vivendi ratio, quæ reliquis immaterialibus morbis, ſed ut morbi ſunt, quibus ſupervenire poſſunt alii affectus eorum ſanationem impedientes, immò & ad mortem ducentes; cujuſmodi ſunt inflammatio, abſceſſus, corruptio, copioſior excrementorum proventus, febres, & hujuſmodi, quæ ne fiant, & majori vi, eo magis timendum eſt, quo majus fuerit vulnus propter alias allatas cauſas. Ut autem hæc in vulneribus faciliùs accidant, aut ubi ſupervene-

Unde deſumatur ratio victitandi vulneratos.

Quomodo cibi, & potus evadant morbificæ causæ.

pervenerunt, ut majora fiant, in causa esse possunt cibi, & potus exhibiti, sicuti & in omnibus morbis possunt esse morbificæ causæ, & ideò Gal. 8. Meth. 9. dicebat: Si morbosam affectionem nullo pacto offenderet alimonia, nos virtuti soli attendentes, ægros ut sanos nutriremus, sed quoniam sæpius noxam affert, ob id morbosam affectionem non tanquam cibi indicatricem, sed tanquam prohibitricem contemplamur. Sic ergo in vulneribus, quoniam alimenta exhibita detrimentum inferunt, vel novorum affectuum generationi occasionem præbendo, vel jam genitos augendo, idcircò cogimur aliter nutrire vulneratos, quam sanos. Itaque si habuerimus quando, & quomodo alimenta exhibita sint morbificæ causæ, procul dubio, & quomodo alendus sit vulneratus, quando mala adsunt, aut imminent, habebimus.

Fiunt autem alimenta morbificæ causæ substantia potissimùm, & qualitate, & quantitate, non enim modos omnes recensere propositum est, quibus quæ ingeruntur, detrimento esse possunt humano corpori, sed qui in vulneribus sunt peculiariter animadvertendi. Substantia ergo noxia sunt alimenta vulneratis, quatenus generatur copiosior sanguis, quàm in vulnerato oporteat, ex quo contingit, uberiorem materiam adesse fluxionis, & inflammationis, & majorem propensionem sanguinis ad fluxionem, posteaquam superfluens nutrimentum non retinetur à natura, sed facilè qualibet occasione transmittitur ad alias partes; potissimum autem ad imbecilliorem, & generari copiosiora excrementa in parte vulnerata, quandoquidem natura transmittit eandem alimenti copiam ad partem vulneratam, quam priùs sanitatis tempore transmittere solebat, & forsan majorem: at vulneratæ partis natura nequit tantam alimenti copiam conficere propter imbecillitatem ex vulnere, quàm prius, unde inflammationes, putredines &c. ob causas alias allatas. Sic igitur major sanguinis copia existens, ac manens in vulnerata parte, quàm ab eadem confici possit, putrescat necesse est, hinc inflammationes, putredines, & alia mala. A substantia quoque alimenti provenire potest detrimentum vulnerato, si alimentum, quod exhibetur, non in bonum succum aptum sit converti, sed in malum potius, ut enim dicebat Gal. 3. de cav. sympt. cap. 2. & idem quotidie experientia

Alimenta quomodo substantia sint noxia.

perientia deprehendimus: Ex alimentis alia ſuaptè natura ad atram bilem declinant magis, alia ad aquoſitates, alia ad bilem amaram. Si ergo quæ pravi ſunt ſucci, exhibeantur alimenta, cacochymum redditur corpus, pravus ſanguis fertur ad vulneratam partem, hinc præter quam quod deficit materia pro carnis generatione, quæ eſt ſanguis bonus, temperatura vulneratæ partis majus diſpendium patitur, atque labefactatur ob affluxum pravorum ſuccorum, qui etiam præter juſtitiam affluunt, cum ſemper conſueverit natura totius excrementa ad imbecilliorem particulam demandare, ſive talis natura ſit, ſive aſcititia cauſa. Hinc fit, ut natura vulneratæ partis ea opera, quæ neceſſaria ſunt pro vulneris ſanatione, præſtare nequeat, non concoquere, non aliena expellere, non carnem generare, unde non mirum, ſi poſteà ſuccedant inflammationes, putredines, & alia mala.

Quomodo alimenta qualitate ſint noxia.

Ex qualitate verò alimentorum poſſunt provenire mala in vulneribus, quatenus alimentum poteſt aliqua eſſe qualitate præditum, qua humores attenuentur, calefiant, acreſque, & fluxiles reddantur, ſive qualitatem hanc à natura habeant, ut allia, & cæpæ, & hujuſmodi; ſive artis, ut ſi aromatis condiantur alimenta, aut aliqua alia qualitate, quæ vulneratam partem lædat, puta ſi vulneratum ſit caput, & exhibeatur lac amygdalarum, quod vaporoſum eſt, & caput replet vaporibus, & ſic de aliis multis.

Quæ reſpicienda ſint in inſtituendo victu.

Ad hæc igitur capita reſpiciat oportet, qui convenientem in vulneribus victum malorum tempore inſtituere voluerit, ne ſuppeditetur materia pro generatione inflammationis, nec tanta alimenti copia ad partem vulneratam tranſmittatur, quæ ſanitatis tempore tranſmitti conſuevit, poſteaquam ut imbecillior ob vulnus non eandem quantitatem, quam prius, poteſt conficere, & ita eodem ſuppeditato alimento, aut inflammatio generaretur, aut excrementorum abundantia, quæ vulnus nimis humectarent, & forſan id eſſet alicujus corruptionis cauſa, ut generetur probus ſanguis; ſi namque generarentur pravi ſucci, cum pars vulnerata hoc tempore ſit imbecillior, ad eam vitioſi ſucci geniti à natura tranſmitterentur; ne quæ exhibentur qualitate aliqua prædita ſint vel natura, vel arte, qua poſſint humores ad fluxio-

 nem

nem aptos reddere, & ad inferendum irritamentum naturæ habiles, vel aliter vulneratæ parti obesse, imo potius qualitatem habeant, quæ humorum impetum coerceat, humores ineptos ad motum reddat, ne copiosiora alimenta exhibeantur, quam par sit; natura enim coctioni alimenti nimis intenta, turbamentum, quod ex vulnere contingit, desereret, aut saltem totis viribus ad illius sedationem non uteretur. Ut primum scopum attingamus, considerandum erit ex vulneris qualitate, & vulnerati statu, quantum sit inflammationis periculum, & quanta foret inflammatio, seu quanti momenti, si vulneri superveniret, & quandiu perduret inflammationis periculum. Ex consideratione quantitatis periculi habebitur, quis victus in quolibet vulnere possit materiam præstare pro inflammationis generatione, non enim censendum est, unum, & eundem victum in omnibus vulneribus æqualiter præstare materiam inflammationis in vulnere, siquidem exempli gratia duræ meningis victus aliquis id faciet, quod non in vulnere carnosæ partis faceret.

Quæ forma victus in vulneribus conveniat.

Sed consideratio quantitatis inflammationis nobis distinctius ostendet, quæ victus forma peculiariter sit eligenda in quolibet vulnere, idem enim victus imminente inflammatione convenit, qui ea præsente conveniret. Semper quidem in vulneribus, dum subest inflammationis periculum, tenuis victus est injungendus, ut evitetur inflammatio, cum enim ex tali victu minor sanguinis quantitas generetur, minus abundabit inflammationis materia, & partes alimenti indigentes fortius continebunt quod in seipsis continetur sanguinis, & minor portio sanguinis in alimentum vulneratæ partis deferetur, sicque faciliùs inflammationem evitare licebit, unde Hipp. meritò dicebat lib. de affec. n. 37. Vulneratos fame affligito. Et lib. de ulc. n. 1. Modicus cibus, & aqua quam maximè omnibus vulneribus conducunt, & magis recentioribus, quam vetustioribus, & si quod aliud ulcus inflammatum est, aut inflammationem minatur. Sed tamen pro majori, vel minori inflammationis periculo, & pro quantitate imminentis inflammationis, tenuiùs, vel uberius alere vulneratum oportet: in majoribus enim vulneribus longè minor sanguinis quantitas inflammationem efficere poterit, unde quo vulnus fuerit majus,

majus, & magis lethalis imminet inflammatio, eo tenuior victus est injungendus. Hinc in lethalibus vulneribus tenuissimus convenit, quamdiu perseverat periculum, & sicuti progressu temporis imminuitur periculum, ita etiam paulatim ad crassiorem victum transeundum est. Minus vero tenuis convenit, quando vulnus non est lethale, & omninò quanto magis distabit vulnus ab illa magnitudine, eò uberiùs reficiendus erit vulneratus. Sic Hip. lib. de frac. text. 4. com. 1. Simplici existente fractura, victum licet parciorem usque ad decimam instituit, non tamen admodum exquisitum præcipit, unde dicebat: Quibus inter initia nullum adest ulcus, neque os erupit extra cutem, illi satis erit victus non admodum exquisitus, tamen usque ad diem decimam illi parcior sit, utpotè quia jam quiescunt, & subjungebat, mollibus obsoniis utantur, quæ ad dejectionem moderatè faciant: A vino autem, & carnium usu caveant. At in fracturis cum vulnere tenuiorem victum injungit, unde text, 12. com. 3. dicebat: Exquisitiorem prætereà victus rationem illis instituere oportet, ac longiori tempore, quibus ad fracturam ulcus inter initia accessit, quibusque ossa extra cutem extant, atque ut in universum dicam, graviora vulnera victum tenuiorem, & eum diuturniorem requirunt. Et Gal. hoc declarans lib. de fract. com. 1. tex. 44. dicebat: Exquisitum igitur victum illis instituit, qui unà cum fractura ulcus etiam inter initia contraxere, in primis vero si os confractum se extra cutem exeruit. Simplicem verò, id est, nulla adhibita diligentia, illis, qui nulli periculo sunt obnoxii: At subsimplicem, qui & inter hos medius est, illis imperat, qui fracturam habent, in primis nimirùm diebus, quorum terminum voluit esse decimam. Et paulo post: Ob id autem istis medium hunc victum adhibet, quia neque adeò magnum ipsis periculum imminet, ut illis, quibus nudata sunt ossa, neque eo ita vacant, ut quibus simplex adactum vulnus est in carne citra vitium aliquod ipsius ossis. Quibus ergo res media est inter statum, qui omninò periculo caret, & eum, qui plurimo periculo complicatus est, medium quoquè victum merito indicit. Ex quibus colligere possumus, quando Hipp. lib. de affect. dicebat: Vulneratos fame affligito, omnes vulneratos æqualiter fame affligendos noluisse, *Explicatur locus in lib. de loc. in hom.*

luisse, sed pro ratione vulneris. Famem autem appellabat, quoniam inducitur semper alimenti indigentia. Quo modo etiam intelligendus est locus ille in lib. de ulc. Modicus cibus, & aqua quàm maximè omnibus ulceribus conducunt. Hæc eadem consideratio nos cautos reddit, quando omninò exquisitam debeamus servare victus rationem, & ab ea, quæ indicatur, nihil omninò recedere, & quando aliquid possimus condonare, licet dandum sit semper aliquid, ut dicebat Hipp. 1. Aph. ætati, tempori, regioni, consuetudini, temperaturæ, & hujusmodi, & quando nihil omninò spernendum sit in instituendo victu, quod ad inhibendam fluxionem possit conferre. Quando enim imminens inflammatio est lethalis, nihil negligendum, non est vulnerato indulgendum. Hæc victus forma non solùm materiam inflammationis subtrahit dum sub ea modicus sanguis generatur, verùm etiam eadem ratione efficit, ut partes melius proprium alimentum retineant, nec aliò transmittant, ut quæ indigentes alimenti redduntur, & ita simul, & semel secundum scopum consequimur.

Alimenta conveniunt probi succi. Non generabuntur pravi succi, si alimenta exhibeantur, quæ sui natura bonum sanguinem procreent, & sint coctu facilia, contraria verò fugiantur. Quartum scopum assequemur, si à calidis, acribus, & mordacibus abstinuerimus, & ab iis, quæ aliquo alio modo vulneratæ parti possunt obesse, ut in vulneribus capitis à vaporosis, & ea potiùs exhibeantur, quæ aliqua qualitate humores ad motum ineptos reddant sive natura eam qualitatem habeant, sive arte, & partis vulneratæ robur adaugeant, si aliqua talia qualitate prædita haberi possint. Itaque frigida potius, & sicca sunt eligenda, nisi humores adsint acres, & mordaces: quo in casu refrigerantia, & humectantia convenient, ut quæ acrimoniam, & mordacitatem humorum obtundunt. Et si aliter peccaverint humores, studendum erit, ut talia sint alimenta, quæ vitium illud corrigere valeant, fugiantur verò quæ vitium illud fovent, vel augent; & ideo in putrescentibus succis frigida, & sicca conveniunt, ut quæ putredinem cohibeant, & quæ obstructiones parere, aut augere possunt, cavenda immò si sint de obstruentia, attenuantia videlicet, atque si putredo fuerit intensa, atque

atque maligna, vel peſtilens, ea quoque convenient, quæ à tota ſubſtantia putredini reſiſtant, & vires contra ipſam muniant. Tandem non diſtrahemus naturam à ſuo opere, ſi ea victus forma inſtituatur, quam periculi, & inflammationis magnitudo præſcribit, non enim poſſunt copioſiora ingeri ſub tali victu. Tranſacto inflammationis periculo, ut priſtinum robur corpus recipiat, paulatim incraſſandus erit victus, ſemper tamen habita ratione debilitatis ipſius vulneratæ partis, quippe cavendum eſt ſemper ab eo victu, ſub quo periculum imminet, ne major portio ſanguinis in alimentum partis vulneratæ deferatur, quàm ejus natura perferat. In gravioribus, & lethalibus vulneribus, non ſolùm ut priſtinum robur reſtituatur corpori, ſicuti imminuitur periculum, ita paulatim incraſſare victum oportet, verum etiam ut virtus partis ex alimento facta robuſta melius generationi carnis incumbat, atque inſuper eidem ſuppeditetur materia pro carnis generatione, quæ eſt ſanguis probus, cujus adeſt indigentia, & propter victus tenuitatem, & propter inſtitutas evacuationes in gravioribus vulneribus, non autem in levioribus, in quibus nullæ, aut parvæ evacuationes ſunt ex uſu, & plenior inſtituitur victus. Hoc eſt, quod intendebat Hipp. lib. de loc. in hom. numero 47. quando dicebat: Et ſiquidem adſtringere oporteat ulcus, ac implere, tumefacere prodeſt, etiam ſi in capite carnem velis, renutrita enim à cibis caro propulſat eam, quæ à medicamento putrefacta eſt, ſimulque debellat; per illud enim, tumefacere, corporis nutritionem intelligit; cum enim antea dixiſſet, ulcera ſimul cum medicamentis etiam fame curanda, ne quis exiſtimaſſet, id convenire omni tempore, voluit terminum apponere tenuis, & exquiſiti victus, qui eſt, ubi tempus eſt, ut caro generetur, atque cavitas impleatur. Ne verò talis victitandi ratio quidquam obſit, cavenda ſunt edulia, quæ adverſam aliquam qualitatem participant, ſicuti ſuperiùs dicebamus obſervandum malorum tempore, & ab iis, quæ difficilis ſunt coctionis, & pravi ſucci, ex quorum uſu vulnus redderetur excrementoſum: & exhibenda, quæ facilis ſunt coctionis, & boni ſucci, ex quibus inſuper idonea materia præparabitur pro carnis generatione, probus videlicet ſanguis, non enim quilibet ſanguis eſt idonea materia,

Explicatur locus Hipp. in lib. de loc. ho.

ſed bonus. Immò quoniam ſanguis per exſiccationem quamdam, & condenſationem in carnem vertitur, & propterea ſiccior ſanguis faciliùs formam carnis recipit, cùm natura non laboret in abſumenda ſuperflua humiditate, ſi alimenta exhibeantur, ex quibus ſanguis ſiccior generetur, ſive talia fuerint ſuaptè natura, ſive arte parata, in gravioribus præſertim vulneribus, exiſtimandum eſt, faciliorem futuram carnis generationem.

Alimenta medicamentoſa.

Quæ alimenta conveniant vulneratis.

In lethalibus igitur vulneribus fercula ex pane convenient cum lacte ſeminum melonum ex jure parvi pulli, aut vituli lactentis parata, item fercula ex lactuca, borragine, cicerbita, cicorio, cucurbita, & hujusmodi, pariter ex dicto jure parata, quibus addi poterit omphacium, vel limoniorum, aut aurantiorum ſuccus. Fercula item ex hordeo, vel ipſe hordei cremor cum lacte ſeminum melonum. Oriza quoque cum eodem lacte exhiberi poterit. Pyra, aut poma cineribus cocta conceduntur. Item perſica, quæ & ſaccharo condita non diſplicent, ſicuti neque ipſa cidonia. Si qualitatem adſtringentem in alimentis voluerimus, addentur ferculis terra ſigillata, vel bolus Arm. orient. Juſcula quoque quibus fercula parantur, alterari poterunt lactuca, borragine, acetoſa, cicerbita, portulaca, & hujusmodi, niſi tamen ex iſtis ſint fercula. Quod ſi timor affuerit alicujus malæ putredinis, ut contingit in pravis aëris conſtitutionibus, & ubi vulnerati pravæ victus rationi fuerint aſſueti, & omnino pravis ſuccis ſcatent, & aër putredinem minatur, non prætermittendum, quin cum cibariis ea permiſceantur, quæ non ſolùm manifeſta qualitate huic malignæ putredini occurrant, ut ſunt frigida, & ſicca, atque acetoſa præſertim; verùm etiam à tota ſubſtantia eam cohibeant, vireſque contra eandem muniant, idcircò ſucci citri, limonum, aurantiorum, & granatorum acidorum, aut medii ſaporis erunt maximè ex uſu. Oxalis, & cicerbita cibariis injectæ non parum conferent. Aqua ſcorzoneræ, vincetoxici, ſcabioſæ, acetoſæ, roſarum cum utilitate permiſcentur, immò ab re non erit, ſi ex iisdem aquis parentur juſcula. Permiſceri quoque poterit aqua florum citri, nimis enim calida eſt, quam ut ex ipſa conficiantur juſcula. Margaritæ præparatæ ſucco præſertim limonum, vel citri diſſolutæ non erunt prætermittendæ. Probantur, & co-

ralli

calli præparati, terra ſigillata, bolus Armena orientalis, cornu cervi præparatum, cornu Rhinocerotis. Inter compoſita verò laudatur Diamargariton frigidum in rotulis, manus Chriſti appellata, confectio cum margaritis, pulvis cordialis pro cibo abſque moſcho, & ambra paratus.

Tranſacto inflammationis periculo, primò ova ſorbilia concedentur; & fercula vitellis ovorum præparata, deinde etiam carnes pullorum, & lactentis vituli, quæ in levioribus vulneribus, & quæ omninò periculo carent, ſtatim à principio dari poſſunt, modò non in tanta quantitate exhibeantur, quæ vulnus excrementoſum reddere valeat. Dari etiam poterunt carnes parvarum avicularum montanarum, & poſtremò caro caponis, phaſianorum, perdicis, grandioris vituli, caſtrati, quæ & in levioribus vulneribus, non tamen ad ſaturitatem conceduntur. In mediocribus vulneribus media quadam via incedendum eſt, & quoniam in his inflammationis periculum citius tranſit, citius etiam ad uberiorem victum fiet tranſitus. *Quæ conveniant tranſacto inflammationis periculo.*

Potiones, & ipſæ non aliter ac cibi multipliciter obſunt, ſubſtantia videlicet, & qualitate, & quantitate, nam & ſunt potiones nutrientes, ut cerviſia, & quæ pravos gignunt ſuccos, ut quæ ex fructibus parantur, & quæ mala qualitate participant, idcircò eadem obſervanda ſunt in præſcribendo potu, quæ in inſtituenda alimonia diximus. Semper ergo cavendæ ſunt potiones, quæ pravum ſuccum generant, & quæ qualitatem habent contrariam ei, quod intendimus. In lethalibus etiam vulneribus cavenda eſt cerviſia, præcipuè quæ ex tritico paratur, ut nimis nutriens, & vinum, non ſolùm tanquam nutriens, verùm etiam tanquam humorum vehiculum ob ſui caliditatem, & partium tenuitatem, quandiu durat inflammationis periculum, idcircò aqua ſimplici utendum, unde Hippocrates lib. de ulc. n. 1. Modicus cibus, & aqua quam maximè omnibus vulneribus conducunt, & magis recentioribus, quàm vetuſtioribus, & ſi quod aliud ulcus inflammatum eſt, aut inflammationem minatur, & ſi periculum eſt corruptionis in ulceribus, ac inflammationis in articulis, & ubi convulſionem fieri periculum eſt, & vulneribus in ventre, maximè verò omnium fracturis in capite, ac femore, & ſi cui alii parti fractu- *De potionibus.*

fractura contigerit. Utilis etiam erit potus quiſpiam ea qualitate præditus, quæ ad inhibendam fluxionem valeat, unde aqua hordeacea erit ex uſu, & in qua coriandri ſemen bullierit, aqua ex ceraſis acidis parata: Vinum granatorum, & limonum ſuccus cum aqua ſimplici, & ſaccharo probatur. Debent autem hujusmodi ea proportione commiſceri, ex qua ſapor reſultet guſtui gratus. Etſi malignæ alicujus putredinis fuerit ſuſpicio, idem potus ex aqua, & vino granatorum, vel limonum ſucco, & ſaccharo paratus eſt maximè probandus. Aqua ex toto citro per deſtillationem extracta eſt optima. Similiter aqua ſimplex, in qua & cortex, & citri ſuccus, vel etiam ſemina, ex quibus tamen ſeminibus amara redditur potio, bullierit. Paratur optima potio ex aqua ſimplici, vel acetoſæ duplici vaſe extracta, ſucco citri, & ſaccharo, vel ex eadem aqua, & acido citri condito, vel ſyrupo de ſucco acido citri. Si addatur iſtis potionibus aqua ſcorzoneræ, & etiam citri florum, in pauca tamen quantitate, longè præſtantior evadet potio. Aqua ſcabioſæ, & cicerbitæ non eſt ſpernenda. Quòd ſi in dictis aquis aurum ignitum pluries extinguatur, id erit maximè opportunum, immò maximè probanda eſt ipſa aqua ſimplex extinctionis auri. Tranſacto inflammationis periculo vinum oligophorum concedi poterit, primò dilutum, deindè ſimplex, ſeu impermixtum. Vinum autem potens nunquam concederem, niſi repleto jam vulnere, aut quando parum abeſt à repletione: & ſemper in modica quantitate, ne vulnus evadat excrementoſum. In mediis vulneribus etiam à principio interdicendum eſt vinum, & quandiu durat periculum inflammationis. In gravioribus vulneribus, & mediis, quæ in corporibus ſunt excrementoſis, tranſacto inflammationis periculo, non erit ab re, ſi aliquo exſiccante alteretur potus, ut ſanguis ſiccior generetur, & ſuperflua humiditas abſumatur, puta equiſeto, conſolida, piloſella, pyrola, biſtorta, tormentilla, ſarſa, ligno lentiſcino, ligno viſci quercini, & hujuſmodi aliis, quæ proponuntur capite de alterantibus.

CAPUT

CAPUT LIX.

Quid agendum in simplici vulnere.

NOn esset profecto difficile, quicquid attinet ad curationem tam simplicis appellati, quam cavi vulneris, ex hactenus traditis colligere: sed quia tironibus fortasse videbitur sparsa nimis, ac minus distincta hæc tractatio, & in aliquibus prætereà deficere, cum nonnulla fuerint solummodo universaliter tradita, & significata, quæ magis particulatim erant tractanda, idcircò ne quid habeant, quod desiderent, tam de simplicibus, quàm de concavis vulneribus peculiarem sermonem, qui omnia distinctè complectatur, instituere operæ pretium duximus. A simplicibus igitur exordiamur. Hæc agglutinationem postulare diximus, quæ naturæ est opus; Medici vero partes esse, adducere labia, si dissideant, ad mutuum contactum, adductaque conservare, & præcavere, ne quid labiis vulneris intercidat, ac demum salubrem partis substantiam conservare, ac robori naturalis caloris consulere.

Non illico sistendus est sanguinis fluxus.

Oblato igitur simplici vulnere, si ab eo adhuc fluat sanguis, nec tamen adhuc tantum ejus fluxerit, quantum satis est ex se ad tollendum inflammationis, & putredinis periculum, non illico sistendus est, sed permittendum, ut quantum satis est, effluat, hoc enim facit ad salubrem partis substantiam conservandam, unde Hippocrates libro de ulceribus text. 3. Omni recenti vulneri, præterquam in ventre, conducit frequenter sanguinem defluere facere (hoc est, sæpe conducit, ut sanguinem defluere faciamus, seu permittamus, non enim probaret Hippocrates ut quotidie fluxus sanguinis à recenti vulnere procuraretur, quandoquidem hoc fluxionem advocaret) prout opportunum esse visum fuerit, & ab ipsis partibus ulcus complectentibus, & inferius: Sanguine enim fluente gracilescentia ficciora fiunt, ac minora, prohibet enim hoc maximè talia ulcera humectari; deinde vero in omnibus putredo sanguinis ex sanguinis transmutatione fit; suppresso deinde sanguine, sive sponte, sive congruis auxiliis, quæ suo loco tra-

 dentur,

dentur, ad auferenda peregrina corpora, quæ intra vulnus continentur, accedendum eſt: non ignorantes, quicquid extranei intra vulneris labia continetur, agglutinationem impedire, & propterea neceſſarium erit vulnus abſtergere vel linteo, vel molli lana, aut xilo ſpecillo obvoluto ab omnibus in ipſo contentis, ita ut nec pilus, nec grumus ſanguinis relinquatur: in quo quidem quorundam negligentiam, vel inſcitiam potiùs noto, qui vulnus conſuunt, fluente etiamnum ſanguine, ex quo fieri non poteſt, quin inter agglutinandas oras interponatur ſanguis à proprio vaſe effluxus, qui paulò poſt concreſcit, & tandem putreſcit, aut ſuppurat, & non ſolùm agglutinationem impedit verùm etiam inflammationis eſt cauſa. Expurgato diligenter vulnere, ad quod, ſi opus fuerit, vino ſubdulci, eoque calente uti licebit, operæ pretium erit, adducere labia ad mutuum contactum, &, ut adducta maneant, curare, diſtantia enim labia certum eſt, agglutinari non poſſe. Manibus quidem adducentur.

Quomodo adducantur, & adducta conſerventur labia vulneris.

Ut verò adducta conſerventur, excogitarunt Medici plura auxilia, videlicet deligationem convenientem, ſuturam, fibulas, & gluten. Decens deligatio ea eſt, quam Medici agglutinativam appellant, non quæ retentiva tantum eſt; cujus eſt ſolummodo appoſita medicamenta continere, nec quæ expulſiva dicitur, cujus ope contentum pus exprimitur, de quibus tribus deligationis ſortibus meminit Avicen. 4. tract. 1. cap. 3. & Galen. lib. de faſciis.

Deligatio agglutinativa quibus in vulneribus locum habeat.

Eorum autem tantummodo vulnerum labia adducta conſervare poteſt deligatio, quæ per longitudinem muſculorum ſunt inflicta, aut leviter per obliquum, quando enim tranſverſa ſunt, deligatio non ſufficit, ſed ut dicebat Galen. 3. Method. ultimo tum ſuturis, tum fibulis in his utendum eſt. Præterea & in ſolis artubus uti deligatione poſſumus.

Si igitur vulnus per longitudinem muſculorum fuerit inflictum, vel parum per obliquum in ipſis artubus, & deligatione ad agglutinanda labia uti quis velit, in primis idonea faſcia ſibi erit deligenda.

Faſcia idonea.

Idonea eſt illa faſcia, qua propoſitum finem conſequi tutò licet, & ex ea nihil incommodi provenit, & parari etiam poteſt ex ea deligatio, quæ aſpectu ſit jucunda. Elegantem enim deligationem laudat Hippocr. lib. de Chirurgi off. & Galen.

Galen. libr. de fasciis, quam quidem elegantiam in omnibus etiam artis operibus attendendam præcipiebat Hippocrates, ut ibidem refert Galen. ex. Hippocr. Nobis, dicebat. Hippocrat. gratum est admodum, ut in universa arte omnis diligentia adhibeatur. Ubicunque enim pulchrè possumus, pulchrè agendum est; quæ etiam politè, & expeditè fieri possunt, politè, & expeditè præstentur. Item ubi caveri dolor potest, admodum jucundè; atque omnia hujus generis præstantius facere debemus, quam alii, qui eandem artem exercent. Periti enim artifices ut interdum in his, quæ efficiuntur, videmus, imperitis, ac artis expertibus in his præstant, quod expedite, & eleganter operantur, quapropter subjungebat Galen. Medicus quo nobiliorem habet subjectam materiam, eò par est, ut præ omnibus aliis artificibus suum præstet artificium, unde sive secet, sive urat, sive deliget, & tandem quicquid aliud manu efficiat, non solùm utilitatem spectare debet, verùm etiam ut mundè, & eleganter operetur.

Amanada est igitur in deligatione elegantia, & pulchritudo, quam & exposcit, qui curatur, & laudant qui ad ægrotum accedunt licet ad morbi curationem nihil conducat, unde Gal. loco citato: Morbi namque qui aliquas corporis partes occupant, accommodatum deligationis modum requirunt, sæpissime verò, ut illa polite fiat, homo exposcit. Tenendum ergo, tum ægrotantis gratia, cum vero omnium, quos ipse ad se videndum admittit, quæ simplices, quæque variæ deligationes singulis partibus congruant. Ut ergo fascia adducta labia conservare valeat, firma, & valida sit, oportet, non fragilis, & lacera, unde Gal. 3. Meth. 4. Expedit autem, quod circumjicitur, neque molle nimium sit, & algæ ritu fragile, quo tuto contineat, sufficientemque habeat latitudinem, quam communiter statuunt quinque digitorum transversalium in femore, quatuor verò in crure, trium in brachio, & unius in digito; sed pro vulneris varietate varianda quoque est fasciæ latitudo, namque non vulnus tantùm comprehendere debet, verùm etiam aliquid sanæ partis, tam in superiori, quam in inferiori parte, ne vulnus tanquam zona vinciat, quod importunum esset, veluti docuit Hippocrates lib. de frac. tex. 8.

 comm,

comm. 3.& ſufficientem longitudinem, & toties membrum circumdet, quoties opus eſt ad adductionem labiorum conſervandam. Licebit etiam plures circumvolutiones facere, ſi tempus ſit hibernum, ut ab injuriis frigidi ambientis pars protegatur: quamvis hoc non ſit neceſſarium, cum alia via huic poſſimus occurrere, ſuprapoſitis videlicet linteis poſt deligationem. Tandem æqualis eſſe debet, & eminentiis carere, quæ inæqualem reddunt deligationem, nec aliqua extent, ut filamenta, ſeu fibræ, quæ faciant, ne expedite circumducatur. Unde Galen. lib. de faſciis: Careant quoque eminentiis, ita ut nullas oras habeant à lateribus, aut contextas, aut inverſas, conſutaſque, nihil etiam, ut fila, ſeu fibræ extent, ut enim, quæ eminent, inæqualem reddunt deligationem, ita quæ extant, impediunt, ne expedite circunducatur: ne autem detrimentum aliquod afferat faſcia, mollis eſſe debet, ne duritie premat, & levis, ne ſit nimis oneroſa, ſuturiſque inæqualibus carere, & aliis eminentiis, quibus poſſit comprimere, & dolorem afferre, ſordibuſque diligenter expurgata, ut ſi fortè aliquo liquore aſpergi debeat, id admittat, nec illi aliquam malam qualitatem impertiatur, nec alienum habeat calorem, ut, quod ex vulnere profluit, poſſit obſervari, id enim fieri commode non poſſet, ſi foret colorata. Denique ut ex faſcia fieri poſſit deligatio, quæ aſpectu ſit jucunda, munda eligi debet, ſordida enim turpitudinem affert, & tenuis ne convoluta nimium tumorem efficiat. Hinc Hippocrates lib. de his, quæ in med. off. com. 2. tex. 9. faſciæ mundæ, leves, molles, tenues. Et tex. 26. lintea vero paranda ſunt, per lintea faſcias intelligit, ut notat Galen. in com. ejus loci, levia, tenuia, mollia, lata, ſuturis carentia, & eminentiis, integra, hoc eſt firma, ut poſſit extenſiones ferre. Et Galen. libro de faſciis: Faſciæ parentur tenues, leves, mundæ, molles, latæ, ſine ſuturis, ſine eminentiis, validæ ita, ne abrumpantur, dum extenduntur, aut paulò amplius. Mundæ quidem eſſe debent, propterea quod præter id, quod ſordidæ turpitudinem habent, ſi aliquo aſpergantur liquore; id non admittunt, & id quo perfunduntur, malè afficiunt; neque alienum colorem habeant, alioquin enim ſi purpura, aut alia quapiam ſimili re infectæ ſint, eodem modo officient,

cient, aut coloris similitudine fluentis sanguinis opinionem afferent. Tenues sint, ne convolutæ tumorem nimium efficiant, molles verò, ne duritie premant, leves, ne suo pondere molestiam inferant. Careant etiam suturis inæqualibus, quibus comprimere possint, careant quoque eminentiis, ita ut nullas oras habeant à lateribus, aut contextas, aut inversas, consutasque, nihil etiam, ut fila, seu fibræ, extent, ut enim, quæ eminent, inæqualem reddunt deligationem, ita quæ extant, impediunt, ne expedite circunducantur.

Parata idonea fascia, adhibenda est deligatio, quæ oras adductas fideliter conservet, & proptereà ex duobus initiis circunducendum est vinculum, ut monebat Galen. 3. Meth. 4. & Celsus lib. 5. cap. 26. plicari enim debet fascia ex utroque capite ad medium usque ab opposita vulneris parte initium sumendo, primaque, & secunda revolutio supra vulneris labia reduci debet. In quo opere illud animadvertatur, ut fascia aliquid de sana parte utrinque comprehendat, sursum videlicet, & deorsum, ut enim dictum est cavere oportet, ne veluti zona vulnus cingat, præterquam quod enim non perfectè adduceret labia, dolorem etiam inferret, ac prætereà, ne deligatio evadat, aut nimis laxa, quia nihil efficeret, non enim adducta ad amussim labia contineret, aut nimis arcta, quia comprimeret, & esset dolorosa, atque fluxionem advocaret, hinc Gal. 3. Meth. 4. Tum verò ipsa circunductio nec ita laxa sit, ut nihil efficiat nec ita vehemens, ut premendo dolorem excitet. Et Celsus lib. 5. cap. 26. Si ab altera parte caro magis recessit, ab ea magis attrahetur, si æque ab utraque transversa comprehendere oras debet, aut si id vulneris ratio non patitur, media primùm injicienda est, ut tamen in utramque partem ducatur. Talis deligatio non solum adducta labia conservat, verùm etiam partem à fluxione defendit. Avic. 4. 4. tract. p. cap. 8. eadem deligandi ratione utitur, ex duobus enim initiis circunducit vinculum: verum in majoribus vulneribus, ut melius fiat, atque conservetur labiorum adductio, duos pulvillos triangulares excogitavit, & utrinque unum apponebat, ita ut amborum latera secundùm vulneris longitudinem disposita, quæ proinde vulneris longitudinem excedere oportet, se respi-

Qua ratione sit deligandum.

cerent, inde ex duobus initiis deligabat. Et quidem hoc non mediocre eſt auxilium ad id, quod intendimus. Et magis faciunt ad labiorum adductionem iſti triangulati plumaceoli, quam ſi quadrati eſſent, aut lintea multipliciter plicata apponerentur, nam faſcia ſuper triangulati plumaceoli angulum ducta impellit plumaceolum unà cum ſubjecto labio ad contrariam partem, &c, ut dicebat ibidem Avic. coarctat ſuper fiſſuram tantùm, quod non ſic fieret, ſi quadrati eſſent plumaceoli. Ratio autem ex Geometricis principiis petenda eſt. Vicem præterea tegumenti gerunt illi plumaceoli, parantur enim ex lana molli, vel cottone, aut tenui ſtupa tenui linteo excepta. Aliqui non parum ſe feciſſe exiſtimant, ſi hoſce pulvillos aliquo liquore madefecerint, puta vino, vel oxycrato, vel albo ovi, aut alio repellente, aut etiam agglutinante, vel aliquo ſimilis facultatis medicamento, quæ poſteà deſcribentur, illinierint.

Deligatio agglutinativa non omnino probanda.

Completa deligatione, capita faſciæ conſuantur, non autem mutuò nectantur, quod doloroſum eſſe ſolet. Attamen, ut verum fatear, deligationem agglutinandi gratia, neque penitus probo, neque etiam vitupero, quod enim tot viris ſapientibus placuit, atque etiamnum placet, ego ne minimus reprehendam? Sed quod me cogit, ne penitus illam probem, eſt, quod in peragendo opere non poſſumus cernere, quando labia rectè ſint compoſita, poſteaquam faſcia vulnus tegit; quo fit, ut ferè fortunæ decentem compoſitionem videamur committere; ac præterea quod medicamentum linteo exceptum apponere non poſſumus, præterquam quod enim magis tegeretur vulnus, periculum etiam eſſet, ne dum faſcia circumvoluitur, & magis conſtringuntur vulneris labia, aliquid lintei, quod corrugari eſt neceſſe, intra vulneris labia comprehendatur. Hinc eſt, quod mera deligatione nunquam utar, ſi vulnus ſit alicujus momenti, ſed aliquo tenaci medicamento curo, ut labia adducta conſerventur, donec faſcia effecerit, ut vulneris labia ab eo ſtatu, & ab ea adductione diſcedere nequeant: neque linteum accipio, quod totum vulnus comprehendat, ſed lintei portiones non magis latas, quam ſit adſtrictoria ligula, quibus tenax illud medicamentum illinio, & ex illis tot vulneri adhibeo, quot ſatis ſunt ad conſervanda adducta

Alia ratio adducendi & adducta labia conſervandi.

ducta labia. Satis autem esse solet, si unius digiti spatio distent. Semper autem primùm in medio ipsius vulneris colloco, curans, ut primò uni labiò adhæreat, quod versus alterum linteolo illo traho, simulque alterum labium versus illud, cui pharmacum adhæret, altera manu impello, & ad amussim adductum linteo pharmaco illito excipio, atque contineo. Si ita administretur agglutinativa deligatio, nunquam error continget. Congruum etiam medicamentum linteo, quod totum ulcus comprehendat, exceptum adhiberi poterit, facta videlicet adductione illa. Si hoc tenaci medicamento illiniantur Avicennæ plumaceoli, perbellè succedet adductio, soli enim absque ipsis labiis adduci deligatione non poterunt.

Et quoniam, ut dictum est, deligatio hæc neque in omnibus vulneribus, neque in omnibus partibus locum habet, idcircò ad alia auxilia non raro confugere oportebit, videlicet ad suturam, & alia superiùs proposita. Suturæ autem usus frequentissimus est, qua in omnibus vulneribus uti licet, modo ad manus sint. Verùm eam non uno modo facere consueverunt, aliqui enim acum dextra trajiciunt per utrumque vulneris labium, eo meliori modo, quo fieri possit, opposito vulneris labio indicem, & medium sinistræ manus apponentes, ne occurrenti acui, & dum unà cum filo post trajectionem ex adverso trahitur, labium cedat, & filum subsequens invertatur. Itaque faciunt, ut acus inter utrumque digitum permeet: aliquando utrumque labium pollice, & indice sinistræ manus apprehendunt, & dextra acum per utrumque trajiciunt, & denique sicuti occasio dat, labia acu trajecta perforant, posteaquam non potest dari generalis regula propter varietatem partium, & vulnerandi modum, ut quandoque hoc, quandoque illo modo trajicienda sint vulneris labia: quod enim quidam neoterici dicunt, alteri labio apponendam esse cannulam quandam in cujus fine adsit fenestella, qua illud comprimatur, ut faciliùs unico ictu utrumque vulneris labium possit trajici, nec insequatur, & invertatur labium, dum acus, & filum ex opposita parte trahitur, non esse adeo certum, & commodum compertum est, ut sunt proprii digiti, quando situs partis, & vulneris qualitas eos admittunt. Acu trajecta filum

Sutura.

filum ex utraque parte pendens nectunt duobus nodis, in primo quidem duabus circumvolutionibus factis, in secundo vero unica tantùm, & postea filum scindunt nonnihil remotum à nodo quamvis in modo curandi parum referat, sive remotum à nodo scindatur, sive quam proximum. Fortasse tamen procul à nodo scindunt, quia si quam proximum nodo id fiat, periculum subesse videtur, ne elapso fili capite dissolvatur nodus, & ita punctum evadat inutile. Si vulnus unico puncto non sit sufficienter adductum propter sui longitudinem, aliud punctum eodem prorsus modo injiciunt, & tot denique puncta faciunt, quot sufficiunt ad labiorum adductionem, siquidem huc spectant puncta, ut labia vulneris ubique se tangant.

In punctis autem injiciendis hæc observant, primum punctum in medio vulneris ponunt, deinde subsequenter alia puncta, donec totum vulnus sit consutum, tantum spatii inter unum, & alterum punctum relinquentes, quanta est unius digiti latitudo, plus tamen, vel minus juxta occasionis varietatem. Alii accipiunt tot acus, quot puncta injici debent, iisque in convenientibus locis utrumque labium trajiciunt, atque ita acus relinquentes filum obvoluunt ex una in alteram acus partem; ea prorsus ratione, qua faciunt quidam, dum volunt acus suas cum filo trajecto alicubi infixas conservare, eatenus obvolutiones adstringentes, quatenus sufficiant ad mutuum labiorum contactum. Alii acum trajiciunt per utrumque labium, filum vero usque ad sui extremum per oppositam partem non attrahunt, & rursus per idem foramen in parte, ex qua exiit acus eandem trajiciunt ad partem primò perforatam, atque sic duplicato filo in utraque parte consurgit ansula quædam, in qua ponunt frustula calami scriptorii, vel cannæ, vel fili crassi contorti, aut alterius rei, quæ tantundem valeat, & hisce frustulis, ac ansulis labia hinc inde constringunt, quantum fuerit opus. Fit autem hæc constrictio, quoniam imposito frustulo illo in prima ansula, quæ orta fuit ex duplicato filo in labio secundo loco perforato, aliud similiter frustulum inter utrumque filum ponitur in labio primo trajecto, trahiturque simul utrumque filum, quantum satis est ad adductionem labiorum, & super frustulum illud duplici nodo connectun-

nectuntur, ut adducta labia firmiter contineant. Verum hi duo postremi suendi modi pravi sunt, & fugiendi etiam, tanquam crudeles, nimis enim vulneratum torquent, & ob nimium dolorem, quem inferunt, fluxionem advocant. Primus vero modus mitior est, & proinde etiam maxime est ex usu.

Attamen, ut prospere cedat, oportet acus idoneas deligere, & filum aptum, & in ea vulneris parte opus aggredi, in qua maxime convenit, & eo progredi, quo magis sit necessarium, atque acum in perforando labia tam profundè demergere, quantum sit satis, & conveniens intervallum inter unum, & alterum punctum derelinquere; omnia ea dexteritate peragentes, ut operatio non tuta solùm, verum etiam cita, & jucunda dici mereatur, id enim propositum esse debet, ut sutura labia adducta, prout convenit, conservet, & quam minimum detrimenti ex ea proveniat. *Suendi ratio.*

Acus igitur longa sit, lævis, perpolitaque cuspide triangulari, cauda aptè excavata, ut pertranseundo filum in ea cavitate recondi possit, aliter transitum acus immoraturum. Sit autem vel recta, vel obtorta, prout natura loci consuendi requirit, sunt enim quædam partes, in quibus sutura fieri nequit, commodè saltem, acubus rectis, sed obtortæ, vel angulares requiruntur, ut sunt quædam palpebrarum partes, nasi, & hujusmodi. Hoc tamen sufficienter praxis docebit. *Acus qualis.*

Filum debet esse firmum, æquale, & læve, ex lino potius, quam serico, hoc enim carnem magis scindit, quam linum, non nimis obtortum, ne carnem laceret. Atque non nimis crassum, sed nec valde tenue, ne carnem disrumpat, vel scindantur puncta. Sit tamen vulneribus proportionatum, quia in aliquibus crassius, in aliquibus tenuius requiritur; absurdum enim esset uti in sutura palpebrarum filo, quo utimur in vulneribus cruris, & eo quo utimur in vulneribus magnis, & profundis, uti in parvis, & cutaneis vulneribus. Ut etiam levius evadat, & facilius pertranseat, & minus carnem possit scindere, illiniri debet tragacantha aqua rosarum, vel vino dissoluta, aut, quod etiam magis ex usu est, & magis in promptu, ex cera alba, quo pariter fiet, ut minus putrescat. *Filum quale*

Ut puncta injicienda. Porro in punctis efficiendis acus quam citissimè trajiciatur, & si fieri possit, unico ictu utrumque labium, quod tamen si qua de causa fieri nequeat, ut ob cutis duritiem quandoque contingit, & propter suturæ profunditatem, vel partis conformationem, unum post aliud trajiciatur, ita tamen, ut puncta è directo respondeant, aliter figura partis vitiaretur, unde non erit inutile si atramento scriptorio signentur loca, quibus injicienda sunt puncta. Ut plurimum autem oportet initium sumere à medio vulneris, secundum autem, & tertium punctum inter primum illud, & vulneris fines, in medio videlicet injicientur & si pluribus opus fuerit; sic deinceps procedendum est, factis semper in medio spatio punctis, donec totum vulnus sit consutum. Aliquando tamen, & in multiformi vulnere potissimum, aliter facere cogimur. Est vero generalis quædam regula, ut ab ea parte opus aggrediamur, ex qua speramus, magis æqualem evasuram futuram, & unionem. Spatium, quod intercedere debet, communiter statuitur inter unum, & alterum punctum, est unius digiti latitudo. Aliquando tamen crebriora injicimus, sic requirente vulneris qualitate, omnino enim quantum unum ab altero puncto distare debeat, manifestè declarabit scopus, cujus assequendi gratia punctis utimur; qui est exquisita labiorum adductio; neque enim probaverim, quod oræ vulneris ex toto non conjungantur, quamvis Celsus id præcipiat, ut si quid intus humoris concreverit possit emanare, nam quando simplex fuerit vulnus, ut supponitur, non est, quod nos ad hoc cogat. Et si ex toto non conjungantur, quomodo dicentur adducta ad mutuum contactum, aut quomodo agglutinari rectè poterunt? Et quo paucioribus punctis absolvi res poterit, eo melius vulnerato fuerit consultum, nam quo sæpius acum injicimus eò majores dolores concitamus, & majorem occasionem inflammationis præbemus. Unde Celsus lib. 5. cap. 26. Utraque, de sutura, & fibulis loquebatur, neque nimis rara, neque nimis crebra injicienda est. Si nimis rara est, non continet, si nimis crebra est, vehementer afficit, quia quò sæpius acus corpus transivit, quoque plura loca injectum vinculum mordet, eo majores inflammationes oriuntur, magisque æstate. Quod vero ad profunditatem attinet,

attinet, non æqua profunditas in omnibus vulneribus eſt ſervanda, ſiquidem in aliquibus ſat eſt cutem comprehendere, ut in iis, quæ paucam habent cavitatem. At in iis, quæ magis ſunt cava & quæ ſunt cum muſculorum ſectione, præſertim ſi per tranſverſum ſecti ſint muſculi, ut dicebat Gal. 3. de comp. med. per gen. cap. 2. neceſſarium eſt quoque ſubjectam carnem, & muſculum comprehendere, ſi uſque ad penitiores partes fieri debeat adductio, unde Gal. 3. Meth. ult. At quæ profunda multum, longaque ſunt, ut duplici ratione ſunt magna, ſic duplicem quoque indicationem præſtant, namque, & quæ valenter ſiccent, poſtulant, & ut à duobus initiis deliges, & ut altis ſuturis conſuas. & 3. de comp. med. per gen. cap. 2. muſculos conſuit. Semper tamen cavere oportet, ne venæ, aut arteriæ, vel nervi, ac tendines acu trajiciantur.

Tendines non ſunt conſuendi.

Sed quid, ſi carnoſa pars muſculi tendine dilatato contegatur? In hoc caſu denudandus eſt muſculus à tendine, & ſola carnoſa pars ſine tendine unà cum cute eſt conſuenda. Si enim cutem ſolam ſueremus, diſſectæ muſculi partes inglutinatæ permanerent, ipſe verò tendo abſque periculo convulſionis acu trajici non poteſt. Hoc faciebat Galen. ut videre eſt 3. de comp. med. per gen. cap. 2. ubi hæc refert: Contemplatus enim gladiatorem quendam ex his, quos equites nominant, tranſverſam diviſionem in priore, ac inferiore femoris parte habentem, eamque ſatis altam, tum vulneris labium intuitus ſurſum alterum revulſum, infra alteram, quaſi ad patellam detractum, non dubitavi, diſtantes invicem muſculorum partes ſuturis contrahere, curatione illa, quæ Græce à latitudine κατὰ πλατὸς dicitur, quod quidem eſt, quando vulnera citra ſuturam, & omnem labiorum adductionem curantur, neglecta. Itaque veritus tendines ipſos conſuere, denudatis priùs illis, ſic altioribus ſuturis uſus ſum, haud ignarus, carnoſam ipſam muſculorum partem periculo vacare, tendines verò non item. Quamquam hoc nullum ex præceptoribus facientem viderim. Quidam ſiquidem ipſorum in hujuſmodi vulneribus ſolas cutis oras conſuebant. Nonnulli in carnoſis partibus muſculos ipſos ſuere auſi, id in ſuperficie ipſorum facere ſolebant. Proinde ſi quando vulnus inſigniter altum non ſe-

cundùm membri longitudinem contingeret, ſummam quidem muſculi partem glutinabant, reliquam verò totam inglutinatam relinquebant. Cavere tamen oportet, ne à ſubjectis muſculis membranas, quæ tutò conſui poſſunt, tendinum vice avellamus, quod aliquos facere conſueviſſe ob Anatomes imperitiam ibidem refert Galen. ignorabant enim tendines craſſiores, & duriores eſſe membranis ipſis, præterquam in muſculis abdominis, ſi rectos excipias, in quibus membranæ modo dilatantur. Hic eſt communis, & jam univerſaliter receptus ſuendi modus; quamvis neque in omnibus partibus adminiſtretur, nam alia ſuendi via utimur in inteſtinis, alia in abdomine, de quibus ſuo loco.

Suendum eſt vulnus, quando eſt recens.

Illud non omittam, quod illo ſuendi modo, quo pelles conſui ſolent, & quem in vulneribus inteſtinorum ſervamus, perbellè adducuntur labia carnoſarum partium, & adducta conſervantur. Sed duplicatum eſſe debet filum, & quando primùm punctum injicitur, inter utriuſque fili extrema ponendum eſt fruſtulum calami ſcriptorii, vel alterius rei ſimilis, quod prohibeat, ne fili extrema, quamvis nodo juncta, foramen ab ictu in carne relictum ingrediantur, quod puncta omnia relaxaret; neque tutus eſt ſimplex ille nodus, poſſet enim erodendo dictum acus foramen amplius reddere, ſicque ſibi viam parare. Idem faciendum eſt in ultimo puncto, ne retrocedat filum.

Fibulæ.

Illud etiam obſervare oportet in omni ſutura, ut fiat, quando adhuc vulnus eſt recens, & ſanguinolentum, & labia non evaſere rigida, niſi enim trahenti facilè obſequantur, ſutura ipſis vim inferret, & dolores acciderent, & forſan caro à filo abrumperetur, hinc Celſus loco toties citato: Neutra etiam, de ſutura, & fibulis loquebatur, vim ullam deſiderant: Sed eatenus utilis eſt, qua cutis ducentem, quaſi ſua ſponte ſubſequitur.

Tertium inſtrumentum, quo vulneris labia ad mutuum contactum adducuntur, & adducta conſervantur, ſunt fibulæ apud antiquos uſitatæ, verum noſtris temporibus adeo exoleverunt, ut nec ex qua materia ab antiquis conficerentur, neque qua figura eſſent præditæ, aut quomodo injicerentur, apud omnes conveniat, & ſi nonnulli contendant, non aliud eſſe fibulas, quam ſuturam primo loco poſitam. Quod ſi eſſet, jam de illis actum

eſſet.

eſſet. Sed eas miſſas faciamus, & ad gluten recentiorum deveniamus, quod forſan locùm fibularum ſubiit.

Gluten.

Conſtat autem ex portionibus quibusdam lintei variis figuris præditis pro partium vulneratarum differentia, quibus adaptantur filamenta quædam, veluti anſulæ, ita ut ex ea lintei parte, quæ vulneris labium debet reſpicere, ſupereminеant ipſius lintei extremitatem, quanta eſt circiter unius digiti longitudo, & quantum ſatis ſit, ut cum opponendis poſſint necti. Tot autem ſint filamenta, quot puncta eſſent injicienda, vel etiam plura inter ſe diſtantia, ſicuti puncta, vel paulo minus: linteo hoc modo parato, ſuper inducitur gluten aliquod, ac poſteà uni ex vulneris labiis adaptatur, & idem fit in labio oppoſito, ita ut filamenta ſupereminentia, labiaque vulneris ſpectantia ſibi è directo correſpondeant. Ubi gluten poſteà fuerit exſiccatum, quod in his, quibus communiter utuntur Chirurgi, ſolet accidere ſex circiter horarum ſpatio, filamenta, ſeu anſulæ è directo reſpondentes ſimul nectuntur. Itaque ut opus eſt, vulnus conſtringitur: quamvis non deſint: qui linteorum portiones abſque filamentis apponunt, ſed poſteà oppoſitas portiones acu conſuunt. Parant autem gluten illud ex ſang. draconis, thure, ſarcocolla, myrrha, maſtiche, ſumptis ex his æquis portionibus, atque in tenuiſſimum pollinem redactis, deinde tanta quantitas albuminis ovi ſubagitati additur, quanta ſatis eſt, ut glutinis formam acquirat, conſiſtentiam videlicet mellis, omniaque perfectè commiſcentur, & agitantur, ut exacta fiat unio. Aliud etiam parant ex maſtiche, ſarcocolla, & bolo Arm. atque ovi albumine. Aliud ex tragacantha, maſtiche, thure, & farina volatili, atque ovi albumine. Aliqui aliud conficiunt ex tenuiſſima calce viva, & albumine ovi diligenter ſubacto ad mellis conſiſtentiam redactis. Quod quidem fere ſtatim exſiccatur, aliis ſum expertus, hoc vero nunquam, timens eroſionem à calce. Cautius incedunt, qui patinam ſtanneam albumine ovi ſubacto inficiunt, & pariter linteum poſtea aliquantulum calcis vivæ inſpergunt ſuper patinam, ita ut vix appareat, tandemque ipſum linteum ſuper patinam opponunt, & non nihil comprimunt, ut calx linteo hæreat, & ſic paratum parti applicant.

Gluten præstantissimũ, quod statim usurpari potest.

Ego quidem tanti facio gluten propterea quod absque dolore operam suam præstat, quod non contingit de suturis, ut ferè semper eo utar, nisi vulnus sit valde profundum, in iis partibus, in quibus potest in usum revocari, & ob id suturam adhibeo tantummodo in palpebrarum vulneribus, nasi, linguæ, labiorum, intestinorum, aurium, & hujusmodi, quia his non potest adaptari gluten. Non eo tamen modo illud conficio, quo plerique consueverunt, cum enim non statim exsiccetur, sed requirat temporis spatium gluten illud, & ante exsiccationem nullius sit usus, interim, nisi vulnus adduceretur, labia contraherentur, ac rigida evaderent, & minime obsequentia, ex quo deinde recta unio perfici non posset, cujus rei gratia & qui glutine dicto utuntur, prius suturam adhibent, postea gluten. Ego autem volens dolorem ex acus trajectione devitare, nec non & vestigia, quæ injecta puncta solent relinquere, aliud gluten paro, quod statim potest unum vulneris labium alteri copulare, non secus ac sutura, & continere usque ad perfectam sanationem, hac ratione, Accipio

Lachrymæ abietinæ unc. iiij.
Liquoris ulmini unc. iij.
Resinæ pini
Picis Græcæ.
Navalis
Ceræ ana unc. j.
Ammoniaci
Masticbes
Tacahamachæ ana drach. x.
Sarcocollæ
Lachrymæ sang. draconis
Gummi juniperini
Hederæ ana drach. vj.
Radic. Consolidæ majoris
Aristolochiæ rotundæ
Bistortæ
Tormentillæ ana drach. ij.


Atque gummi, quæ liquari patiuntur, cum portione lachrymæ abie-

abietinæ ad ignem liquefacio, deinde reliqua, quæ ad ignem liquari solent, s. a. liquefacta addo, & optimè, ac diligenter commisceo, ut in unum corpus, quasi homeomerum redigantur, omnia deinde in alembicum conjicio, atque balneo calentis aquæ subjicio, ac liquorem omnem extraho, cumque existimo fœces omni humore aqueo esse exutas, ipsis adhuc præ calore liquefactis pulveres reliquos addo, ac diligenter commisceo, rursusque destillationi subjicio, donec omnis humor prorsus exierit, dein balneum, detracto igne, refrigerari permitto, accidit enim, ut materia, quæ in vase continetur, in solidum veluti ceratum coëat, quod est valdè tenax, neque calore humani corporis funditur, ut muneris sui obliviscatur.

Ubi ergo occasio postulat, extendo partem hujus cerati super corium tenue, vel, quod etiam melius est, quia non cedit, super linteum ex tela nova, tenui tamen, deinde forcipibus ex linteo hoc tot partes longitudine digitum æquantes, vel longiores etiam, si partis natura ferat, atque latitudine, ligulam adstricturam, quot puncta requiri in vulnere videntur, vel non multò pauciora, primumque in vulneris medio colloco, ita tamen, ut uni tantum vulneris parti, seu lateri secundùm dimidiam sui partem adhæreat, ex opposito vero eodem prosus modo aliam ex his partibus appono, non tamen omninò è directo, sed à latere, ita ut post vulneris adductionem secundum latera possint se tangere, si id vellemus, deinde, portiones lintei, quæ nulli parti adhærent, apprehendo, unam quidem dextra, alteram verò sinistra, & utramque versus oppositum labium contraho, donec labia ad mutuum contactum adducantur, posteà utranque portionem, quam manibus continebam, opposito labio, cui non hærebat, applico, primo tamen unam, dein alteram, & ut rectè adhæreant omni ex parte curiosè studeo. Una quidem ex ipsis satis esset, verum quia in altera retrahenda, quæ valdè adhæret, inverti posset labium, satius est, ut relinquatur, nisi quis oleo portionem illam lintei perungens, quæ parti adhæret, facilem redderet detractionem; sed tunc etiam nimis protrahitur operatio; & propterea utramque relinquere consuevi; illam tamen, cui præcipuum munus incumbit, longiorem, & in extremis latio-

rem

rem paro, ut fortius figuram æmulatur, alrem, ut vix ad lata ex-



contineat, unde hanc teram vero breviotrema illius, cui præsertim labiorum adductio committitur, perveniat. Alias dein ex his portionibus subsequenter pono, ut inter unam, & alteram sit illud fere intervallum, quod inter puncta solet intercedere. Hoc modo prosequor, donec totum vulnus consutum fuerit circa suturam.

Hic modus, ubi natura partis administrationem ejus permittit, & vulnus non sit nimis profundum, reliquos valdè antecellit, tum quia citra dolorem perficitur, & pulchram cicatricem relinquit, tum etiam quia ad detectionem non cogit. Qui sutura utuntur plerique inspergunt facta sutura super vulneris labia quosdam pulveres, quos agglutinantes appellant, paratos ex mastiche, bolo Arm. sang. draconis, sarcocolla, & hujusmodi, posteaque albumen ovi subagitatum, ac stupis exceptum applicant, modo per se, modo cum rosaceo, aut aliquod aliud medicamentum, quod vim habeat refrigerandi, & repellendi, atque, & interdum agglutinandi, alii siquidem posca utuntur, alii vino nigro austero, alii succo sempervivi, lactucæ, plantaginis, linteolis duplicatis exceptis, ac demum superpositis petiis, deligant fascia, ut medicamenta retineantur, quod etiam medicamenti genus alii quotidie permutant, alii saltem in quarta, alii postero die, ut quando vulnera sunt in facie, nam in hoc casu, ut quàm primùm possint puncta auferre, ne turpem reddant cicatricem, postero die gluten apponunt, ablato priori medicamento, & aliud medicamentum admovent, iisdem viribus præditum, alii nimirum ceratum ex cerussa accipientes, alii diapalma vocatum, alii barbarum, alii ex minio, quod etiam nonnulli quotidie immutant usque ad perfectam sanationem. Quocunque autem modo adducatur vulnus, non solùm ante opus diligenter omne peregrinum corpusculum est avellendum, verùm etiam in opere ipso accuratè observandum, ne quid tale, ut pili portio, olei gutta, inter labia vulneris cadat, opus enim nostrum irritum faceret.

CAPUT

CAPUT LX.

Quid agendum in simplici Vulnere post labiorum adductionem.

JActis fundamentis insistendo, postquam adducta fuerint labia ad mutuum contactum suturæ, vel glutinis ope, conveniens tegumentum apponendum est. Verùm, quoniam medicamenta, licet non sint necessaria, conferunt tamen, si ea ad manus fuerint, aliquod ex eis deligere oportebit, quæ agglutinantia appellantur, plurium tamen dierum. Satis quidem esset, si quod apponitur medicamentum vim tantùm haberet naturalem calorem fovendi, & roborandi, aut corpulentia, aut qualitate, attamen eligibilius erit, si præterquam quod nihil agglutinationi obsit, ut faciunt humida, & oleosa, aliquam etiam qualitatem habuerit, quæ eam adjuvet, quod facit facultas exsiccans, & adstringens, nam ejus ope defluens sanguis pro vulneratæ partis nutritione, ab omni superflua humiditate expoliatur, & ad quandam visciditatem reducitur, ut facili negotio fiat gluten, & ipsa quoque labia magis connectantur. Tale quidem medicamentum fuerit resina terebinthina, & abietina, potissimùm densior; & si fluidiores fuerint, ut diutiùs perdurent, addita aliqua ceræ portione ad majorem compagem ignis beneficio sunt redigendæ. Tacahamacha Inda optima est, debet autem oleo aliquo simili facultate prædito dissolvi, ut extendi super linteum possit, tale quidem oleum est de momordica, hypericinum commune officinarum, sed longè præstantius est, quod nos paramus, & ejus componendi rationem posteriùs afferemus. Pro qualibet autem uncia Tacahamachæ sufficient drachmæ duæ olei. Liquor in folliculis ulmi conclusus non ultimas partes obtinet, & maximè si densior factus fuerit. Balsamum Peruvianum est præstantissimum. Debet autem & ipsum dissolvi, quando nimis fuerit exsiccatum. Ex iis quoque & aliis insuper, quæ similem habuerint facultatem, verùm consistentia ipsis non est talis, qualem convenire diximus, parari poterunt innumera medicamenta decentis consistentiæ, hujusmodi sunt symphitum, ophioglossum, lachryma sanguinis

Medicamentum conveniens.

guinis draconis, ſarcocolla; equiſeti folia, ſanicula, piloſella, trinitas, aloes, braſſica ſilveſtris, equiſetum, hypericum, plantago, polygonum utrumque verbaſcum, verbena, utrumque centaurium, biſtortæ, & tormentillæ radices, & alia, quæ ſuperius etiam fuere propoſita, non ſolùm ſolida, verùm etiam liquida. Ceratum, quo ad adducendum labia utimur, optimum eſt. Ceratum palmeum, & de ceruſſa, & quod Barbarum appellatur, ac de minio, & tutia non reprobarem. Utor fæliciſſimo cum ſucceſſu tali unguento,

℞. Lachrymæ abietinæ unc. j.
Tacahamachæ unc. ſ.
Balſami artificialis drach. ij.
Sarcocollæ.
Lachrymæ ſang. draconis.
Radic. Conſolidæ majoris ana drach. ſ.
Olei noſtri hyperici vel communis drach. iij.
Ceræ q. ſ.

Diſſolvatur cera cum abietina lachryma, & oleo hyperici, & cum aliqualiter denſari cœperint, addantur paulatim balſamum virgula ferrea, aut argentea ſemper commiſcendo, & tandem pulveres. Servetur poſtea unguentum in vaſe vitreo, aut ſimili ſtricti orificii, quod diligenter claudatur, & ita ſerventur ſemper unguenta, in quorum compoſitionem ingreditur oleum aliquod ſtillatitium: immo ſi talia medicamenta, quando ignis requiritur, parentur in vaſe vitreo ſtricti orificii, quod inſuper orificium diligenter claudatur, & calentis aquæ balneo, longe erit melius, promptè enim talium medicamentorum pars tenuior, ſi, ut in cæteris compoſitio fiat, in auras diſſolvitur.

Aliud.

℞. Terebinthinæ claræ
Lachrymæ abietinæ ana drach. vj.
Balſami Peruviani
Artificialis
Tacahamachæ ana drach. iij.
Ceræ q. ſ. M. & f. unguent. ſ. a.

Aliud.

Aliud.

℞. *Radic. conſolidæ majoris recent. lib. ſ.*

Diligenter expurgentur ab omni ſuperfluo, & in fruſtula inciſæ: bul. in aqua communi ad perfectam coctionem, inde contundantur, & ſetaceo trajiciantur, & rurſus bul. cum melle deſpumato ad juſtam cocturam, tunc adde

Radic. Tormentillæ
Biſtortæ ana drach. ij.
Centaureæ minoris
Sarcocollæ
Aloes ana drach. j.
Miſce, pulver. ſubtil. pulveris.

Aliud.

℞. *Terebinthinæ*
Lachrymæ abietinæ ana unc. ſ.
Olei hyperici drach. iij,
Sarcocollæ drach. j.
Lachrymæ ſang. draconis.
Centaureæ minoris ana drach. ſ.
Ceræ q. ſ.
Miſce pulver. pulveriz. & f. unguentum.

Nec tamen citra delectum uſurpari debent omnia medicamenta, cum mollioribus corporibus, & partibus, & exiguis vulneribus, ut ſuperius etiam dictum eſt, imbecilliora conveniant, contrariis vero fortiora. Linteum igitur, ſuper quod extenſum fuerit aliquod ex ſupradictis medicamentis convenientis longitudinis, & latitudinis, poſt adductionem labiorum apponendum eſt, ſic ut & vulnus tegat, & aliquid etiam de circumſtantibus partibus apprehendat. Deinde ſuperponendi ſunt plumaceoli, ſeu tot lintea duplicata; aut triplicata, quot ſatis ſint ad fovendum naturalem partis calorem, & ad arcendas injurias ambientis, inde deligatio retentiva adhibenda eſt. Si tamen vulnus eſſet valdè profundum, antequam lintea pro tegumento apponantur, valdè erit ex uſu, ſi deligatio agglutinativa dicta, quando pars eam admittit, adhibeatur; aut ſi vulnus fuerit per tranſverſum, ea, quam Hippocrates libro de fract. & de iis, quæ in Med. Off.

Rectus uſus medicamenti.

Aſciam appellat, ſuturam enim non leviter adjuvabit. Et Galenus pluribus auxiliis ad labia adducenda quandoque utebatur, unde 3. Meth. 4. dicebat: Quippe aut vinculo ex duobus initiis circundato, aut ſutura, aut fibulis impoſitis, aut horum quibuſdam, aut omnibus. quæ diducta ſunt in idem adduces. Dicitur autem aſcia deligatio, ut Galenus tradit libro de his, quæ in med. off. com. 2. tex. 2. quæ à rotunda parum declinat. Eſt autem rotunda, quæ in orbem affectam partem undequaque ſine ulla declinatione complectitur. Dicta eſt autem aſcia per translationem ab inſtrumento quodam fabrili aſcia appellato, quod parte ſui extrema, qua cæduntur ligna incurvatum habet quaſi ſupercilium quoddam crepidini ſimile, unde dicebat: Nam ubi jubet, pannos eſſe ad imitationem aſciæ membro circumjiciendos, à rotunda revolutione diſcernit eam, quæ declinando fabrilem aſciam imitatur, neque enim ita vult injectionem pannorum plurimum obliquam eſſe adminiſtrandam, ut à rotunda, quam appellant, ſit nimium diſtans, ſed ut parum ad eam declinet, nempe quatenus ſit ſatis ad oſſa fracta firmiſſime continenda.

Situs conveniens. Facta deligatione, niſi faſcia, quantum ſatis eſt, vulnus tegat, pulvilli, ant lintea ſupra faſciam deligentur; inde in convenienti ſitu pars eſt collocanda, otiumque ac quies imperanda; & ſi muſculi ſint læſi, videndum eſt præcipue, ne ullus ex ipſis laboret. Conveniens ſitus eſt, qui doloris eſt expers, & in quo vulneris orificium ſaltem ſecundùm aliquam ſui partem deorſum vergit. Quamvis in ſimplicibus vulneribus ſæpius id parum referat, ut in quibus pauca excrementa generantur, præſertim ſi noſtro modo curentur. Si tamen timeretur cupioſior proventus, conveniens effluxus eſſet parandus.

Repellentium, & intercipientium uſus. Ad inhibendam fluxionem proximis partibus, & iis præſertim, quæ vaſorum radicem reſpiciunt, apponenda ſunt repellentia, & intercipientia quoque ſi urgeat fluxionis periculum, in itinere ſunt applicanda, quæ videlicet anguſtiores reddant vias, per quas fluenti humori tranſeundum eſt. In cujus gratiam utuntur aliqui unguento quodam defenſivo appellato, quod quidem conſtat ex bolo Arm. ſanguine draconis, oleo roſato, & hujuſmodi. Verùm hoc medicamentum paulo poſt exſiccatur, & hæret parti ut, non

non nisi vi possit detrahi, qua ratione & quia poros cutis obstruens calorem non naturalem in parte, cui hæret, accendit, potiusque occasionem fluxioni præbet, quam eam prohibeat, idcirco solis repellentibus uti consuevi, & ex iis, quæ fluxibilia sunt, eligere, cujusmodi est posca, succus sempervivi, lactucæ, plantaginis, solani, omphacium, vinum granatorum, vinum austerum, & hujusmodi, quibus lintea tenuia duplicata, aut triplicata madefacio, & dictis partibus appono, æstate quidem frigida, hieme vero tepida, & ut crebro immutentur, jubeo. donec periculum fluxionis transierit. In leviori periculo fluxionis oleo rosaceo sum contentus, quo modicè calente proximas partes inungo, eas enim consolari, & roborare potest, sed & modicè digerit, atque repellit, magis autem repellit, quod ex olivis immaturis conficitur, omphacinum dictum. Vulnus ipsum usque ad perfectam agglutinationem servandum est tectum, nisi pro labiorum adductione adhibita fuerit sutura, & ob id ante perfectam agglutinationem solvere vulnus oporteat, ut scindantur puncta, filaque removeantur, potissimum autem id observamus in facie, quoniam puncta diutius retenta cicatricem turpem reddere consueverunt. Sed de faciei vulneribus suo loco. In aliis partibus, in quibus non ita habetur decoris ratio, non prius scindenda sunt puncta, quam adeo agglutinatio processerit, ut labia citra opem suturæ adducta permaneant; nisi suturæ loco gluten sit apponendum, hoc enim in casu citius removeri potest sutura.

Hac curandi via patet, nullum eorum prætermitti, quæ necessaria esse ad simplicium vulnerum agglutinationem superius dicebamus, quantùm tamen ad partis procurationem attinet, nam peregrina omnia corpuscula auferuntur, adducuntur labia ad mutuum contactum, & adducta conservantur, præcavetur etiam, ne quid labiis vulneris intercidat, & ne in posterum etiam aliquid extranei inter vulneris labia colligatur, ut ichor, & purulenta materia, prohibemus, tum medicamentis excrementitiam humiditatem absumentes, tum ut à naturali calore roborato digeratur, procurantes. Et parantes etiam idoneum effluxum, si is fuerit necessarius. Conservatur quoque salubris substantia partis, cum excrementa omnia absumantur. Sed & hac altera ratione, quia fluxio

fluxio inhibetur, quantum est ex parte vulnerata, qua maximè insalubris redditur. Robori tandem naturalis caloris consulimus, vulnus tectum seruantes, & medicamenta naturali calori amica deligentes. De totius procuratione jam actum est in superioribus.

CAPUT LXI.

De curatione vulneris cavi.

SI vulnus fuerit cavum, ita ut necessarium sit, carnem generari pro ejus sanatione, sive quia à telo, & vulnerante causa fuerit dempta, aut lacerata, & contusa, & omninò taliter affecta, ut necessarium sit, eam in pus verti; sive quia labia adeo dissideant, vel rigida sint, & contracta, aut vulnus adeo sit profundum, ut nulla arte secundùm omnem ejus partem adduci possit, & ideò requiratur carnis generatio, qua cavitas repleatur, & ita restituatur pristina unitas, quando res transigi non potest citra puris, & excrementorum generationem, quicunque curationem vulnerum profitentur, in hæc præsertim oculos dirigunt; non omnes tamen eodem modo illis consulunt, alii siquidem siccis medicamentis curant, ut quam paucissimum pus generetur, Galenum forsan imitati, qui passim exsiccanda esse vulnera contendit. Alii verò prius suppurantibus utuntur, ut puris generationem adjuvent, deindè abstergentibus, postea sarcoticis, ut eorum ope cavitas repleatur, & tandem epuloticis, ut cicatrix inducatur, qua via constat, processisse ipsum Celsum, ut videre est lib. 6. cap. 26. & Avicennam, & reliquos principaliores Arabes. Utraque tamen secta Hippocratem ducem sequi videtur, qui utrunque modum insinuavit lib. de ulc. ubi dicebat: At vero recentia vulnera omnia tum ipsa, tum circumsitæ partes, minimè inflammationem incurrent, si quis quam citissimè suppuret, & pus ab osculo ulceris non interceptum supprimatur: aut si quis avertat, ut omninò non suppurentur, præterquam necessario, eoque paucissimo pure, & sicca sint quam maxime ex medicamento non molesto. Qui igitur exsiccationem sibi proponunt, aqua ardenti, & aqua Balsami, & arte facto Balsamo, & aliis oleis ex multiplici

plici infusione rerum exsiccantium paratis, cujusmodi est, quod oleum Hispanæ vulgo appellatur, & oleum quoddam magistrale, hyperici potissimùm uti consuevere quibus linamenta illiniunt, aut imbuunt, & per vulnus disponunt, aut si vulnus est profundius, portionem horum medicamentorum calentem in cavitatem instillant, & orificio ejusdem existente angusto, turundam simili medicamento imbutam imponunt. Extrinsecus etiam linteum apponunt eodem medicamento refertum. Tandem pulvillos, seu lintea superponunt, ac deligant, & hoc modo quotidie non semel tantùm, sed & bis vulnus tractant. Alterius autem sectæ, ut suppurationem promoveant, primis diebus utuntur digestivo appellato medicamento, quod aliqui conficiunt ex terebinthina lota, & ovi vitello, additur etiam quandoque farina tritici, & pulvis ex thure, quandoque etiam parum croci, aliqui vero ex oleo rosaceo, vel communi cera, & terebinthina, ad ignem mistis in æquali portione, quamvis hiemali tempore minus ceræ imponatur, ut in cæteris unguentis, deinde aqua communi, vel rosacea, vel malvarum ipsum lavant, donec albescat. Sunt tamen, & aliqui, qui ad pus movendum solo rosaceo oleo utuntur, quo imbuta linamenta vulneri admovent.

Si verò contusio insignis carni sit adjuncta, ut contingit in vulneribus bellico fulmine illatis, aliqui digestivum parant ex oleo communi, vel rosaceo, vel terrestrium vermium, terebinthinaque lota aqua communi, vel malvarum, necnon & recenti butyro, vel axungia porcina, ut majorem vim habeat suppurandi.

In usu igitur suppurantium persistunt, quotidie semel, & bis ea permutantes, donec vulnus dolore vacet, & omnis rubor circum vulnus existens evanuerit, ipsaque labia mollia æqualiter evaserint, inde ne vulnus sordidum fiat ad abstergentia transeunt, variam seligentes materiam, prout varia est cujusque praxis, unde alii unguento quodam mundificativo appellato utuntur, alii terebinthina, & melle rosaceo, alii melle crudo, alii ex farina hordei, melle crudo, vel rosaceo, succo apii, & croco detergens parant. Alii videntes modicam abstersionem satis esse in vulneribus digestivo appellato permiscent farinam hordei, & mel rosaceum,

ceum, vel modicum unguenti Isidis, aut Apostolorum, aut Damasceni, & eodem prorsus modo his utuntur, quo digestivis appellatis. Mundificato vulnere, quod cognoscunt ex rubedine vulneris sine dolore, & ex eo, quod vulnus medio modo se habet inter humidum, & siccum, ut cavitas carne repleatur, ad sarcotica deveniunt, & alii unguentum resinum appellatum usurpant, alii unguentum de betonica. Alii pulveribus utuntur, quos conficiunt ex aloë, & thure, iride, aristolochia rotunda, myrrha, thucia, panace, sarcocolla, & hujusmodi aliis, quibus indoctiores & ea, quæ adstringunt, permiscent, cujusmodi est mastix, sanguis draconis, bolus Armen. terra Lemnia, terra sigillata, & hujusmodi, ignorantes, vulnus cavum adstringi non debere, ut superiùs ex Galeno etiam ostensum est. Scio viros barbam canam habentes hac via etiamnum incedere, quàm optimum esset, si dediscerent. Sed turpiùs malum modum dediscere existimant, quam in errore persistere, ac mori. Ipsi viderint. Apud Bononienses maxime ex usu est pulvis ex æquis portionibus myrrhæ, thuris, & aloës paratus. Quamvis sint non pauci, qui non omnes uno calceamento calceant, sed siccioribus corporibus, & partibus humidiora, & humidioribus, ac majoribus vulneribus sicciora adhibent medicamenta, contrariis contraria juxta illud Gal. 3. Meth. 4. In ulceribus quanto natura corporis est humidior, tanto medicamentis minus siccantibus eget, quanto siccior, quæ vehementius siccent. & 3. Meth. 7. Pars, quæ siccius temperamentum obtintt, quæ magis siccant, postulat, quæ humidius, minus siccantia. Et 3. Meth. ult. Magna ulcera iis, quæ valentius ficcant, curabis, parva verò, vel quæ moderatè siccent, sanabunt, & 4. Method. 1. Si humidior, quam pro naturali habitu, caro fuerit, medicamentorum facultas ad siccius est transferenda. Sicuti etiam observat, dum totum est humidiori temperamento præditum, & pars sicciori, utrisque enim à mediocri æqualiter labentibus, tale adhibent medicamentum, quale si vulnus esset in medii temperamenti parte corporis mediocriter temperati, tantum vero ad alterum extremum vergens, quantum particula totius temperamentum excedit, modo excedat, juxta illud Galen. 3. Meth. 8. Si laborantis temperamentum humidius est, ipsa vero ægra particula

cula ex eorum ſit numero, quæ ſicciores ſunt, ſiquidem quanto ægri temperamentum juſto eſt humidius, tanto particula juſto eſt ſiccior, tale pharmacum adhibendum, quale ſi ulcus in medii temperamenti particula corporis mediocriter temperati conſiſteret: Sin ſiccior debito particula magis fuerit, quam corporis temperamentum juſto eſt humidius, utique in tantum intendi ſiccitatem medicamenti conveniet, quantum particulæ temperamentum totius temperamentum excedit. Ubi autem pùlveribus utuntur, eos vulneri inſpergunt, ſuperponuntque fila evulſa ſæpius ſicca ad imbibendam profluentem humiditatem, quandoque etiam aliquod ex dictis unguentis, vel ceratum quodpiam exſiccans, ut eſt diapalma appellatum, ceratum barbarum, de betonica, & hujusmodi. Quotidie autem, & ſemel, & bis medicamenta imponunt. Repleta vulneris cavitate, ad reparandam cutem vel potius ad aliquid parandum, quod vicem cutis gerat, poſtquam vera cutis, ut membrum ſpermaticum, regenerari non poteſt iis, quæ carnem vehementius ſiccant, & adſtringunt, utuntur, quo caro exſiccata, & indurata reddatur, in modum cutis juxta Galeni dogma 3. Meth. 5. & fiat cicatrix. Ad hoc igitur uſurpant varia cerata, potiſſimum autem diapalma, barbarum, de ceruſſa, de minio, & de thutia, hæc ſuper linteum extendentes; Plerumque tamen ipſi ſupponunt filamenta evulſa, arida, ut imbibant, ſi quid emanaverit humiditatis, pariterque quotidie vulnus curant.

At juxta methodum noſtram curationem inſtituentes, cum natura ea ſit, quæ carnem generat, pus movet, & prætereà eadem pellat excrementa, quæ naturæ opus impediunt, illud tantum neceſſarium eſt, propoſitum habeatur, tueri, adjuvare, & roborare naturalem calorem, cujus in omni curandi modo parum admodum habetur ratio, & excrementis idoneum effluxum parare, quantum ſcilicet ad procurationem vulneris attinet. Nam & hic procul dubio ſi ſuperfluat ſanguinis fluxus, ſupprimendus eſt, ſi peregrina corpora intra vulnus contineantur, ſunt extrahenda, & ne fiat fluxio ad vulneratam partem, prohibendum. *Quid agendum in vulnere cavo.*

Oblato igitur vulnere cavo, illud in primis conſiderandum eſt, an adſit conveniens effluxus pro expurgatione excrementorum, quæ neceſſario generabuntur; niſi adſit, parare eum oporte- *Subfluxiones conſiderandæ.*

 bit,

bit, aut ejusdem, aut contrarii loci divisione, aut turundæ impositione, quemadmodum superius traditum est. Vulnere tali existente, ut commodè effluere possit materia, videndum est, an cavitas ipsius reddi possit minor, absque quod tollatur idoneus effluxus, hoc enim non contemnendum caloris naturalis auxilium foret, quia minus aëris vulnus admitteret, & juxta se posita labia proprium calorem sibi invicem communicant, & minori carnis portione vulnus repletur, ut omittam, quod ad cicatricis decorem. Reddi autem minor cavitas potest, quando causa vulnerans non omnino substantiam carnis detraxit, aut consumpsit, sed secans, aut lacerans solummodo effecit, ut labia nimis à se invicem distarent. In hujusmodi casu adducenda sunt labia, non tamen ad mutuum contactum, & exactè, sed aliquod interstitium inter ipsa relinquendum, ut excrementa commodè possint expurgari. Fiet autem talis adductio, vel sutura, vel glutine: plerique vulnus exactè consuunt, præter quam in decliviori parte, in qua turundam imponunt, ut foramen ad puris expurgationem hians detineant. Sed turundarum usus reprobatus est, & in nostra methodo nullum habet locum, propterea satis est interstitium relinquere. De cætero tractandum est vulnus, ut reliqua cava.

Quomodo tractandum vulnus. Sic autem tractari omnia debent, ut voti nostri compotes simus; Accipiendum est spatula medicamentum quodpiam, si ad manus sit, quod vim habeat calorem naturalem consolandi, mordacitatis verò considerandæ sit expers, mediocris consistentiæ, & cujus vires non statim evanescant, sed aliquanto tempore perdurent, aut simplex, aut compositum, & ad ignem candelæ moderatè calefaciendum, sic ut liquari incipiat, & labiis vulneris illiniendum, ita ut portio medicamenti per oras vulneris ad cavitatem possit descendere. Si fuerit liquidius, calefactum instillari poterit, dein, si vulnus ex gravioribus fuerit, fila avulsa eodem medicamento imbuta extrinsecus ori vulneris superponenda; inde linteo, super quod extensum fuerit medicamentum aliquod ejusdem facultatis, sed plurium dierum, tegendum est vulnus. Poterit & sine filamentis illis negotium transigi, præcipuè si vulnus ex gravioribus non fuerit. Proximas partes litu olei rosacei æstate

quidem

quidem tepidi, hieme vero calidi consolari oportebit, immo super linteum, quod unguentum excepit, ponendum aliud tenue linteum dicto rosaceo madidum, quod adjacentes partes comprehendat. Tandem addendi pulvilli, vel tot lintea, quot ad complementum tegumenti sufficiant, cavendo, ut aliàs dictum est, ne evadat nimis grave, & onerosum, & fascia idonea ad retentionem deligandum. Convenienti quoque situ, & figuratione partis curandum, ut pars citra dolorem jaceat, & orificium vulneris saltem secundum partem, per quam speremus posse materiam effluere, deorsum spectet. In eo vero, quod sequitur, tempore ad inhibendam fluxionem proximis partibus adhibenda sunt repellentia, sæpeque immutanda, ut superiori capite dictum est. Communis ferè usus est, ut primo apparatu stupis utantur albumine ovi subacto madefactis, quibus cavitatem replent, & alias postea extrinsecus apponunt, tum, ut sanguinem supprimant, tum ut etiam repellant, & fluxionem arceant, immo dicto albumini addunt aliqui, si fluxus sanguinis præsertim urgeat, pulveres constringentes, bolum Armen. terram sigillatam, sang. draconis, thus, aloen, omnia tenuissimè pulverizata accipientes, & tenuiores etiam leporis pilos minutim incisos, vel combustos, & hujusmodi. At de ratione supprimendi sanguinem suo loco pertractabitur. Certum est ejus fluxum, quando superfluit, ad se curam trahere.

Si tamen primo apparatu compesci sanguis possit absque medicamenti impositione, quod sæpe consuevi ego facere sola digitorum impositione, quando majora vasa, & præcipuè arteriæ non sunt dissectæ, aut laceræ, id longe melius erit, quam stupatas illas adhibere, nam exsiccatæ contrahunt vulneratas partes, & infestæ, ac dolorificæ evadunt; Et si pars, cui apponuntur, pilos habuerit, non possunt postea, nisi vi & multo tempore detrahi, & quod ad fluxionem attinet, ei melius consulitur, si dolorifico hoc medicamento prætermisso congruo tegumento, ut naturali calori amico, vulnus] foveatur, & proximis partibus repellentia adhibeantur, ut dictum est in vulnere simplici, quamdiu inflammationis periculum perdurat. Hinc ego rarissimè ad stupatas confugio, & tunc tantum, quando alio meliori modo suppri- *Stuppata improbantur.*

 mere

mere ſanguinem non licet, aut amplum reddendum eſt vulnus in poſterum diem propter aliquam chirurgicam operationem, quamvis & hoc fieri poſſit ope ſpongiæ in fruſta inciſæ, & compreſſæ, & linamentorum aliis medicamentis illitorum.

Medicamenta idonea.

Medicamentum, quod ſpatula accipiendum diximus, & vulneris labiis illiniendum, ac inſtillandum, & filamentis etiam excipiendum, erit veluti terebinthina, & abietina lachryma, valdè enim probandum eſt, ut medicamentum ſit ex iis, quæ aliquam vim adſtringendi habeant, qua naturalis caloris difflationem magis prohibeant.

Adſtringentia an locum habeant in cavis vulneribus.

Nec me carpat quiſpiam in verbis, quod modo adſtringens medicamentum in cavis vulneribus comprobem, cum tamen non multo ante eos reprehenderim, qui vulnera cava adſtringentibus curant, hi etenim medicamentis curationem faciunt, iiſdemque excrementorum curam committunt, unde & volunt, ut perpetuo vulnera medicamentorum qualitate afficiantur; at nos nihil aliud, quam naturæ robur intendimus, & à principio, quando adhuc non generatur effatu digna excrementorum copia, omni ratione caloris naturalis robori conſulimus, idcircò & ſemel medicamentum imponimus, quod adſtrictione ſua naturalis caloris diſſolutionem poteſt prohibere, & nihil officere, affigendo magis ſordes ipſi vulneri, nam paulò poſt vis adſtrictiora vulnus deſerit. Poterit etiam dictis reſinis permiſceri oleum hyperici commune, & aqua ardens, præſertim ſi vulnus fuerit profundius, ſic enim facilius ad vulneris fundum ſubſtantia medicamenti perveniet, & hæc ipſa robur adauget naturalis caloris. Quando vulnus fuerit ex majoribus, non erit improbandum, ſi terebinthina, & abietina lachryma, & hyperici oleum, nec non & aqua ardens æquis portionibus miſceantur, & quando profundum eſt, ac ſtricti orificii, maxime probandum, ſi liquetur aqua ardenti, nam tenuius factum ad penitiores partes facilius permeat. Si cui etiam placuerit aliquod ex dictis medicamentis addere, quæ à totius ſubſtantiæ proprietate calorem naturalem adjuvant ad propria munia obeunda, non reluctabor, non enim probo, ut ſola uſurpentur; nam aut nimis fluida ſunt, & ſubſtantiam habent, quæ citò evaporat, aut nimis denſam, ut illiniri non poſſint, igitur

aliorum

aliorum miſcella ad convenientem conſiſtentiam ſunt reducenda: ſi tamen quidpiam eſſet, quod juſtam haberet conſiſtentiam; abſque aliorum miſcella in uſum poſſet revocari. Addetur ergo, neque cum exigua utilitate terebinthinæ, & abietinæ lachrymæ oleum noſtrum de hyperico, balſamum arte confectum, aqua balſami, balſamum Perunianum, oleum Hiſpanæ vulgo appellatum, quod aliqui connumerant inter ea, quæ mira quadam facultate vulneribus conferunt (ejus autem deſcriptionem, ſicuti & artificialis balſami, & olei noſtri de hyperico in fine hujus capitis, ſubjungam) exempli gratia.

℞. *Terebinthinæ claræ.*
Lachrymæ abietinæ ana unc. j.
Balſami artificialis unc. s. Miſce.

Aliud.

℞. *Terebinthinæ claræ unc. j.*
Balſami Peruniani.
Olei noſtri de hyperico, vel Hiſpanæ ana drac. ij. m.

Aliud.

℞. *Terebinthinæ.*
Lachrymæ abietinæ.
Olei noſtri de hyperico.
Aquæ balſami ana p. æq.

Si Terebinthina, & abietina lachryma non ſatis ſint ad prohibendam evaporationem artificialis balſami, aliquid ceræ addendum erit, quæ magis liget ſubſtantiam illius. Si vulnus fuerit cum inſigni carnis contuſione, & attritione, ita ut neceſſarium ſit, contuſam carnem ſuppurare, non erit improbandus uſus alicujus medicamenti, quod carnem contuſam facilem ad ſuppurationem reddat, moderatè videlicet calefacientis, & humectantis, cujuſmodi eſt id, quod digeſtivum lotum appellatur, tetrapharmacum, unguentem baſilicon, & id quod ex oleo roſaceo, terebinthina aqua malvarum lota, butyro recenti, & cera paratur, ipſum quoque butyrum recens accipi poterit. Poterit etiam parari unguentum ex oleo amygd. dul. terebinthina lota, & cera, & aliud ex oleo ſem. lin. & violaceo in quibus decocti fuerint catuli recens nati, & terreſtres lumbrici, terebinthina lota, & cera;

Attamen in hoc non multum laboro, sed in eo maximè ut calorem naturalem foveam, & ejus dissolutionem prohibeam, ideoque in caloris naturalis penuria, vel imbecillitate appono emplastrum circumsitis partibus, quod vires naturalis caloris adaugeat, & una excrementa generanda respiciat, vim habens illa absumendi: Parare autem consuevi hoc emplastrum ex farina hordeacea, & fabacea, pulvere florum camæmeli, rosarum rubearum, dictamni Cretici, anethi, rosaceo, & hypericino oleo, terebinthina, & posca, vel vino rubro adstringente. Interdum accipio summitates hyperici cum floribus, & folliculis, si haberi possint, plantaginis, & verbasci, ac verbenæ folia, & ex posca, vel vino rubro adstringente decocta contundo, iisdemque myrrham, thus, mastichem, terebinthinam, camæmeli flores, rosaceum lumbricatum, & hypericinum oleum addo, & cum farina fabarum, & hordei emplastrum conficio. Ex tacahamacha pariter, gummi Elemi, thure, myrrha, rosis siccis, terebinthina, rosaceo, omphacino, & hypericino oleo conficitur emplastrum non parum efficax, modo absit inflammatio.

Tempus solutionis. Solutio, ut alias dixi, usque ad id tempus est differenda, in quo rationi consonum est, vulnus esse carne repletum, vel parum ab hoc statu abesse, nisi cui placuerit in intermedio tempore quando vulnus ex iis fuerit, quæ tardius replentur carne, vulnus inspicere aliqua de illis causis, quas ibidem attuli si ad vulneris repletionem differatur solutio, & quidem comperiatur vulnus carne repletum, vel parum abesse, quin cavitas sit repleta, facta diligenti abstersione adjacentium partium, & vulneris exsiccatione ex mundo linteo, aliquod imponendum erit epuloticum, cujusmodi sunt cerata superius dicta, videlicet diapalma, de cerussa, barbarum, de thutia, & hujusmodi. Et quamvis non omninò repletum carne sit vulnus nihil refert, nihil potest obesse epuloticum, quia paulo post repletur vulnus. Et superponantur tot lintea, quot ad caloris tutelam sufficiant, ac deligatio retentiva adhibeatur deinceps. Quod ad solutionem attinet, observandum, quod capite, de inducenda cicatrice dictum est. Plerumque tamen una, aut ad summum secunda medicatione cicatrix contrahitur. Communiter fit solutio de tertio, vel de quarto

in

in quartum diem. Si intermedio tempore fiat ſolutio, eodem prorſus modo curandum erit vulnus, ac primo apparatu factum eſt, niſi quod medicamentum quod primo fuit appoſitum, ſuppurans fuerit, tale enim ſecunda vice apponi non debet.

Abſterſis igitur circumſitis vulneris partibus, & ipſo vulnere exſiccato, parum enim invenies, quod abſtergi poſtulet, & ſi quid eſſet, eodem linteo, quo vulnus exſiccas, non minus abſterges, labiis vulneris acceptum ſpatula medicamentum, terebinthina videlicet, aut abietina lachryma, vel unguentum noſtrum, aut ſimile aliud igni candelæ calefactum, labiis vulneris adhibeatur, ut prima vice peractum fuit, filamentaque, ſi placuerit, eodem medicamento illita, modicè prius calefacto, extrinſecus ori vulneris apponantur, & deſuper linteum, ſuper quod extenſum fuerit aliquod exſiccans ex ſuperius poſitis videlicet aut terebinthina, aut lachryma abietina denſior facta, vel à tempore, vel ceræ permixtione, vel unguentum noſtrum, linteaque apponantur, aut plumaceoli, veluti etiam primo apparatu fuit factum, ad fovendum, & roborandum, ac defendendum. Et eadem prorſus deligatio adhibeatur, & in eodem ſitu, ac figuratione pars contineatur. Inde ad repletionis tempus differatur ſolutio.

Oleum noſtrum de Hyperico ſic paratur.

℞. *Summitatum hyperici m. iij.*
Ophioglоſſæ.
Conſolidæ majoris.
Equiſeti ana m. j.
Vini albi odori & potentis lib. v.

Contundantur herbæ, & dicto vino macerentur per 24. horas, ore vaſis diligenter obturato, deinde facta expreſſione, & colatura, par quantitas dictarum herbarum aſſumatur, & fiat altera infuſio, & ſic tertiò. Facta poſtrema expreſſione, & col. adde vino dicto.

Olei antiqui lib. vj.
Summitatum hyperici m. ij.
Ophiogloſſæ.
Herbæ Reginæ vulgo appellatæ.

Con-

Consolidæ majoris.
Cardui benedicti ana m. j.
Radic. Dictamni albi.
Consolidæ majoris.
Aristolochiæ rotundæ.
Tormentillæ.
Bistortæ ana unc. s.
Grani tinctorii drach. ij.
Sem. hyperici drach. vj. Misce.

Contusis contundendis & macerentur balneo calentis aquæ, ore vasis obturato per 24. horas, postea bul. duplici vase ad vini consumptionem, deinde facta expressione, & colatura, sacculo prius vino albo optimo madefacto, adde olei.

Summitatum hyperici m. ij.
Ophioglossæ.
Herbæ Reginæ.
Consolidæ.
Matrissilvæ ana m. j. Misce.

Contusis herbis, & f. inf. in balneo calentis aquæ per 24. horas, postea facta expressione, & col. ut prius, par quantitas dictarum herbarum accipiatur, & fiat altera infusio, ut supra, & sic tertiò, factaque postrema expressione, & col. adde olei.

Florum hyperici m. ij.
Betonicæ.
Pimpinellæ.
Pilosellæ.
Trinitatis ana m. j.

Ex his fiant tres infusiones, ut supra dictum est, facta postrema expressione, & col. adde olei.

Florum hyperici m. ij.
Valerianæ.
Equiseti.
Cardui benedicti.
Stellariæ ana m. j.

Ex his f. tres inf. ut supra facta ultima expressione, & col. adde olei.

Folli-

Folliculorum hyperici m. ij.
Consolidæ.
Centaureæ minoris.
Viticellæ.
Vincepervincæ ana m. j.

Et f. pariter tres inf. hac ratione, tribus diebus vas, quod vitreum esse debet, Soli exponatur, quarto verò die balneo calentis aquæ detineatur, ut ibidem 24. horas moretur, postea f. expressio, & col. & oleo rursus addantur.

Folliculorum hyperici, qui jam ad maturitatem pervenerint m. iij.
Centaureæ minoris m. j.
Fructus balsaminæ n. vj. f. ut supra.

Facta postrema expressione, & col. oleo adde.

Dictamni Cretici unc. j.
Radic. dictamni albi.
Consolidæ majoris.
Aristolochiæ rotundæ.
Iridis Illiricæ.
Arundinum.
Bistortæ.
Tormentillæ ana drach. vj.
Grani tinctorii drach. ij.

Et f. tres inf. hac ratione, exponatur vas Soli sex dies, postea per duos dies in balneo calentis aquæ detineatur, inde fiat expressio, & col. & sic fiat ter. Tandem facta postrema expressione, & col. adde oleo.

Olei stillaticii de terebinthina.
De lachryma abietina ana lib. s.
Sem. hyperici unc. j.
Radic. Consolidæ.
Aristolochiæ.
Dictamni albi.
Tormentillæ.
Bistortæ.
Iridis ana unc. ij.
Grani tinctorii unc. j.

Myrrhæ.
Thuris ana unc. i. s.
Sarcocollæ.
Gummi juniperini.
Aloes ana unc. s.
Poma balſaminæ n. xii.
Balſami Peruniani unc. ij.

Poma incidantur, cætera contundantur, & cum oleo miſceantur, & vas toto tempore hiberno detineatur ſub fimo equino, inde extrahatur, & facta expreſſione, atque col. uſui ſervetur in vaſe vitreo, cujus oſculum diligenter obturetur.

Balſami artificioſi deſcriptio.

Balſamum præſtantiſſimum arte ſic paratur.

℞. *Gummi Elemi unc. iv.*
Balſami Peruniani unc. iij.
Tacahamachæ.
Carannæ.
Liquoris in veſiculis ulmi contenti ana unc. ij.
Olei laurini.
Styracis liquidæ.
Myrrhæ ana unc. i. s.
Thuris albi unc. j.
Gummi hederæ unc. j.
Laſeris odorati.
Ladani.
Styracis calamitæ pinguis.
Ammoniaci.
Bdellii.
Opopanacis.
Galbani.
Sarcocollæ ana drach. vi.
Radic. Ariſtoloch. rotund.
Imperatoriæ.
Angelicæ.
Dictamni albi.
Conſolidæ.
Acori.

Iridis.

Iridis.
Tormentillæ.
Bistortæ.
Sem. hyperici.
Citri.
Cortic citri ana unc. s.
Cinnamomi.
Cariophillorum.
Nucum myristicarum.
Macis ana unc. j.
Mastichis.
Aloes.
Lachrymæ sang. draconis.
Grani tinctorii ana unc. s.
Dictamni Cretici unc. j.
Olei glandis unguentariæ unc. iij.
Baccarum juniperi unc. i. s.
Ex cera unc. ij.
Ex resina pinea unc. i. s.
Terebinthinæ claræ.
Abietinæ lachrymæ ana lib. i. s.
Aquæ ardentis electissimæ lib. vi.

Misce diligenter liquatis gummis, quæ liquari possunt, seorsum, cum portione terebinthinæ, cæteris verò aridioribus grosso modo pulverizatis, conjiciantúrque omnia in retortam, quæ balneo calentis aquæ per tres dies detineatur, inde luto obducatur, & in æstuario maneat, donec exsiccatum sit lutum, postea igne cineritio s. a. extrahatur oleum, exibit autem primò aqua, quæ seorsum debet asservari, & est ea quam balsami aquam dicunt, deinde exibit oleum, quod balsamum dicitur. Verum quidem est, quod cum aqua illa exit etiam olei portio, quod oleum balsami dici solet, sicuti & cum balsamo ipso portio aquæ nigricantis, quæ mater balsami dicitur, & unumquodque horum seorsum debet servari.

Oleum, quod Hispanæ appellant, sic paratur. *Oleum Hispanæ.*

℞. *Olei olivarum antiqui lib. iij.*

De terebinthina lib. ij.
Thuris lib. j.
Valerianæ.
Hyperici.
Cardui benedicti ana lib. s.
Myrrhæ electæ unc j.
Cocci infectorii unc. iv.
Resinæ pini recent. unc. iij.
Vini Malvatici lib. iij.

Valeriana colligatur mense Majo, & abjiciantur radices. Hypericon colligatur mense Iulio cum floribus & seminibus. Herbæ igitur manibus confractæ, & in mortario aliquantulum contusæ infundantur in vino malvatico posito in olla terrea vitro obducta, cujus tertia pars omnibus in ea positis vacua permaneat, per quatuor horas, deindè superpone coccum infectorium aliquantulum fractum in mortario unà cum oleo, absque cooperimento bul. lento igne, donec vinum ferè evanuerit, idque animadvertatur, ne herbæ cumburantur. Auferatur postea ab igne, & dum adhuc valde calet, sacculo vino malvatico madefacto exprimantur herbæ. Et vas, in quo facta fuit ebullitio, diligenter abstergatur, neque enim penitus exsiccetur, nam debet relinqui vinum, quod adhæret, & in eodem rursus ponatur oleum, & ad ignem ponatur cum oleo de terebinthina, vel abietina lachryma. Et quando propè erit, ut bulliat, addetur myrrha tenuissimè pulverizata, & in mortario cum aliquantulo ex oleo in vase existente ad ignem liquefacta. Addatur pariter resina eodem oleo liquefacta, prius tamen percolari linteo debet, & thus tenuissimè pulverizatum, omniaque curiosè misceantur, & ubi parumper bul. auferatur vas ab igne, & ubi refrixerit, servetur in vase vitreo, nulla facta colatura, & Soli per 15. aut 20. dies exponatur. Valere dicunt ad vulnera apostemata, bubones, strumas, hæmorrhoides, combusta, contusiones, & casus ab alto. Venenis etiam conferre dicunt, si per os assumatur, & peste correptis, pariter doloribus tam calidis, quàm frigidis, & ipsi erysipelati, facta ex eo inunctione.

Unguentum nostrum sic paratur.

℞. Olei

℞. *Olei nostri ex hyperico lib. j.* *Unguenti*
Ceræ aqua balsami lotæ unc. iij. *nostri de-*
Liquefiant simul in vase vitreo stricti orificii, liquefactis adde. *scriptio.*
Balsami nostri lib. j.
Gummi Elemi unc. iij.
Balsami Peruniani.
Tacahamachæ Indæ.
Carannæ ana unc. ij.
quæ quidem gummi dissolvi seorsim debent oleo nostro de hyperico.
Ammoniaci.
Galbani, eodem prorsus modo dissolutorum ana unc. ß.
Myrrhæ.
Thuris.
Aloes.
Gummi hederæ ana drach. ij.
Radic. Consolidæ.
Aristolochiæ.
Bistortæ.
Tormentillæ ana drach. i. s.
Dictamni Cretici drach. iij.
Scordii drach. ij.
Humanæ pinguedinis præparata unc. ij.
Pinguedinis cygni unc. j.
Misce, & f. unguentum.

Asserveturque in vase vitreo, vel argenteo stricti orificii, quod etiam diligenter obturari debet, ne expiret. Ex iisdem confici ceratum posset, addendo resinam pini, & ceræ quantitatem augendo. Qui artem callet componendi medicamenta, alia conficit non minus utilia. Victus ratio in hisce vulneribus conveniens ex universali tractatione petenda est. Alia pariter fluxionis præsidia ab eadem requirantur. In gravioribus verò locum habent, & vulnerariæ potiones, quæque ingesta robur adjiciunt nativo calori, de quibus in superioribus actum est.

CAPUT LXII.

Quid agendum, quando vulneratus offertur secundùm communem modum curatus.

DIffert valdè, si quis à principio vulnerati curationem susceperit, vel postquam pluribus diebus ab alio secundùm communem illum modum fuerit curatus. A principio siquidem licet calor naturalis imbecillior sit factus ob alias adductas causas, nihilominus imbecillitas est longè minor, quàm si jam pluribus diebus communi via quis curando incesserit: ob crebram enim solutionem, atque detectionem magis difflatur caloris substantia, & magis ejusdem qualitas hebetatur, ac frangitur. Prærereà imbecillitas, quæ à principio occasione vulneris oritur, non adeò obest, ut quæ in progressu ob frequentem detectionem accidit, nondum enim in effatu digna quantitate pus, & alia excrementa generantur, & ex consequenti neque adeo valida expultrice est opus ad eorum propulsionem. Interea autem ob tegumentum, & vim medicameuti calor naturalis partis fit robustior, atque ad propriam naturam redit, regenerata ejus substantia, & prohibita ejus difflatione à tegumento, atque qualitate vegetiori reddita. Quapropter cum tempus est, ut pus copiosiùs generari incipiat, jam tantùm roboris acquisivit calor naturalis, ut munia sibi debita, & quæ ad vulnerum sanationem requiruntur, probè possit exequi. At quando pluribus diebus vulnus fuerit ambienti expositum, ex tegumento non potest tam citò ad propriam naturam redire. Et quoniam longè imbecillior est, quam à principio, idcircò excrementa in majori quantitate generantur, (non enim de eo vulnere intelligo, quod ad sanitatem properat) quæ tamen per se non potest promptè expellere, eoque minus, cum jam prave fuerit assuetus sub manuali illa abstersione ex hac enim quotidiana abstersione naturali calori accidit, quod & intestinis, dum clysteribus in dies excretio fæcum provocatur, quippe natura ipsorum segnior redditur ad expulsionem fæcum, sed quod adjuvet expectat. Qua de re ubi vulneratus offertur ab aliis curatus communi

muni modo, diligenter natura vulneris, & vulnerati conſideranda erit, & quamdiu fuerit curatus illo modo, namque ſi unà tantùm, vel altera, vel etiam tertia, aut quarta die eo fuerit curatus modo non aliter inſtituenda erit curatio, ac ſi primo die nobis oblatum fuiſſet vulnus, nondum enim pars ad eam imbecillitatem valuit devenire, quam ſuperius diximus.

Quòd ſi ſtatim à principio fuerimus advocati, & ab aliquo invenerimus impoſitas fuiſſe, ſtupatas, ſeu turundas ex ſtupis, ut fieri conſuevit, albumine ovorum imbutas, niſi vulnus hujuſmodi fuerit, quod aliquam operationem manualem requirat, aut malè impoſitæ fuerint turundæ, quæ ob id partem diſtendunt, doloreſque concitant, & omninò totum vulneris orificium claudunt, ut contingit in vulneribus punctim inflictis, non erit, quod eas removeamus, & refrigeremus vulnus, ſed uſque ad puris generationem ſunt relinquendæ, puta uſque ad quartam; cum enim toto hoc tempore non generentur copioſa excrementa, neque eorum ſuppreſſionem à turundis vereri debemus, paucum enim eſt, quod ſupprimi poteſt, ſed ex refrigeratione vulneris non parva conſequi poteſt noxa. *Quid agendum, ſi invenerimus ſtupatas impoſitas.*

Si verò diutius fuerit curatum vulnus communi illo modo, ob idque hebes, & piger evaſerit calor naturalis partis, ſiquidem vulnus fuerit patens, neque multum profundum, ut ſunt ea, quæ cæſim infliguntur, neque pars ſit detecta, aut etiam læſa, quæ ab aliqua puris copia diutiùs in eo contenta poſſit noxam contrahere, ut contingeret, ſi vulnus eſſet in capite cum detectione, aut læſione membranæ, vel etiam cerebri, & orificium poſſit deorſum reſpicere, ſtatim quoque noſtro hoc modo curari poterit, nam paulatim ob tegumentum validior redditur calor, & quod à principio non poterat ob imbecillitatem, mox perficiet, nec interea ſupprimi excrementa poſſunt in effatu digna quantitate.

Si verò anguſtum fuerit vulneris orificium, neque deorſum poſſit vergere, aut dilatari, & corpus fuerit impurum, aut os aliquod læſum, vel nobilis aliqua pars detecta, non eſt ſperandum ex tegumento ad priſtinum ſtatum poſſe naturalem calorem reverti, antequam enim ad eam diſpoſitionem perveniat, ex re-

tento pure aliquod ſubſequeretur malum; quocirca melius erit proſequi curationem per turundas; verùm haſce fiſtulatas laudarem, & ut omni tertia die tantùm ſemel curarentur, quod ſi deorſum vergere poſſet vulneris orificium, impoſita ex cerata tela cannulata turunda, diutiùs poſſemus vulneris detectionem differre, & cum multa vulnerati utilitate. Et omninò ſi neque omnia faveant, neque omnia adverſentur, media quædam via tenenda eſt, à principio temporis ſæpiùs ſolvendo, puta tertia vel quarta quoque die, deinceps autem rariùs, ſic enim optimè & excrementis, & naturali calori fuerit conſultum.

CAPUT LXIII.

De ſanguinis immoderato profluvio in vulneribus.

QUid agendum ſit, ut vulnera fœliciter ad ſanitatem perdu cantur, generatim expoſitum eſt, ordo expoſtulat, ut ora tionem noſtram ad ea convertamus, quæ vulneribus adjuncta cu rationem interturbant, atque impediunt, cujuſmodi ſunt ſangu nis immoderatus fluxus, peregrina corpuſcula intra vulnus con tenta, dolor, fluxio, inflammatio, putredo inſignis, corruptio & gangræna, atque mortificatio partis, ſupercreſcens caro, anim deliquium, & ſyncope, convulſio, delirium, febris, & huju modi. Quorum quidem alia ortum ducunt ab ipſa vulnerant cauſa, ut ſanguinis profluvium, peregrinum corpuſculum, al verò ſuperveniunt, vel ob vulneris pravitatem, vel ob mala corporis diſpoſitionem. De his igitur ſigillatim agendum, cu non minor habenda ſit ipſorum ratio, quàm vulneris, imò no nunquam etiam neceſſarium ſit vulneris curationem protraher ac poſthabere, ut illis occuramus. Principium autem ſumem ab ipſo ſanguinis fluxu, utpotè frequentiori, cum propè fie non poſſit, quin à cauſa vulnerante ſecentur, vel perforentu vel lacerentur vaſa ſanguinem continentia, quæ ſi alicujus m menti fuerint, facilè ſanguinis immoderatus fluxus ſequitur.

Primum quidem evacuatur ſanguis in vulnerata parte co tentus, deindè qui in proximis, & tandem etiam qui in remo

co

continetur partibus, poſteaquam conſecutione quadam egredientem ſanguinem proximus ſequitur, ut ſic non levem impetum ſuſcipiat ſanguis ad vulneratam partem, præter quam quod etiam expellitur à ſpiritibus. & à partibus moleſtiam perſentientibus ad ipſam vulneratam. Sed & vaſa ob moleſtiam, quam perſentiunt ſeſe contrahunt, propter quam contractionem neceſſariò effluit ſanguis.

Sed quoniam ex vaſis alia ſunt majora, alia minora, aliaque pulſant, arteriæ videlicet, alia verò nequaquam, ut venæ ipſæ, modoque plura, modo pauciora vulnerantur, vel unum tantum, propterea contingit modo majori, modo minori impetu fluere ſanguinem, modoque copioſius, modo minùs copiosè, aliumque fluxum eſſe contumaciorem, alium verò minus contumacem. Major, aut minor diviſio non facit neceſſariam differentiam fluxus penes ipſius vehementiam, aut impetum, nam ſi media ſecetur arteria, quæ ſit alicujus momenti, inſignis fluxus, quique difficulter compeſcatur, ſubſequitur; at ſi tota præcidatur arteria, cum diſſectæ partes ſeſe contrahant, atque in carnoſum genus ſe recipiant, plerumque minor accidit ſanguinis fluxus, faciliuſque is compeſcitur. Cum etiam ex vaſis alia ſint in ſummis, alia verò in penitioribus partibus, tot etiam ſuccreſcunt fluxus ſanguinis differentiæ. Alia quoque differentia conſtituitur, ſi ad diviſionem venæ conſequatur, alia verò ſi ad arteriæ. Præterea aliquando ſanguis è vaſe profluit, cujus etiam ſubſtantiæ portio deficit vi ictus, aliquando verò nullus adeſt ſubſtantiæ vaſis defectus. Tandem aliquando ſanguinis fluxus ſtatim conſequitur, aliquando verò temporis progreſſu. Non eſt, quod ſigna cujuſque harum differentiarum ſubjiciamus, cum ſatis ex ſe innoteſcant. Sola ea afferemus, quibus diſtinguere licet, an à vena, an ab arteria fluat ſanguis, cum hæc diſtinctio maximi ſit momenti in curatione, ut videbimus, & tamen non adeò omnibus manifeſta. Præterea cum ſanguis à penitioribus erumpens aliquando ſenſui ſit conſpicuus, aliquando verò non, ut contingit, quando ſanguis ab aliquo viſcere effluens intra cavitatem thoracis, vel abdominis manet: afferenda ſunt etiam ſigna, ex quibus conjicere poſſimus, quando ſanguis effluit à penitiori aliqua parte, & fluxus eſt inconſpi-

Differentiæ profluvii ſanguinis.

conſpicuus, cum id cognoſcere, & ad curationem, & ad prognoſticum non parum conducat.

Num ſanguis à vena an ab arteria profluat.

Num ergo à vena, an ab arteria profluat ſanguis, ſubſtantia, & qualitas exeuntis ſanguinis demonſtrabit; exeundi modus, & ſymptomata conſequentia; nam arteriæ pulſant, & ſanguinem continent tenuem, imò potius flavum, clarum, ſpumoſumque ob ſpirituum permixtionem, & ferventem, & propterea ſi ejuſmodi fluat ſanguis, & cum impetu, ac quaſi ſaliendo, evidentiſſimum ſignum eſt ab arteria effluere. Et quoniam maxima vitalium ſpirituum portio unà cum tali ſanguine evacuatur, propterea facilè in hujuſmodi fluxionibus proſternuntur vires, animique deliquia, & ſyncope contingunt. Venæ autem minimè pulſant, & ſanguinem continent craſſum, minus calidum, & magis ad atrum vergentem, nec valdè ſpirituoſum, & ideò quando ſanguis exiens hujuſmodi fuerit, & ſine pulſu, ac uniformiter exierit, certum eſt ſignum ex vena prodire. Cæteris quoque paribus minus proſternuntur vires ex tali fluxione. Sed digito immiſſo id licebit inveſtigare, & cognoſcere, & præterea ejus vaſis poſitum, ac magnitudinem, unde Gal. 5. Meth. 3. Quin imò ſi vas, unde profluit, altè ſit demiſſum, certius ipſius tum poſitum intelligat, tum magnitudinem, præterea vena ne ſit, an arteria.

Num ex penitioribus partibus ſanguis ef-

Ex penitioribus porro partibus fluere, cæterum intra aliquam cavitatem colligi, ideoque inconſpicuum eſſe ea indicabunt, quæ proſtrationem virium ſignificant, cum tamen hujus non adſit manifeſta cauſa. Unde ſi viderimus vulnus eſſe in loco, ad quem inſignia vaſa pertingunt, & permutetur pulſus ad parvitatem, imbecillitatem, frequentiam, inæqualitatem, intermittentiam, fiatque facies illa, quæ, quoniam ab Hip. in Præſagiis deſcribitur, Hippocratica dici ſolet, extrema vera fiant, frigida, & ſudores frigidi appareant, animique deliquia, & ſyncope contingant, ſingultus deliria, & hujuſmodi; arguere poſſumus effluere ſanguinem ad internam cavitatem, ibidemque retineri.

Signa futuri profluvii.

Futurum ſanguinis profluvium timendum eſt, etiamſi non adſit, quando vulnus eſt in locis, ad quæ inſignia vaſa pertingunt, ut ſit neceſſarium, aliqua fuiſſe diviſa, namque non ſemper

ſtatim

ſtatim inflicto vulnere ſequitur profluvium, quod in vulneribus contuſis paſſim obſervamus; quamvis enim lacerata ſint vaſa ob contuſionem, tamen ſubſident, & à carne etiam lacera per aliquod tempus obſtruuntur, unde non ſequitur profluvium ſanguinis, niſi quando impetus fluentis ſanguinis, quod ejus egreſſum prohibebat, ſuperaverit, aut caro contuſa, quæ diviſionem occludebat, ſuppuraverit: timendum eſt quoque profluvium ſanguinis poſt fortem pulſum in vulneribus ſignum eſt enim naturam copioſum ſanguinem tranſmittere ad partem, ex quo vaſa nimis repleta diſtendantur, & ipſæ arteriæ nimis diſtentæ fortius pulſant, quamvis ſentiatur magis earum pulſatio, ut dicebat Gal. 6. Aph. 21. quoniam pars eſt inflammata, & ex conſequenti eſt magis ſentiens, ac minus ſpatium relinquit arteriis, in quo dilatentur, minuſque cedit percutienti arteriæ. Cum ergo adeo copioſus ſanguis ad partem vulneratam tranſmittatur, periculum eſt, ne diviſa vaſa; ſed occluſa, recludat, aut etiam oſcula eorum, quæ ſoluta non ſunt, aperiat, unde ſanguinis profluvium. Merito igitur dicebat Hip. ſeptima Aph. 21. A forti in vulneribus pulſu profluvium ſanguinis.

Præſagia. Horrendum verò eſt ſymptomata, poſteaquam evacuatur ſanguis, vitæ theſaurus, & cum eo vitales ſpiritus, quorum eſt ſymmetriam innati calidi, & omninò vitam conſervare. Hinc ad immoderata ſanguinis profluvia non rarò mors ſequitur, vel totius corporis, & præcipuè hepatis refrigeratio, tandemque malus corporis habitus, ac hydrops ob naturalis caloris jacturam, unde ad hoc ſymptomata alia prava ſymptomata ſubſequi conſuevere, videlicet animi deliquium, & ſyncope ob immodicam ſpirituum diſſipationem: ſingultus, convulſio, & delirium ob immodicam evacuationem; fit enim, ut dicebat Gal. 4. Aph. 9. deſipientia ex defectu. At quando ſingultus, convulſio, & delirium ſuperveniunt, malum eſt. Deſipientia enim ob maximam virium jacturam contingit, convulſio verò, & ſingultus, qui eſt & ipſe convulſio quædam propter extremam inanitionem, ex qua cauſa lethales eſſe hujuſmodi affectus prodidit Hip. ut videbimus cap. de convulſione. Unde Hip. 5. Aph. 3. Ubi ſanguis plurimus fluxerit, ſingultus, aut convulſio ſuperveniens malum. Et ſeptima Aph. *Explicatur Aphor. 3. quintæ & 9.*

septimæ sectionis.

Aph. 9. A profluvio sanguinis desipientia, ac convulsio, malum. Unum tamen noto, si sola desipientia subsequatur, non esse omninò lethale signum, sed si desipientiæ accidat convulsio, actum est de ægrotante, hic enim est incorrigibilis inanitio, ibi verò spes non levis remanet, cum non adeò processerit. & propterea Gal. 7. Aph. 9. Si ergo convulsio aliquando tali desipientiæ conjungatur, omninò salus est desperata. Et inferius, quoniam aliqua exemplaria ita legunt Aph. 9. septimæ sectionis, A profluvio sanguinis desipientia, vel convulsio, malum, dicebat, secundum hanc lectionem, etiam desipientia non bonus est casus post sanguinis fluxum, etiamsi sola contigerit, multò autem magis convulsio, vel si absque desipientia facta fuerit, maximum verò malum est ambarum conventus, quando & ex immoderata evacuatione convulsio est casus admodum exitialis; nam desipientia minùs mala est.

Profluvium sanguinis ab arteria periculosius quã à vena.

Quòd verò periculosius sit profluvium sanguinis ex arteria, quam ex vena satis constat. Nam & spirituosior est sanguis in arteriis contentus, & difficiliùs sistitur ob arteriæ duritiem, & continuum ejus motum; durities enim, & motus agglutinationi repugnant. Unde Gal. 6. Epid. sec. septima text. 3. Melius autem est, ut ex venis, quam ex arteriis effluat, cum propter particulæ nobilitatem, tum verò, quia pars ipsa pulsu agitata, tantùm quietis naturæ, ut cicatricem inducat; non concedit. & 2. Meth. 7. Arteriæ natura difficultatem quidem durioris tunicæ suæ conglutinandæ prorsus indicat. Difficiliùs etiam sistitur sanguis, si per longum dividatur arteria, quam si per transversum, quoniam & difficilius agglutinatur arteria per longum divisa, eò quòd divisæ partes in qualibet dilatatione magis distrahuntur, quam si per transversum secetur arteria.

Indicationes.

Quamvis autem sanguinis profluvium sit symptoma excretorum immodicè, & ut tale nihil indicet, nullum enim symptoma, qua symptoma est, curandi rationem indicat, nec primùm immutat, ut dicebat Galenus 12. Meth. 1. attamen quoniam rationem causæ subinduit, vires prosternens, & affectioni officiens, quandoquidem non potest curari vulnus, nisi priùs sanguinis profusio sistatur; propterea ex accidenti vim indicandi acquirit. Scopi autem

autem ſpectandi pro ſanguinis profuſione ſiſtenda, innoteſcent, ſi quæ ad ipſam concurrant, conſideraverimus; hæc autem ſunt quæcunque in quolibet motu reperiuntur; videlicet mobile, quod eſt ſanguis, ſpatium, per quod fit motus, videlicet venæ, vel arteriæ, terminus à quo, ſcilicet partes, à quibus ſanguis profluit, ſed potiſſimum venæ majores, ac arteriæ, & terminus, ad quem, ſcilicet vena, vel arteria hians ob ſectionem, vel diſruptionem, ſeu lacerationem, & pars ob calorem, vel dolorem attrahens. Tempus omittimus, quia ad rem noſtram non facit.

In ſanguine conſideranda veniunt aptitudo ad motum, quam habet à caliditate, & tenuitate, & pondere, & impetus, quo ad partem vulneratam fertur. In ſpatio conſideranda venit amplitudo, quò enim laxiores ſunt viæ, eò promptiùs, & in majori quantitate confluit ſanguis. In termino ad quem conſideranda eſt ſolutio continui venæ, vel arteriæ, nec non impetus ſanguinis ad ipſam, atque attrahentes cauſæ puta dolor, vel calor. In termino à quo conſiderandus eſt ſanguinis ab ea diſceſſus & diſceſſus cauſa: quare ſi voluerimus profluentem ſanguinem ſiſtere, neceſſarium erit ſanguinem ineptum reddere ad motum, atque retrahere, motum videlicet ipſius aliò convertere, & ad contraria potiſſimum, atque ad terminum à quo, indigentiam alimenti inducere, ut partes tranſmittentes nutrimenti egentes, quod in ipſis continetur ſanguinis avidè retineant, vias, per quas fit fluxus, adſtringere, poſteaquam eas intercipere non datur, quo minori cum impetu, & in minori quantitate fluat ſanguis ad vulneratam partem, & os hians venæ, vel arteriæ claudere, ab eademque ſanguinem repellere, & tandem ne pars doleat, aut nimis incaleſcat, curare. Si os ſtatim liceret claudere, aliorum forſan non eſſet opus, aut quoniam non ſemper id licet, idcircò & alia ſunt peragenda. Ubi enim ſanguis retrahatur, & repercutiatur, ineptuſque ad motum reddatur, & viæ non ſint liberæ, certum eſt fore, ut ad partem vulneratam non confluat. Unde Gal. 5. Meth. 3. Siſtitur ſanguis rupto vaſe, obturato quidem, quod præruptum eſt, averſo autem, atque aliò translato, quod per ipſum ferebatur. Et eodem cap. 5. tum hæc proponit, tum

Capita ſiſtendi profluvii ſanguinis.

viarum angustationem, necnon & quæ sanguinem ineptum ad motum reddunt. Unde Avic. 4. 4. tract. 2. c. 17. Galenum æmulatus, dicebat: Res, quibus virtus inest abscindendi, vel retinendi sanguinem fluentem, aut sunt divertentes, vel attrahentes ad partem aliam à parte illa, in qua est exitus, aut sunt retinentes infra partem exitus, aut adventum ad locum exitus, aut sunt prohibentes in loco exitus illud, quod egreditur ab egressione, aut sunt aggregantes duas res de illis, aut plures. In quibus quidem verbis primò tangit Avic. tanslationem sanguinis ad alias partes; secundò ea, quæ reddunt sanguinem ineptum ad motum; tertiò adstrictionem, & obturationem divisionis. Retrahetur igitur sanguinis motus ad alias partes, si revellatur, vel derivetur: revulsio quidem fit ad contraria, derivatio verò ad proxima, unde Gal. 5. Meth. 3. Avertitur sanguis, atque ad alia membra convertitur, cum ad proxima derivatus, tum ad contraria revulsus: ineptus redditur ad motum, si refrigeretur, & incrassetur hinc Gal. 1. Meth. 5. Confluere prohibetur sanguis, & propter animi deliquium, & refrigerationem corporis totius, hac enim ratione etiam frigida pota sæpè hæmorrhagias suppressit. Et Avic. loco citato: Retinens autem sanguinem sine exitu est illud quod prohibet motum sanguinis, & ejus penetrationem, & est, aut propter causam ingrossantem, vel inspissantem, aut propter causam stupefacientem. Et stupefaciens quidem aut est medicina, aut est dispositio corporis, sicuti syncopis, ipsa enim multoties retinet sanguinem. Viæ adstringentur refrigerantibus, ac adstringentibus tam assumptis, quàm extrinsecus admotis. Unde Gal. 5. Meth. 5. medicamenta proponit refrigerantia, & adstringentia in itinere supra vasa posita. Et 7. de comp. med. per loca cap. 4. multas proponit potiones vulnerarias ad supprimendum sanguinem, refrigerantes, atque adstringentes, non solum ut iis os vasis adstringatur, verùm etiam ut viæ coarctentur, unde eisdem potionibus utitur 3. de comp. med. per loca cap. 4. ad eruptiones sanguinis è naribus. Avic. quoque loco citato corpus frigori ambienti exponit, illudque nudatum, non solùm, ut sanguis refrigeratus ineptus reddatur ad motum, verùm etiam, ut angustentur viæ.

Os secti, vel disrupti vasis claudetur, si adstringatur, vel obtu-

obturetur, quæ quidem adstrictio fieri potest, vel medicamentis, vel ligatura, vel contorsione. Obturatio autem fieri potest tum à medicamentis emplasticis, vel alio imposito, ut sunt filamenta, gossipium, tum à grumo sanguinis, tum à carne, vel cute superinducta, tum ab eschara excitata vi ignis, vel medicamentorum cauterizantium. Unde Gal. 1. Meth. 3. Ulcus clauditur, vel labris ejus, quæ diffident, adductis in idem nostrarum manuum opere, si vulnus ad manum se exhibet, tum per deligationem, tum per ea remedia, quæ refrigerant, & adstringunt, vel osculo vasis obstructo, quod obstruitur, & sanguine ipsa concreto, & iis, quæ foris illi imponuntur, sive sint carnosæ ipsæ partes, quæ circa ulcus sunt, sive ipsa cutis, sive quæ ipsi comminiscimur, ut sunt filamenta, & emplastica medicamenta, quæ ex lenta, crassaque substantia consistunt, sive & ea, quæ crustam, inducunt, sive sit ignis, sive medicamentum æscharoticum. Et 5. Meth. 5. Clauditur ipsa divisio, vel si contrahatur, conniveatque id, quod divisum est, vel obstruatur. Sane contrahitur tum adstrictione, tum refrigeratione, tum deligatura, tum vinculo exceptum. Obstruitur vel extrinsecùs, vel intrinsecùs. Et intrinsecus quidem à sanguine concreto. Extrinsecus tum hoc ipso, tum verò linamentis, & spongiis, & crustis, & medicamentis iis, quæ lentitia, crassitieque sua meatus obstruant, Græcè emplastica vocata. Ad hæc corporibus iis, quæ circumjacent, propius admotis. Et Avic. loco citato: Causa autem retinens sanguinem in locis est oppilans exitum, aut cum ligatura, aut cum strictura facta cum re obturante foramen, aut eschara cum cauterio, aut medicina cauterizante, aut cum congelatione rei retentæ, aut cum inviscatione, aut cum incarnatione, aut cum coarctatione carnis circumdantis venas, quare oppilat ipsum, & claudit ipsum clausione vehementi. Repellitur influens sanguis ad partem sectam refrigerantibus, & adstringentibus parti vulneratæ appositis. Unde Gal. 5. Meth. 5. Confluere prohibetur sanguis per refrigerationem partis affectæ. Et subjungebat; Idem facit frigida foris in fotu adfusa, aliaque, quæcumque vel adstringenti, vel simpliciter refrigerandi vim habent. Sed & deligatio versus sanam partem, seu radicem vasis ducta sanguinem à loco exitus repellit. Unde Gal.

Quomodo obturetur os vasis.

Gal. ſ. Epid. ſec. 7. tex. 3. Deligatio quoque ſanguinem profluentem ſedat, præſertim ſi deligatio non à ſanis partibus ad ægras perducatur, quoniam ita ſanguinem attraheret, ſed ſi ab ægrotis ad valentes pertineat. Ne verò propter gravitatem etiam promptiùs fluat ſanguis ad locum exitus, quod contingit, quando pars eſt declivis, tunc enim propria gravitate fertur ad partem, ſic pars eſt ſituanda, ut ſurſum ſpectet; nam hoc modo collocata parte gravitas non ſolùm non adjuvabit ſanguinis motum, verùm potiùs eidem erit impedimento. Amplius, quoniam dolor ſanguinem ad locum exitus advocat, qua ratione dicebat Gal. ſ. Meth. 5. Nihil eſt, quod magis profluvium proritet, quam dolor, danda eſt opera, ut pars ſine dolore jaceat. Unde Gal. ſ. Meth. 3. Inter hæmorrhagiæ remedia cenſetur ſitus partis vulneratæ appoſitus, porrò appoſitus fuerit, ſi ad geminum hunc finem ſit directus, nempe ut & dolore pars careat, & ſurſum ſpectet. Si verò vel prona ſpectet, vel doleat, non ſolùm profluvium non ſiſtitur, ſed etiam ſi non adſit, provocabitur. Et 6. Epid. ſect. 7. Artis multa ſunt opera, nam cohibet etiam figura, quæ ſurſum ſpectat, ut ſi ex partibus inferioribus, ut à pede ſanguis exeat, pede in ſublime collocato, ille ſupprimitur. Et Avic. loco citato, & omnis præparatio doloroſa eſt mala, & oportet, ut præparatio ſit aggregans duas res, quarum una eſt defectus doloris, & altera eſt elevatio partis, ex qua fluit ſanguis, quare non adjuvatur appenſione, & ſuſpenſione, ut fiat facilis deſcenſus ſanguinis, & ejus exitus. Capita ſupprimendi ſanguinis breviter complexus eſt Hip. 6. Epid. ſec. 7. tex. 3. dicens: Sanguinis venarum ſuppreſſiones faciunt animi deliquium, figura alterata, alia interceptio, linamentum inſertum, appoſitio, deligatio lib. etiam de locis in homine meminit de uſtione, & totali venæ præciſione. Hic tamen omiſit Hipp. quæ ad averſionem ſanguinis ſpectant tanquam alibi explicata.

Non ſtatim ſupprimendus eſt fluxus ſanguinis. Ubi igitur in oblato vulnere urget ſanguinis fluxus, omni ratione ſiſtendus eſt. Dico autem ubi urget, quoniam non ſtatim, ut aliàs diximus ex Hip. lib. de ulceribus ſupprimendus eſt ſanguinis fluxus à vulnere, ſed fluere in aliqua quantitate permittendus, quantum videlicet expedire videbitur, ut partes reddantur

dantur quoquo pacto avariores, & alimenti indigentes, ex hoc enim fiet, ut quod in ipſis remanet ſanguinis tanquam alimento egentes fortius retineant, & ab ipſis etiam fluentem propter hanc indigentiam attrahant, ex quo partes vulneratæ meliùs ab inflammatione præſervantur, & faciliùs exinde ſi fortè fluxus fiat ſanguinis, ſupprimitur ſanguis fluens.

Cum igitur præter modum ſanguis fluxerit tunc eſt ſiſtendus. Et cum multi ſint ſiſtendi ſanguinis modi, ut ſuperiùs viſum eſt, non in omni caſu omnibus propoſitis auxiliis procedendum eſt, ſed debilioribus fluxibns debiliora, fortioribus, atque magis contumacibus fortiora ſunt convenientia. Id ergo in primis conſiderandum, num ex vena, vel arteria ſanguis profluat; valde enim refert, cum ab arteria contumacior fluxus proveniat, ideoque oporteat, ut dicebat Avic. nos eſſe magis ſolicitos, fluente ab ipſa ſanguine, quam à vena. Si à vena, & exiguus ſit fluxus, tunc adſtricto vaſis ore, aut grumo obturato, vel emplaſtico aliquo medicamento, ſiſtitur ſæpiſſimè fluens ſanguis. Dico autem adſtricto, non vinculo, ſed ipſo digito compreſſo vaſe per aliquod temporis ſpatium, vel etiam contorto, quo inſuper grumus ori hianti vaſis opponitur, tum intrinſecus, tum extrinſecus, dum videlicet ipſo digito vas obturamus tamdiu, donec ſanguis in oſculo concreſcat, vel vas volſellis apprehendimus, atque contorquemus. Sed chirurgi communiter utuntur emplaſtico medicamento, eo vulnus replentes, & ſupra vulneratam partem apponentes, cujus materia plerumque eſt ovi albumen ſubactum ablata ſpuma, ſtupis exceptum. Hoc emplaſtico, & os vaſis obturant, & etiam faciunt, ut grumus concreſcat in ipſo oſculo. Sed quoniam neceſſarium eſt poſtea hoc medicamentum auferre, quod eſt contra noſtrum medendi modum, idcircò conſuevi ego confluentem ſanguinem à principio ſiſtere, digito leniter, & citra dolorem per aliquod temporis ſpatium comprimens oſculum vaſis, quò ora ſubſideant, & adſtringantur, & operculum etiam paretur, quod quidem paratur, dum in grumum ſanguis concreſcit, & poſtea etiam carnem circumpoſitam ad ipſum os adducens, aut unco, ſi ſuſpicio fuerit major, vas attollens, atque paululum intorquens. Hanc ſupprimendi rationem propoſuit

Non indiſtinctè ſunt uſurpanda remedia ad cohibendum ſanguinis profluvium.

Gal. 5. Meth. 3. his verbis: Ergo qui hæc norit, ſi quando aſtiterit ei, cui ex vulnere ſanguis profluit, illico digitum ſuper os vulneris vaſis imponat, blandè innitens, ac ſine dolore comprimens, quippè ſimul tum ſanguinem ſiſtet, tum eum concreſcere in vulnere faciet. Poſt hæc injecto unco attollat, ac modicè intorqueat. Hanc etiam vaſis ſublevationem, & intorſionem tetigit Avic. loco citato, dicens: Et de regimine in illo eſt, ut pervenias ad extrahendam venam cum uncino, & etiam cum inciſione paucæ carnis, quæ velat eam, & occultat ipſam, deinde involuere eam. Hoc ergo modo omnes eos fluxus, quos ipſi albumine ovorum ſiſtunt, compeſco. Si verò digitus immitti non poſſit aliqua de cauſa, vel ſcilicet ob naturam partis, ut quando ſanguis à cerebro, vel membranis profluit, vel vulneris, ut quando à profundis admodum partibus erumpit, & vulnus eſt anguſtum; vel patens quidem eſt vulnus, verùm ob vaſis magnitudinem eo modo ſiſti non poſſit ſanguis fluens, tunc neceſſarium eſt devenire ad ea, quæ vaſis diviſionem obſtruunt, emplaſtica dicta, ex lenta, & craſſa ſubſtantia conſiſtentia, & etiam adſtringentia. Unde Gal. eodem loco ſubjungebat: Quòd ſi nec tunc quidem ſiſtatur ſanguis, ſi vena fuerit, tentet citra vinculum ſanguinem ſupprimere aliquo ex iis medicamentis, quæ ſanguinem ſupprimendi facultatem habent, ut ſunt emplaſtica, de quibus, & Avic. plura loco citato. Libenter quidem albumine ovi utor, quoniam præter vim emplaſticam, qua præditum eſt, etiam refrigerandi, & repellendi vim habet. Huic quandoque alia emplaſtica, & adſtringentia fortiora adjungo, ſi videlicet fluxus major videatur, cujuſmodi eſt bolus Armena, ſanguis draconis, tela araneæ, præſertim ſumpta ex locis, ubi triticum molunt, vel farinam purgant à furfure, & pulvis ille Galeni ex ture, & aloe, præſertim ſi loco ſtuparum accipiantur pili leporini tenuiſſimi, & moliſſimi, folia meſpili ſicca, & in pulverem redacta, biſtortæ, & tormentillæ pulvis, gypſum, terra ſigillata, maſtice, pili leporini combuſti, cotum combuſtum, oſſa uſta, ſpongia uſta, cinis gallæ combuſtæ, & vino adſtringente extinctæ, & ſimiliter aliorum lignorum adſtringentium cinis, acacia, hypociſtis, ſuccus rubi, hederæ ſuccus, porri ſuccus, polygoni ſuccus, lapis hæmatites, & alia propemodum

Supprimentia ſanguinem.

dum

dum infinita, quæ emplastica sunt, & vim habent refrigerandi, adstringendi, & etiam siccandi. Miros autem effectus præstat aqua nostra ovorum albuminibus subactis permixta, cujus hæc est descriptio,

Aqua præstantissima ad cohibendum sanguinis profluvium.

Recipe Succi plantaginis
Vvæ acerbæ
Cidoniorum
Granatorum acidorum
Aceti ex vino nigro ana lib. j.
Succi expressi ex asinino stercore recenti lib. ij.
Albumina ovorum subacta n. xxx.
Equiseti
Fragariæ
Pilosellæ
Linguæ serpentinæ
Trinitatis
Pyrolæ
Vinceperuincæ
Potentillæ
Auriculæ ursi recent. ana m. j.
Radic. recent. Consolidæ majoris lib. j. magni centaurii lib. s.
Corticum granatorum
Balaustiorum
Gallarum quercus immaturarum
Gummi Arabici
Tragacanthæ
Sarcocollæ
Thuris albi gummosi ana unc. s.
Rad. Tormentillæ
Bistortæ
Boli Armen. or.
Terræ sigillatæ
Lachrimæ sang. draconis
Terræ Samiæ ana drach. iij.

Misce contusis contundendis, & pul. pul. & post triduanam macerationem duplici vase eliciatur aqua s. a.

Animadvertenda in usu emplasticorum.

Sed in usu emplasticorum, aliorumque medicamentorum, quibus os vasis obturare decernimus, scire oportet, non esse vulneri temerè applicanda, ut multi faciunt, qui existimant, se satisfecisse, si hujusmodi medicamentis vulnus repleverint, & extrinsecus etiam apposuerint, quo fit, ut non rectè os vasis obturetur, neque etiam supprimatur, sanguis. Oportet ergo diligenter animadvertere locum, unde sanguis erumpit, & vas, ex quo profluit, deindè alterius manus summis digitis divisum vas ad inferiorem partem comprimere, aut complexum tenere, si id fieri possit, alterius verò manus digitis medicamentum consistentiam mellis habens pilis leporinis exceptum, aut tenui stupa, vel cotone divisioni apponere, atque ad ipsam comprimere, & tandiu detinere, quoad non ampliùs fluat sanguis, deinde aliam partem medicamenti superponere, atque eandem digitis per aliquod temporis spatium comprimere, & sic deinceps, donec vulnus fuerit repletum. Aliquando ante humidi medicamenti impositionem confert pulverem cui facultas insit sanguinem supprimendi, ori vasis apponere, & super ipsum linamenta humido medicamento imbuta, ut decet, disponere. Extrinsecus deindè apponendum linteum iisdem medicamentis madidum, vel stupæ eodem imbutæ, & desuper lintea munda, ac postremò fascia idonea deligandum.

Deligatio qualis.

Ducenda autem deligatio est versus vasis radicem, factis quatuor, aut quinque circumvolutionibus supra ipsum vas dissectum, seu divisionis locum, ita ut fascia adstringat, quantum satis est ad repressionem ejus, quod influit, modò id citra dolorem fieri possit, quamvis interdum magis urgeat profluvium, quam dolor. Hinc Gal. 5. Meth. 4. Non est autem in his committendum, ut in opere properes, veluti quidam stolidi Chirurgi faciunt, sed altera manu inferiorem vasis partem comprimes, aut complexum tenebis, altera medicamentum vulneri imponens, ac blande ei apprimes, donec concretum adhæserit. Mox deligabis supernè deorsum, non, ut in artubus infernè sursum, siquidem radicem versus vasorum ducere deligationem oportet, ac quod confluit, reprimere. Et superiùs etiam cum docuisset modum conficiendi medicamentum illud famosum ad sanguinis suppressionem ex parte una thuris mixta partis unius semissi aloes, & ovi candido, cum

quo

quo tantùm illius pulveris ſubigendum dicebat, quantum mellis reddat craſſitudinem, ſubjungebat: Hoc dehinc molliſſimis leporis pilis, excipitur, deinde tum vaſi (non temerè replendum dicit vulnus) tum ulceri toti liberaliter imponendum. Alligandum autem id forinſecus faſcia eſt ex tenui linteo, cujus faſciæ primi quatuor, quinque ve amplexus ipſi profluenti vaſi injicientur. Ab hinc vaſis radicem verſus ducentur, in quibus videlicet partibus verſus ducere licet. Et Avic. Conſtrictio verò ſine re obturante foramen eſt, ut imponatur, verbi gratia, illa res in orificium ejus, & ligetur deſuper præter penetrationem ejus in venas, & ut retineatur cum eis, quæ ſunt ſicut pulvilli, & propriè ſpongia, & cum vittis fortiter ſtringentibus, & ſtrictura cum eis ſit è converſo, vel è contrario ſtricturæ, quæ fit ad attrahendum, quoniam ſtrictura prima oportet, ut ſit propè orificium, deinde fiat involutio procedens retrò, & minuetur ſtrictura gradatim, & in hac fit è contrario. Et ut ſcias, ſtrictura pulvillorum, & vittarum, quando eſt debilis, venit ex ea nocumentum ſtricturæ, & eſt attractio, & non provenit ex ea juvamentum ſtricturæ, & eſt retentio, & impletio. Oportet ergo, ut ſubtilietur in hoc capitulo. Cum ergo ſtringitur ſtrictura bona, & ſtringitur iterùm ex latere diverſo, declinat materiam, & reſiſtit attractioni hæc ſtrictura. Et non oportet, ut perveniatur cum ſtrictura, & prohibitione, niſi quæ fit infra dolorem: niſi ſi illud fuerit neceſſarium in primis, deinde mollifica paulatim. Inferius etiam modum tradens applicandi medicamenta, jubet, ut digitis alterius manus vas comprimatur, & alterius manus digitis imponatur medicamentum ad orificium vaſis. Aliquando etiam vult Avic. ut licinium medicamento imbutum in ipſum vaſis orificium immittatur, quando tamen vas eſt magnum, unde ipſe exemplificat de magna arteria, ſic enim habet: Conſtrictio autem cum buccellatione, ſive re obturante foramen non eſt poſſibilis, niſi in arteriis magnis. Fac ergo licinium ex pilis leporis, aut tela araneæ, aut ſubtili coto, aut panno lini veteri, deinde pulveriza ſuper ipſum medicinas prohibentes ſanguinem, & mitte in ipſam arteriam, ſicut bucellam, deinde ſtringe ſuper ipſam ligaturam. Et fortaſſe adminiſtrabis licinium ex pilis leporis ſolis,

 & ex-

& excuſat ſolicitudinem. Et oportet, ut ſtringas ſtrictura adhærente, quæ non ſeparetur, donec incarnetur. Si haud licuerit medicamentum ad os vaſis diſſecti comprimere, ut contingit, quando à membranis, vel cerebro effluit ſanguis, unde neque licet ibi arctè deligare ad reprimendum, imponatur medicamentum eo meliori modo, quo fieri poſſit, & adhibeatur retentiva ſolùm deligatio. Si vulnus fuerit anguſtum, ut digitis nequeamus medicamentum ad os vaſis diviſi apponere, neque dilatari poſſit, replendum eſt vulnus, ut melius viſum fuerit, & adhibeatur deligatio, quæ adſtringat, & repellat, ſi pars eam admiſerit.

Secundo apparatu quid agendum.

Tertia poſteà die ſolvendum eſt vulnus; & ſiquidem ſiccum medicamentum reperiatur, quoniam nondum genitum eſt pus, quod negotium faciat, non eſt detrahendum medicamentum, ſi adhuc fluxurum ſanguinem timeamus, ſed relinquendum, ac novo ſuperpoſito medicamento, ut quod adhæret adhuc madefiat, rurſus ut priùs deligandum. Si verò medicamentum madidum fuerit, & à parte ſeparatum, ita ut ſpontè decidat, detrahendum eſt, & ſi adhuc ſuſpicemur, ne ſanguis erumpat, aliud medicamentum imponendum. Verùm neque hic temerè procedendum, oportet enim altera manu inferiorem vaſis partem comprimere, ut ſanguinis exitus prohibeatur; altera verò manu medicamentum detrahere, novumque imponere, emundato priùs vulnere à pure, ſi quid in eo extiterit, à medicamento priori ſuppreſſum, non aliter ac primùm impoſuerimus. Et ſic deinceps procedendum, donec nullus ampliùs ſubſit timor. Hoc docuit nos Gal. 5. Meth. 4. his verbis: His factis ubi tertio die ſolveris, ſi tuto adhuc medicamen ulceri adhæret, aliud rurſus ſuperponens, ac veluti linamentum id, quod ex pilis factum inhæſit, madefaciens deligabis, ita ut initio deligaſti. Sin priùs ſua ſpontè linamentum decidat, radicem vaſis digito blande comprimes, quatenus videlicet nihil confluat, hoc quidem ſuſpenſa manu adimes, atque alterum impones. Ad hunc modum, quoad carne muniatur, curare vas debebis. Et Avic. loco citato Galenum ſequutus ſic dicens: Cum ergo feceris illud, deinde annexueris ei medicinas, tunc dimitte ligaturam uſque ad diem tertium, quod ſi tunc videris medicinam glutinationem facientem adhærentem loco ejus

tunc

tunc non eradices eam omninò, ſed pone in circuitu ejus de genere ipſius aliquid, quod madefaciat ipſam parumper. Quod ſi accidat ei ſeparatio medicaminis ex ſe ipſo, quando tu aufers illud, quod eſt ſuper ipſum, tunc deprime cum manu tua, quod eſt infra locum exitus in via, & ſitu, per quem venit vena ad locum exitus, & preme preſſione, cum qua fiat ſecuritas de ſaltu ſanguinis, & eradica illud medicamen, quod jam per ſe elevatum eſt, & ſeparatum ex eo, & commovetur in loco ſuo, & permuta illud cum alio.

Quæ ſit radix vaſis. Quia verò dictum eſt verſus radicem vaſis ducendam eſſe deligationem, ne tiro hæreat, ſciendum, radicem vaſis, ut notavit Gal. 5. Meth. 3. eſſe priorem ejus partem, quæ vel jecinori prior eſt, vel etiam cordi. & hæc in collo ab inferiori eſt parte, in brachiis verò, & cruribus à ſuperiore, in ſinguliſque reliquarum partium, prout ex diſſectione intelligere licet.

Sutura. Si vulnus eſſet abſque deperditione ſubſtantiæ, abſque linamentorum ope adductis vulneris labiis ad mutuum contactum ope ſuturæ, priùs tamen expurgato diligenter vulnere, aut etiam vino adſtringente loto, utiliſſimum operculum diviſo vaſi comparatur, atque per bellè ſupprimitur ſanguis, potiſſimùm ſi facta ſutura ſuper aſpergantur pulveres ſupprimentes ſanguinem, vel etiam ſuperponantur liquidiora medicamenta, ſtupis, aut coto, vel molliſſimis pilis leporinis excepta. Sutura autem erit vel ea, qua communiter ad ſimplicia vulnera uti ſolemus, vel, ſi majori impetu erumpat ſanguis, qua pelliones utuntur, & in hoc etiam caſu altiùs defigi acus debet. Utor tamen aliquando etiam ſutura, licet non omninò vulnus ſit abſque deperditione ſubſtantiæ, modo labia aliqualiter adduci poſſint ad mutuum contactum, præſertim à parte extima, aliter nihil proficeret; facit enim ſutura, ut in ipſo oſculo tam ab interna, quam ab externa parte concreſcat ſanguis, & ita ſupprimatur. Aliquando etiam portio carnis ipſi vaſis oſculo ob ſuturam objicitur, itaque comprimitur ſanguis. Verum tranſacto fluxus periculo, puncta aufero, ut ſanguis concretus intra vulnus exiſtens aliqua ex parte ſaltem in pus verſum expurgari poſſit unà cum aliis excrementis; permittendum enim, ut concretus ille ſanguis ſuppuret, quia, ſi vi extraheretur, periculum eſſet, ne iterum ſanguis erumperet.

Si à divisa arteria sanguis profluat, ut ex parte tantùm sit divisa, raro aliquid boni hac medendi ratione præstamus propter continuum ejus pulsum, sed operculum, quod magis possit, parandum est. Duplici igitur ratione os obturamus, prima quidem si penitus arteriam secemus; inde enim accidet, ut utræque partes arteriæ ex utraque parte sese retrahant, atque in carnosam partem sese recondant, atque ita ex circumpositis partibus, veluti subsidentibus paretur operculum utrique parti resectæ, quo sanguis effluere prohibetur. Immo, ubi à principio animadvertimus arteriam ex parte tantùm esse divisam, statim eam penitùs recidere debemus, ne contingat aneurisma; ut enim aliàs dictum est, partes arteriæ vulneratæ, & ob siccitatem, & ob motum difficillimè coalescunt, unde enata in circumstantibus partibus carne, & minimè agglutinata arteria, exit ab arteria sanguis, & spiritus, & carnem superpositam in tumorem attollit, qui aneurisma dicitur. Unde Gal. 5. Meth. 4. Nisi enim producta caro priùs locum, qui circa præcisam arteriam est impleverit, sed locus aliquis vacuus superfuerit, utique quod Græcè aneurisma dicunt, sequitur, quarè tutius est statim totam arteriam præcidere, nisi talis sit, ut aliter ei parari possit operculum, in summis videlicet partibus, ita ut laqueo comprehendi possit, & ligari, & hic est alter modus obturandi arteriæ divisionem, seu venæ cujuspiam. Ligandum autem est vas versus suam radicem. Ex hac deligatione id insuper habemus, quòd sub deligatione arteria non amplius pulsabit, unde studere oportebit carnis generationi, & ita sectæ arteriæ coalitui, ut quando ob putredinem ligamentum deciderit, jam ora arteriæ coaluerit. Ut autem tutius res peragatur, aliqui duplici vinculo arteriam vinciunt, hoc est supra, & infra vulnus arteriæ, inter duas deligationes, deindè arteriam penitus rescindunt, atque exinde carnis generationi student. Aliqui versus radicem tantùm arteriam vinciunt, deindè eam secant sub deligatura.

Totalis arteriæ præcisio.

Aneurisma

Deligatio vasis.

Idem penitus observandum est in magnis venis, in quibus sæpè emplastica apposita parum proficiunt. Hinc Gal. 5. Meth. 4. Sin arteria sit, duorum alterum, aut vinculo amplectens, aut totum vas precidens profluvium sistes. Sanè vinculum magnis quoque

quoque venis injicere interdum cogimur, atque etiam totas præcidere utrique transversas. Incidit autem hujus necessitas in iis, quæ ex profundissimo loco rectè assurgunt, præsertimque per angustas, vel principes particulas, quippe ita retrahitur ex utraque parte pars utraque, celaturque, ac integitur à superioribus corporibus vulnus. Tutius tamen fuerit utrumque facere, & vinculum vasis radici injicere, & quod deinceps habetur, præcidere. In deligando autem vase animadvertere oportet, ut moderata sit restrictio, nimis enim arcta vas secat, præterea deligenda materia, qua deligatur, talis, ut difficile putrescat, & propterea filum sericinum duplicatum optimum est. His igitur peractis, implendum quamprimum est carne vulnus, priusquam vinculum à vase decidat, nisi enim producta caro prius locum, qui circa præcisam arteriam est, impleverit, sed locus aliquis vacuus superfuerit, utique aneurisma sequetur. Et Avic. 4. 4. tract. 2. cap. 17. Coarctatio autem loci facta à carne est sicuti, si incidatur vena in latitudine, & contrahatur ad duo latera in prima vice, quare claudit super eam caro ex latere, ex quo currit, & hoc non fit nisi in loco carnoso. Et multoties quidem accidit, ut necessarium sit incidere rarum extremitatis venæ, ut sit introitus ejus in profundum vehementior, deinde ponuntur desuper medicinæ, & multoties quidem accidit incarnatio meatus absque matre sanguinis. Et superius dixerat, quod si fuerit pulsatilis, tunc melius est, ut liges eam cum filis lini, & similiter si non fuerit pulsatilis.

Quod verò attinet ad vasis operculum, quod mediante igne, vel caustico medicamento paratur, ad escharam scilicet, scire oportet, hujusmodi remedium esse admodum fallax, nisi enim caro generetur ad vasis osculum, antequam eschara pus facta decidat, error contingit pejor priore, quia ob exustionem patebit magis os vasis, & vulnus erit magis cavum. Et propterea, quantum fieri potest, cavere oportet in recentibus vulneribus hoc remedium, unde Gal. 5. Meth. 4. Quamobrem eo potiùs genere sanguinem sistentium utendum suadeo, quæ sua lentitia meatus obstruant, emplastica vocant, quam eorum, quæ crustam efficiant, propterea quod & citius, & minore cum periculo post ipsa impletur vulnus. Quippè periculum in altero adurentium genere *De eschara*

imminet, ne si defluat crusta, rursum sanguinis profusio ex vase excitetur: Et inferiùs: At quæ crustas generant, ubi crusta decidat magis nudam partem, quam pro ipsius naturali habitu, derelinquunt. Est namque ipsius crustæ generatio ex subjectis, circumpositisque corporibus, ut ita dicam, semiustis, sic, ut cujusmodi in hiemem extinctos hos carbones rem parant, ejusmodi ipsæ crustæ carnis exustæ sint reliquiæ. Quare quantum particulæ adustum ad crustam est, tantùm profectò ipsi de naturali carne deperditur; id itaque omne particulæ decidit, cum crusta cadit, atque ob eam rem nuda, sineque carne visetur. Multisqne posteaquam crusta decidit, profusio sanguinis, quæ ægre supprimi potuit, supervenit. Et Avic. loco citato: Verùm timor in illo est, quod eschara est velocis eradicationis ex se, & ex quolibet residente ex eruptione sanguinis, & qualibet aliarum causarum; & quando cadit eschara, redit timor vehementior.

Igne utendum potius in ulceribus quam in vulneribus.

Dixi autem in recentibus vulneribus fugiendum esse, quantum fieri potest, hoc remedii genus, quia in ulceribus erodentibus ac putridis non raro est admodum salutare, præterquam quod enim sanguinem supprimit, putredinem cohibet, absumitque superfluam humiditatem, & excrementitiam carnem, & robur parti addit, si actuali præsertim igne utamur, unde Gal. loco citato: Maxima est necessitas utendi crustificis medicamentis, vel ignitis ferramentis, ubi ex erosione putrescentis alicujus profluvium sanguinis excitatur. Quin etiam ubi in tali affectu totum, quod computruit, est sublatum, tutius est vel ipsius veluti radicem adurere, vel certe crustificis medicamentis uti. Attamen in recentibus vulneribus quandoque adeo urget sanguinis profluvium, ut nihil intentatum relinquere cogamur. Itaque ubi offertur casus, omnes modi, quibus supprimi solet sanguis, accuratè, perpendantur, isque deligatur, qui tutior videbitur, neque ullus respuatur, quando urget necessitas, unde Gal. 5. Meth. 4. Quis quis methodo omnia administrare volet, is tum modos omnes, quibus sanguis supprimitur, longè ante considerabit, tum eum eliget, qui minus sit cum periculo, utens non minus reliquis omnibus cum necessitas urgebit. Quando igitur necessitas urgebit,& ad crustifica deveniendum est, magis autem laudarem in recentibus vulneri-

vulneribus ipſum ignitum ferrum; illius enim operatio vehemens eſt, citò abſolvitur, unde longè minùs fluxionem advocat, quam medicamentum ſepticum, aut eſcharoticum; oportet autem, ne eſchara citò decidat ferrum eſſe vehementer ignitum, & profunde imprimere, ita ut eſchara fiat profunda, & craſſa, ſic enim tardius decidet, unde Avic. loco citato, & propter illud præceperunt, ut fiat cauterium cum ferro vehementer ignito profunde, ita ut faciat eſcharas profundas, groſſas, quarum caſus non ſit facilis, & cadant in tempore longo, in quarum ſimili caro jam eſt nata. Ex cauterio natura debili proveniunt eſcharæ debiles, quæ cadunt ex qualibet cauſa, & attrahitur materia plurima, & calefacit vehementer. Cauterium autem forte implet cum eſcharis fortibus, & removet upturam, & oppilat, ſeu ſtringit, & contrahit eam.

Aliud etiam eſt animadvertendum in uſu igniti ferri, videlicet ipſum dum imprimitur, & poſtea removetur à carne, ſecum ſolere attrahere carnis exuſtæ portionem, & ipſius etiam vaſis, unde fit, ut ægrè ſupprimatur ſanguis. Ne ergo id contingat, antequam ferrum ignitum admoveatur, eo tangi debet axungia porcina, vel alia pinguedo, hoc enim prohibebit, ne exuſta caro ipſi ferro adhæreat. *Animadvertendum in uſu igniti ferri.*

Si cui forſitan placuerit cruſtificorum medicamentorum uſus, is ea deligere debebit, quæ adſtrictionem etiam adjunctam habent, quo fiat eſchara diutiùs permanens; interea enim ſuborietur caro, quæ vaſis diviſionem, obturabit, unde Gal. 5. Meth. 4. Id verò, quo pro incruſtantium pharmacorum delectu conſilium diriges, erit, non utique ſolus calor, ſed cum quo adſtringendi facultas ſit conjuncta, qualis in chalcitide, & miſy, & atramento ſutorio, ſive uſtis his, ſive inuſtis utaris, viſitur. Et paulò inferius: Hærent autem corporibus diutius cruſtæ, quæ ab adſtringentibus fiunt, quod utique longè eſt utilius, quando ita prius naſcitur in imo earum caro, efficiturque profluenti vaſi operculum. Hinc eſt, quod tantopere extollitur ab omnibus arſenicum ſublimatum, facit enim præ omnibus eſcharam maximè profundam, & diutius hærentem, ut interim facilè locus ſubſit ipſius carnis generationi: Calx viva autem non ita; cum enim adſtrin- *De cruſtificis medicamentis.*

gendi vi careat, debiles efficit cruſtas, & quæ citiùs excidunt. Quidam tamen ut huic defectui conſulant, ipſi permiſcent, quæ adſtringendi vim habeant, ut ſunt bolus Arm. ſang. draconis, cortices granatorum, balauſtia, hypociſtis, gypſum lotum terra Samia, gallæ, & hujuſmodi, immo ut facilius ſuboriatur caro, non adſtringentia tantùm, ſed & ſarcotica cruſtificis omnibus permiſcent, cujuſmodi ſunt, thus, aloes, myrrha, ariſtoloch. radix, & iridis, & hujuſmodi. Quod quidem primi fecerunt Arabes antiquiores, ut Rhaſis, & Albucaſis, & ipſe Avic. & eos poſteriores ferè omnes ſunt ſequuti, unde communiter maximè probatur pulvis ab Avic. deſcriptus loco toties citato c. 18. qui recipit.

Calcanthi
Gypſi ſubtil. pul. ana p. xx.
Thuris minuti p. xvj.
Aloes
Glutinis ſicci ana p. viij.
Arſenici p. iv.

Miſce omnia ſubtiliſſimè pulverizata, & pulvis hic ſuper licinia inſpergatur, & ſuper locum ipſum. Alium conficiunt ex partibus æqualibus calcis vivæ, ſanguinis draconis, gypſi, aloes, thuris, calcanthi, omnibus ſubtiliſſimè pulverizatis, & mixtis, addendo etiam leporis pilos, vel araneæ telam, & albumen ovi; interdum reducunt medicamentum ad mellis conſiſtentiam. Sed longè meliora ſunt medicamenta, quæ arſenicum recipiunt.

Notandum circa procurationem caſus eſcharæ.

Quia verò Chirurgi poſt uſum igniti ferri, vel Cruſtificorum medicamentorum communiter, ut eſcharæ lapſus procuretur, pinguibus, & pus moventibus utuntur, cujuſmodi eſt butyrum, monendus eſt tiro, in ſanguinis fluxu alia via incedendum eſſe, nam ut dictum eſt, amamus, ut eſchara tardè decidat, & propterea tantùm abeſt, ut ejus lapſus ſuppurantibus ſit accelerandus, ut potiùs quæ ipſius caſum differunt, ſint apponenda, cujuſmodi ſuut ſiccantia, & adſtringentia, ideo Gal. 5. Meth. 4. Unde nec noſmet præcipites eſſe veluti nonnulli ſunt ad cruſtas, ubi hæmorrhagiæ periculum imminet, detrahendas oportet, niſi in illis tantùm affectibus, in quibus propter putredinem candens ferrum corpori hominis admovere coacti fuimus. Ut

Ut verò ſimul, & ſemel coerceatur ſanguinis impetus ad oſculum jam clauſum, quod cauſam ſecuriorem reddit, repellentia ſunt uſurpanda, quibus tum pars roboretur, tum qui influit ſanguis reprimatur, eoque magis, cum iiſdem, utpotè refrigerantibus, & adſtringentibus, hæc enim potiſſimum ſunt eligenda, etiam anguſtæ reddantur viæ, & ſanguis ſegnior ad motum. Hæc propoſuit Gal. 5. Meth. 5. Hæc eadem Hippocrates 5. Aph. 23. dicebat enim. In his frigido utendum, unde fluit ſanguis, aut fluxurus eſt non ad ipſa, ſed circa ipſa, unde fluit. Neque tamen ſemper à principio ſtatim uſurpanda ſunt repellentia; ubi quidem profluit ſanguis, à vaſis in ſuperficie poſitis, à principio repellentibus uti poſſumus, neque ullum imminet diſcrimen, aut ſi à profundioribus partibus ſanguis erumpat, periculum eſt, ne, ſi repellentibus utamur ante revulſiones, ſanguis in ſuperficie poſitus repellatur ad partes profundas, & copioſior proritetur fluxus. Unde Gal. 5. Meth. 6. Nec omninò, nec ſine diſcrimine, neque omni tempore loca, quæ circa particulam, unde ſanguis profluit, ſunt poſita, refrigeranda ſunt, immo poſtquam in aliam prius averteris.

Repellentia.

Non ſemper ſtatim à principio bonum eſt uti repellentibus.

Repellentia ergo, quibus uti neceſſarium eſt ad partem vulneratam, & propinquas partes, refrigerandi, & adſtringendi vim habeant, quamvis, & ſola refrigerantia ſint ex uſu. Igitur hæc admoveri poterunt, frigida, poſca aquoſa, vinum oligophorum adſtringens, vinum granatorum, ſuccus plantaginis, lactucæ, ſempervivi, portulacæ, cucurbitæ, lenticulæ paluſtris, ſolani, polygoni, cidoniorum, uvæ acerbæ, poſca ex aqua plantaginis roſacea, atque aceto roſaceo, ovi albumen ſubactum, ablata ſpuma, unà cum aceto, & aqua roſata, vel plantaginis, gypſum lotum, & oxycrato maceratum, aqua noſtra ſuperius deſcripta, & hujuſmodi alia, quibus addi poſſunt pulveres refrigerantes, & adſtringentes, ut parati ex bol. Arm. terra Lemnia, ſang. drac. malicorio, baccis, & foliis myrti, nucibus cupreſſi, gallis præſertim immaturis, balauſtiis, terra Samia, & hujuſmodi. Et propterea conſuevi ego parare medicamentum ex ovi albo ſubacto, dempta ſpuma, atque aceto roſaceo, vel aqua ex roſis imperfectis extracta, aut aqua noſtra ſuperius propoſita, nec non & bol. Arm.

Repellentia opportuna.

ſang. drac. & quandoque etiam gypſo loto tenuiſſimè pulverizatis, ita ut conficiatur medicamentum ad conſiſtentiam mellis liquidi, quod ſuper linteola extendo, & circumjacentibus partibus appono, atque per aliquot dies non amoveo, ſed quantum exſiccatur, jubeo, ut per intervalla madefiat poſca, aut vino granatorum, aut plantaginis ſucco. Vulgares utuntur unguento quodam vulgari, quod defenſivum appellatur. Eadem applicari poterunt intermediis viis intercipiendi gratia fluxum ſanguinis, licet impropriè id faciant, ope ſiquidem horum medicamentorum adſtrictis viis minus promptè fluet ſanguis, & eo etiam minus, quia iis refrigeratur, & incraſſatur, ac ulterius propellitur.

De revellentibus, & reddentibus ſanguinem ineptum ad motum.

In gravioribus caſibus non debemus iis eſſe contenti, quæ partem, unde ſanguis fluit, reſpiciunt, ſæpe enim non ſufficient ſed præthereà opus eſt ſanguinis impetum aliò convertere, ſanguinemque ipſum ineptum ad motum reddere, refrigerare videlicet, & incraſſare, nec non & adſtringere, in quibus ſolis ſperandum eſt, quando ex alto corporis profluvia erumpent; hæc enim dicebat Gal. 5. Meth. 5. nec vinculo, nec deligatura ſanes, veluti nec ignitis ferramentis, nec, ut ſemel dicam, iis, quæ diviſum ipſum corpus contingere machinamur, immo per revulſionem, & derivationem ad vicina. Præthereà cibum, potioneſque quod & emplaſticam vim habeant, & refrigerent, & medicamenta, quæ adſtringant. Revulſio autem fieri poteſt tum per evacuationem, tum per attractionem citra ſenſibilem evacuationem, unde Avic. loco citato: Et diviſio prima, quæ eſt diverſio, & attractio ad partem aliam, fit aut cum attractione ad contrarium, præterquam quod fiat exitus alius, ſicut ponuntur ventoſæ ſuper hepar, & removetur fluxus ſanguinis ex nare dextra, aut ita quod accidit exitus alius, ſicut phlebotomatur patiens fluxum ſanguinis narium ex manu pertinente nari phlebotomia ſtricta. Revulſio per ſenſibilem evacuationem multis modis fieri poteſt, videlicet per venæ ſectionem, ut aliàs dictum eſt, cucurbitulas ſcarificatas, hirudines, per pharmacum purgans, vel vomitorium, nec non per clyſteres, & ſuppoſitoria, præſertim acuta.

Sed

Sed inter hæc in ſanguinis profluvio primum locum tenet venæ ſectio, hæc enim non ſolum cohibet impetum ſanguinis ad locum vulneratum, verùm etiam contrarium motum in ipſo excitat, ad locum videlicet ſectæ venæ, quia ratione revulſionis fieri debet in parte remota, & contraria, ut ſuperius ſatis diffusè explicatum eſt. Ut vero majorem vim habeat revellendi venæ ſectio, non eſt ſimul, & ſemel educendus ſanguis, ſed per plures vices, unde Gal. lib. de cur. ra. per ſang. miſſ. Revulſionem, quæ ſæpe adhibetur vena ſecta, quanto majorem in numerum particulares auxeris detractiones, tanto efficaciorem efficies. & 5. Meth. 3. Ubi paulùm detraxeris, mox unam horam intermittens, rurſus detrahes, poſt iterum, atque iterum pro laborantis viribus. Non ſolum autem oppoſitio ſervanda eſt, verum etiam rectitudo, unde Gal. loco citato Revulſionis gratia ſi venam ſecueris, in directe quidem oppoſitis ſanguinis eruptionibus citiſſimè conſpicuam videbis utilitatem, at ſi contra ſeces, nihil profuerit. Id tamen animadverto peculiariter in ſanguinis profuſionibus cum ſanguis ad locum vulneratum à majoribus vaſis majori ex parte confluat, neceſſarium etiam eſſe ad majores venas, tanquam ad primam originem, ſanguinem retrahere: qua de re niſi ipſa brachia ſint vulnerata, venæ cubiti plerumque ſunt ſecandæ, quæ immediatiùs pertinent ad venas magnas, unde, & per earum ſectionem promptius venæ majores inaniuntur, atque ita ad ipſas retrahitur ſanguis, & ad ipſa brachia ſimul. Hoc etiam à brachiis habemus, quòd in medio corporis ſunt, & ſunt extrema, ſuperioribus partibus contraria ſecundum ſurſum, & deorſum, & ſimiliter inferioribus. Unum etiam brachium alteri eſt oppoſitum ſecundùm dextrum, & ſiniſtrum, & non minus partibus ventris medii, & inferioris, & dorſo. In imbecillioribus tamen viribus ut minori cum ipſarum diſpendio fiat evacuatio, venas minores ſecamus, ut quæ ſunt in manibus. *De venæ ſectione.*

Cucurbitulæ ſcarificatæ & ipſæ non levem obtinent vim revellendi, nam & revellunt ratione evacuationis, & ratione excitati doloris, atque caloris, & vi vacui. Et ipſæ quoque remotis, & contrariis partibus ſunt admovendæ. *Cucurbitulæ*

Hirudines levem obtinent vim revellendi propter ſenſim factam *Hirudines.*

ctam attractionem, & ideo earum rarus est usus in sanguinis profusionibus.

Purgatio, & vomitus improbantur.

Similiter purgatio, & vomitus parum valent in sanguinis profusionibus ut quæ immediate sanguini motum contrarium non præbent, immo suspicione non carent, eo quod corpus, & succos exagitant. Potius convenirent purgationes, si gratia biliosi, & tenuis succi sanguis magis flueret, nam per evacuationem biliosorum, atque tenuium succorum, non ita promptus erit deinceps sanguis ad motum. Rarissimus tamen est usus purgationis, & vomitus in sanguinis profusionibus revellendi gratia, maximè verò cum per hujusmodi remedia præpediatur utiliorum usus, immo vomitu ipso nunquam uterer, cum nimis exagitet. Clysteres, ac suppositoria & ipsa parum faciunt ad revellendas sanguinis profusiones, quia tamen aliis non præripiunt occasionem, iis uti quandoque possemus, si deorsum esset revellendum, ab acribus tamen est abstinendum.

Primum igitur locum inter evacuantia obtinet venæ sectio, deinde cucurbitulæ, & posteà hirudines, dein purgationes, & vomitus, ac suppositoria, & clysteres. Quæ verò citra evacuationem sensibilem revellunt, sunt frictiones asperæ, vincula, cucurbitulæ absque scarificatione, balnea calida, medicamenta acria, & dolorifica ad partes remotas, & contrarias. Frictiones quidem asperæ revellunt, quantum & ad contrarium movent sanguinem ratione motus frictionis, & quantum attrahunt ratione caloris excitati, & doloris. Cucurbitulæ quoque siccæ revellunt attrahendo ad locum, cui apponuntur, & vi doloris excitati, & caloris, & vacui. Vincula revellunt ratione doloris concitati, debent enim esse dolorifica, balnea calida, & medicamenta acria, tum ratione caloris, tum doloris.

Cavendum ab iis, quæ calefaciendo revellunt.

Inter hæc autem crebriùs utimur cucurbitulis, frictionibus, & vinculis, aliis non ita, timentes, ne calefaciendo sanguinem fundant, & promptiorem ad motum faciant. Si ergo facta revulsione per venæ sectionem, adhuc perseveret fluxus, cucurbitulis primò scarificatis uti poterimus, deinde citra scarificationem, quibus etiam, quantum non evacuat, & ita neque vires prosternunt, sæpius utemur: non aliter & frictionibus, & vinculis, ut, quamdiu fluxus

fluxus persistit, semper uti oporteat reliquo revellente præsidio. Derivatione non ita utimur in hisce profusionibus, quia fit per proximas partes, ne fortè dum ad proxima attrahimus, concitetur magis fluxus ad partem vulneratam, quamvis non utamur derivationibus nisi priùs factis universalibus revulsionibus, & cum evacuatione sensibili, & citra evacuationem. Si verò opus sit tenues, & calidos humores educere, quò sanguis ex accidenti reddatur crassior, & frigidior, iis agendum, quæ non exagitent humores, & prætereà vi adstringente sunt prædita, ut sunt Rhabarbarum, & mirobalani, tamarindi, & syrupus rosatus solutivus, hæc itaque non sunt transcendenda.

Quæ verò per os sumpta sanguinem refrigerare, & incrassare possunt, atque vias adstringere, sunt syrupi refrigerantes, & adstringentes, vel etiam emplasticam vim habentes. Parari autem possunt ex syrupo myrthino, violaceo, rosaceo recenti, de omphacio, de rosis siccis, de succo cidoniorum, de cichorio, addita aqua plantaginis, equiseti, cichorii, endiviæ, lactucæ, acetosæ, portulacæ, florum myrti, vel decocto ex rosis siccis, myrthi foliis, & baccis, plantagine, equiseto, acetosa, cichorio, lactuca, endivia, pyrola, pilosella, sanicula, potentilla, santalis. Item electuaria ejusdem facultatis: unde parari poterunt mixturæ ex saccharo rosaceò veteri, additis bolo Arm. or. terra Lemnia, terra Samia, semi. plantaginis acetosæ, equiseto, pulvere corallorum rubeorum, lachryma sang. draconis in electuarii formam redactis cum syrupo de rosis siccis vel alio hujusmodi. Aquam frigidam probat Gal. 5. Meth. 5. & Avic. loco citato. Parantur etiam in eandem gratiam pulveres ex equiseto, bolo Arm. or. terra Lemnia, trohisci de charabe, terra Samia, lapide hæmatites, lachryma sanguinis draconis, & hujusmodi. Refrigerari præthereà solet sanguis manibus, ac pedibus in frigida aqua detentis, vel refrigerantibus ad testes appositis, quamvis hujusmodi remedia suspecta habeam, timeo enim ne sanguis repellatur ab extimis ad locum vulneratum. Quòd si hæc non sufficiant, duo remanent extrema remedia ad compescendum sanguinis motum, unum est animi deliquium, utpoté quod refrigerat totum corpus, & in causa est, ut sanguis ad cor fluat, unde Gal. 5. Meth. 5. Confluere

Refrigerantia extremis partibus adhibita sunt suspecta.

Animi deliquium.

Narcotica.

fluere prohibetur ſanguis propter animi deliquium. Alterum narcoticorum uſus; hæc enim abunde refrigerando ſtupefaciunt, atque ita ſanguinem fluentem ſiſtunt. Hæc duo reducit Avic. ad ea, quæ ſanguinem retinent ſine exitu, Retinens autem ſine exitu, dicebat, eſt illud, quod prohibet motum ſanguinis, & ejus penetrationem. Et eſt aut per cauſam ingroſſantem, vel inſpiſſantem, aut per cauſam ſtupefacientem. Et ſtupefaciens quidem aut eſt medicina, aut diſpoſitio corporis, ſicut ſyncopis, ipſa enim multoties retinet ſanguinem.

Ut inducatur arte animi deliquium.

Animi deliquium inducitur quandoque ſine artis auxilio, ob copioſiorem videlicet profuſionem, quandoque etiam artis ope, ſi timor ingens incutiatur, quamvis omnis timor poſſit ad ſupprimendum ſanguinem, in cauſa exiſtens, ut ſanguis concentretur, & ad cor iter ſuſcipiat, ac etiam congeletur. Dupliciter autem incutietur ingens timor, primo verbis, ſi videlicet ægrotanti dicatur, ut rebus ſuis conſulat, eo quòd de ejus vita actum ſit; verum non quilibet medicus ad id eſt idoneus, ſed is tantum, cui ægrotans credat, ut qui jam famam, & exiſtimationem fuerit adeptus, oportetque inſuper, ut medicus oſtendat, ſe loqui ſerio, & etiam ex improviſo, ac ſubito id faciat: tali enim improviſo, atque inopinato mortis nuntio certo perterritus, facilè ſanguine ob metum ad cor recurrente in animi deliquium incidet laborans, atque ſanguis partim retrocedet, partim veluti congelabitur. Incutietur non minus timor re aliqua circa ægrotantem facta, quæ ipſi timorem inferat, ut ſi multa aqua gelida, eo nequaquam animadvertente, ſupra ejus caput, & humeros, ac faciem multo impetu projiciatur, vel ſi quis eum nequaquam cogitantem armis adoriatur. Verùm hujuſmodi multa cum providentia oportet exequi.

Ut incutiatur timor.

Quod verò ad propriè dicta narcotica attinet, ut quæ naturali calori ſunt inimica, non niſi in maxima neceſſitate ſunt uſurpanda, neque ſimplicia, ſed contrariis refracta, & quandoque etiam additis adſtringentibus, & primo à levioribus eſt inchoandum, niſi urgeat neceſſitas, cujuſmodi eſt ſyrupus de papavere: deinde his non conferentibus ad validiora confugiendum, ut eſt theriaca recens, Philonium Romanum, vel Perſicum, Requies Nicolai.

Nicolai. Sed in quo maximam expertus ſum utilitatem, præterquam quod pauca vi narcotica eſt præditum eſt ſaccharum roſaceum cum trochiſcis de charabe cum opio.

In inſtituendo victu huc debemus ſpectare; ut ſanguis refrigeretur, & incraſſetur, ac ineptus ad motum reddatur, viæque adſtringantur. Propterea frigidus aër probatur, unde Avic. corpus frigori exponebat, ſi aer talis natura non fuerit, arte parandus. Cibaria, atque potiones vim refrigerantem, atque adſtringentem, & emplaſticam habere debent. Quare probantur lentes, far, oriza, præſertim decocta ex jure extremitatum vituli, aut caſtrati, fercula ex pane, & eodem jure, juſcula addito ſucco uvæ acerbæ, vel granatorum, pedes vituli, vel caſtrati. Incoquentur etiam cibaria multa cum utilitate in aqua chalybeata, alterabunturque jura iis, quæ refrigerandi, & adſtringendi vim habeant, cujuſmodi ſunt acetoſa, lactuca, plantago, portulaca, endivia, equiſetum, cidonia. Quocirca hujuſmodi cum alimentis incoquentur, aut etiam addentur ferculis pulveres refrigerantes, & adſtringentes, emplaſticamque vim habentes, unde parari poterit pulvis ex bolo Arm. or. lachryma ſang. draconis, terra ſigillata, terra Samia, amilo, pyrola, piloſella, potentilla, & id genus. Potiones ejuſdem erunt facultatis, aqua chalybeata erit ex uſu, & in eadem utiliter incoquentur coriandrum, piloſella, potentilla, equiſetum, pulpa cidoniorum. Item vinum granatorum, aut cidoniorum cum aqua chalybeata.

Ratio victus. *Cibaria.* *Potus.*

Victus autem tenuis inſtituatur, ut partes alimenti indigentes cogantur ſanguinem retinere, niſi vires labentes aliter ſuadeant, aliter enim neceſſarium eſſe exhibere ovorum lutea, carnem pullorum caponis, perdicum, phaſianorum, & hujuſmodi, immo aliquando vinum, verum illud ſit nigrum, & adſtringens, & aqua chalybeata permixtum. Ira eſt evitanda, timor verò incutiendus, ſi ab extimis partibus fluat ſanguis, nam in timore ſanguis ad intimas partes movetur. At ſi à parte interna profluat ſanguis, ſuſpectus ea ratione eſt timor. In ſumma quiete detinendus eſt vulneratus, & in obſcuro loco jacere debet, ut non ſolum corpus, verùm etiam anima quieſcat, & ne proprium ſanguinem, & rem aliquam rubram videat, curandum. Somnus

Victus tenuis convenit.

convenit, nam fluxiones omnes ſedare ſolet, quare niſi propenſus fuerit in ſomnum, lac amygdalarum dulcium conciliandi ſomni gratia conferet, & cum ferculis ex farre, vel oriza permiſceri poterit. Saccharum violaceum à cibo conducet, aut lactuca decocta, & ſi fortiora requirantur, cremor ſeminum papaveris albi ferculis additum præclaram operam præſtabit. Idem faciet ſyrupus de papavere cum aqua lactucæ à cibo propinatus. Inunguentur etiam non ſine fructu nares, ac tempora ex unguento populeo. Verum dum vulneratus dormit, ſemper aſſiſtat aliquis, qui obſervet, quomodo ſe habeat vulnerata pars, & caveat, ne ſuper ipſam decumbat vulneratus. Alvus ſit lubrica natura, vel arte.

Quæ à proprietate totius ſubſtantiæ ſanguinem ſuppriment.

Aliquando adeo urget ſanguinis fluxus, ut etiam experiri cogamur quæ à totius ſubſtantiæ proprietate ſanguinem ſupprimere feruntur, quamvis apud cordatos viros paucam habeant fidem, hujuſmodi ſunt aſininum, & equinum ſtercus, aceto fervefactum, & emplaſtri modo appoſitum, aut exſiccatum, & in pulverem redactum, aliiſque medicamentis permixtum. Item ſuccus ab iiſdem recentibus expreſſus, & ſuccus vel aqua ozymi majoris linteis excepta, & applicata, apis viva lineo linteo involuta, ac parti, unde ſanguis fluit, alligata, jaſpis lapis collo ſuſpenſus, aut manu nuda apprehenſus, ita tamen, ut ea manu detineatur, quæ è directo ſit vulneris. Lapis in capite buffonis repertus, & pariter manu nuda apprehenſus, vel collo ſuſpenſus. Aliqui non ſunt his contenti, ſed inſuper verba quædam ſuſurrant, characteres pingunt, & alia parum decentia faciunt, quæ cum Chriſtiana Religio abhorreat, & ab eleganti medico penitus ſunt fugienda.

Suppreſſo ſanguine de partis ſtatu ſollicitos nos eſſe oportet, interdum enim profundum valde eſt vulnus, & à penitioribus partibus ſanguis effluit, ad quas medicamentorum virtus nequit pertingere; unde accidit ut ſanguinis videatur compreſſus fluor, quia clauſo vulneris orificio extra ferri prohibetur; verùm quia adhuc hiat vaſis foramen, adhuc etiam ab eo ſanguis profluit; qui neceſſariò cum non habeat egreſſum collectus in ipſa parte eandem in magnam molem attollit; Tandemque cum non poſſit majorem

majorem pati diſtenſionem pars vulnerata, totus concreſcit; atque niſi conſultum fuerit, ob magnam ejus copiam oppreſſus nativus calor valde periclitatur, & procedente tempore adhuc augetur periculum, quòd neceſſariò ſanguis ille putreſcat, pravamque ſibi aſciſcat qualitatem, quæ non minùs extinguere nativum calorem poteſt, quam copia. Huic dupliciter opem ferre conſuevimus; Aut videlicet ſanguinem concretum antequam putreſcat, evacuando; aut ſuppurationem promovendo; Primus modus locum habet quando loca periculoſam ſectionem non faciant, congruis enim ſectionibns detrahendi ſunt ſanguinis grummi, & pars quæ nigricare cœpit; quam quidem denigrationem præcedere durities quædam ſolet, & renitentia; Hic neque nimis properandum, neque etiam ſegniter agendum; nimis enim properantes, ut ſanguis ante oſculum vaſis concreſcat, & foramen obturet, non permittimus, & propterea ſublatis grummis ſanguis, confeſtim effluit; Quamvis & proſperè nonnunquam res ſuccedat, quòd ob diſſectiones quas ſumus machinati, ipſi vaſis oſculo manum admovere poſſimus, quod quidem denegabatur priùs; At agentes ſegniter, gangrænam advocamus; Itaque cum potuerimus conjectari à concreto ſanguine obſtructum eſſe vaſis foramen, ad ſectionem deveniemus; Ut verò tutiùs agamus, non ſimul & ſemel totum concretum ſanguinem educimus, ſed paulatim eum detrahimus; potiſſimum autem cautè incedendum cum ad ipſum vas unde ſanguis fluebat, fuerit perventum; imò nunquam à circumſitis partibus vi ſeparandum, ſed expectanda potiùs ſuppuratio, ne dum vi detrahimus, rurſus fluxum promoveamus. At ſi loca periculoſam ſectionem faciant, neque moles aut durities partis eo devenerint, ut ſubitum interitum vereri oporteat, expectanda, & procuranda ſuppuratio; & cum primùm alicujus ſuppurationis indicia apparuerint, ſecare conveniet; locum verò puris inclinatio; & ipſa inſpectio Anatomica nos docebit. Suppurationem verò procurabimus cataplaſmatibus idoneis, quæ tamen non tantùm ſuppurationem promoveant, verùm etiam aliquam rarefaciendi vim habeant oportet, ut & aliqua fiat materiæ digeſtio; quod tutiorem à gangræna reddet partem. Itaque parare cataplaſma conſuevi ex malva & violaria, floribus meliloti,
 & camæ-

& camæmeli, farina hordeacea & fænugreci, oleo rosaceo, amigdalarum dulcium, ac butyro recenti & pinguedine gallinæ; ex rad. quoque alteæ, & liliorum alborum cæpis, malvis, sem. lini, oleô violaceo, amigdalarum dul. & butyro recenti; axungia porcina recenti, atque hordeacea ac fabacea farina; Aut ex vino dulci, in quo bullierint flores camæmeli, oleo com. aut violaceo, butyro, & farina hordeacea, &c. Sed & alia multa poterit quivis fingere ex jam propositis materiis, & iis similibus.

CAPUT LXIV.

De inhibenda fluxione.

SI quod aliud in curatione vulneris medenti facessit negotium, id sane præstat decubitus, seu fluxus humorum ad partem vulneratam, atque inflammatio. His vulnus non invadentibus pauca sunt, quæ nos terreant; neque enim delirium, neque convulsio, neque febris, nisi illa præcedant, solent supervenire vulneribus ideoque hæc mala omni studio, antequam partem adoriantur, arcenda dicebamus: In recensenda fluxionis natura, & causis non laborabimus, cum de ipsis abunde superius fuerit pertractatum, ubi etiam scopos spectandos ad fluxiones inhibendas proposuimus. Reliquum est igitur, ut quibus prædictos scopos adimpleamus, magis particulatim explicemus.

Prò revulsione igitur confluentium succorum ad partem vulneratam, quod est primum, & potissimum caput arcendæ fluxionis, quando videlicet periculum est, ne humores influant, ut in magnis vulneribus & cohibendæ, si jam cæperit: nisi satis sanguinis sponte fluxerit, quam primum secanda est vena, aliis suadentibus & viribus permittentibus. In sectione autem venæ ea

Sectio venæ.

serventur, quæ proprio capite dicta sunt. Iterum tamen tirones moneo partitis vicibus extrahendum sanguinem, ut revulsio majorem vim habeat, & ex majoribus venis faciendam esse missionem sanguinis, ut ex jecoraria, vel communi cubiti, nisi virium imbecillitas suadeat ex minoribus venis extrahendum sanguinem, quemadmodum diximus in capite de venæ sectione. Neque vulnus

nus video, à quo non poſſit revulſio fieri per ſectionem venæ in altero brachio, vel manu, niſi utraque brachia, vel manus eſſent vulnerata, quo in caſu ſecanda eſſet in poplite, aut malleolo vena. Verum de particularum venarum ſectione agemus, cum de vulneribus partium erit ſermo. Si forte inconcoctus cibus adhuc fuerit in ventriculo, & fluxionis periculum non urgeat, permittendum eſt, ut coquatur, deinde ſecanda vena, premiſſo clyſtere ad educendas fæces, vel ſi timeamus ex ipſo poſſe ſanguinis exitum impediri, ſecta vena ſtatim poterit immitti, immo erit injiciendus, niſi ſponte alvus egeſſerit. Si tamen non adeo periculoſum foret vulnus, poſſet differri venæ ſectio ad horam matutinam ſubſequentis diei. Verùm quò vulnus periculoſius eſt, eò etiam magis acceleranda eſt venæ ſectio, ut in maximo fluxionis lethalis periculo neque fæcum, neque cibi adhuc in ventriculo commorantis habenda ſit ratio, ut monebat Celſus, ſed confeſtim tundere venam oporteat. In majori quoque periculo major ſanguinis quantitas extrahenda cæteris paribus. Copioſius enim eſt mittendus ſanguis in majoribus vulneribus & ubi per vulnus pauca exiit ſanguinis quantitas, & corpus magis abundat ſanguine: parciùs in reliquis eſt detrahendus; dandum etiam aliquid ætati, tempori, regioni, conſuetudini, &c. At ſi propter ætatem, aut vires non poſſit per venæ ſectionem mitti ſanguis, cucurbitulæ affigendæ ſunt cum ſcarificatione, aut hirudines apponendæ.

Miſſo ſanguine, quoniam tenues, & calidi ſucci facillime confluunt, hi quam primum educendi, & alii quoque ſupervacui ſucci, ſi totum corpus cacochymum videbitur, per ea medicamenta, quæ neque exagitent, neque humores commoveant, ſi fieri poſſit, ſed clementer evacuent, & quæ poſt evacuationem veſtigium corroborationis relinquunt, à quibus etiam beneficium revulſionis habebimus, quæ autem medicamenta ad purgandum ſint eligenda, ſuperius traditum eſt. Iterum etiam moneo, non ſemper convenientem eſſe uſum purgantium, aliena enim ſunt, & fugienda, ubi in ventriculo, hepate, inteſtinis, veſica, & ſede fuerit vulnus; exhibita ſiquidem potius eſſent in cauſa attractionis humorum ad vulneratam partem, quam revulſionis. Unde dicebat Gal. 13. Meth. 6. Neque cum circa ſedem, vel aliquam *Purgatio.*

huic

huic vicinam partem initium plegmonis incidit, alvum dejicies, neque cum in vesica, vel collo, vel renibus cæpta, &c. & eodem cap. 10. Si quis in jecinore cum phlegmone laborare incipit purgationem per alvum tentet, maximum concitabit phlegmonem. Et inferius: Si ventrem, aut intestinum phlegmone occupare jam cœperit, medicamine, quod alvum dejiciet, uti non convenit: Si tamen circa sedem, aut vicinam partem fuerit vulnus, per vomitum fieri poterit purgatio unde Gal. 4. Meth. 6. Si fluxio valenter irruat, revellere ad contraria studebimus, utique si in superioribus ulcus consstiterit, per inferna purgantes, si in inferioribus superiorem ventrem evacuantes. Sed ubi purgatio adhiberi non potest, in reliquórum revulsivorum auxiliorum usu non oportet esse parcos.

Purgatio locum habet tantum in vulneribus magnis.

Atque sicuti sanguinis missio non in omnibus vulneribus admittenda, sed solùm in magnis, ita etiam & purgatio. Unde Gal. 4. Meth. 6. Omnibus ulceribus, quoties prævalida sunt, purgatio est utilis. Facta hac prima purgatione, ut caliditas atque tenuitas calidorum succorum corrigatur, & motus humorum coerceatur, ea, quæ ipsos ineptos ad motum reddunt, ac vias angustant, exhibenda erunt, ut serapia refrigerandi, & incrassandi vim habentia, & aliquam etiam adstringendi; si pituita tamen, vel atra bilis redundarent, ea essent permiscenda, quæ hosce humores respicerent, quo & ipsi præpararentur pro ulteriori evacuatione, licet in minori quantitate, quam reliquorum propter eorum caliditatem. Ratione igitur calidorum succorum conveniunt syrupus de cichorio, de endivia, de omphacio, violaceus, rosaceus de succo citri, de succo limonum, de succo granatorum cum aquis cichorii, endiviæ, lactucæ, portulacæ, plantaginis, acetosæ, &c. vel horum decoctione. Ratione verò pituitæ jam dictis permisceri poterunt oxymel, syrupus de betonica, de stæchade, de menta, & aquæ betonicæ, mentæ, vel betonicam, & mentam decoctionibus addere oportebit. Ratione vero atræ bilis syrupus de succo boraginis de pomis simplex, de lupulis, de fumoteræ, mel rosaceum erunt ex usu, & aquæ melissæ, boraginis, lupulorum, vel hasce herbas decoctionibus adjicere conveniet, quibus per aliquot dies exhibitis, ante septimam iterum exhiben-

exhibendum eſt purgans: cum enim id potiſſimum exhibeamus gratia revulſionis, tunc erit exhibendum, quando aderit periculum inflammationis, non poſt ſeptimam, vel undecimam, vel decimam quartam, ut quidam faciunt, quando jam præteriit inflammationis tempus. Verum tamen eſt ab hac ſecunda purgatione, ſi vulnus fuerit valde periculoſum, vel maxime aptum ad concitandam fluxionem, ut ſunt vulnera capitis cum detectione, vel offenſione duræ matris, & ſubjectarum partium, & articulorum, & quando corpus eſt valde cacochymum, iterum ſerapia exhibenda eſſe, tertiamque præſcribendam purgationem, quo totum corpus reddatur, ab excrementis purum, & ita etiam vulnus magis tutum à ſuccorum influxu. Dum autem ſerapia exhibemus, alia revulſionis genera erunt uſurpanda, videlicet cucurbitulæ ſiccæ, frictiones aſperæ, ligaturæ doloroſæ, veſicatoria, lotiones calidæ, quamdiu periculum inflammationis perdurat, majora tamen, vel minora, & plura, vel pauciora auxilia in uſum revocanda pro vulneris magnitudine, & fluxionis periculo. *Tempus exhibendi pharmacum*

Ut autem anguſtentur fortius viæ, per quas fieri debet fluxio, intermediis viis apponenda refrigerantia, & adſtringentia, de quibus actum eſt in ſuperiori capite, quæ tamen fruſtra adhiberentur, ubi vis eorum ad deferentia vaſa pervenire non poſſet, quod fit potiſſimum, cum ab internis vaſis imminet fluxus, ut quando vulnus eſt in trunco, non in artubus at quando eſt in artubus videlicet manibus ac pedibus cruribus & brachiis, poſſumus vias adſtringere: applicanda autem erunt medicamenta hæc non cuicunque parti, ſed partibus excarnibus ut eæ ſunt, quæ prope articulos reperiuntur; in his enim vis medicamenti ad vaſa pertingit, quia nimis profunda non ſunt. Chirurgi communiter utuntur unguento defenſivo appellato, ſed in capite de ſanguinis profluvio multa fuere propoſita. *Intercipientia.*

Repellendæ vero influentis materiæ gratia, neceſſarius erit aſſiduus ad vulneratam partem refrigerantium, & adſtringentium etiam uſus, nam utraque facultas à parte ſuccos propulſat, quod ex Gal. habetur 5. de ſimp. med. fac. c. 16. 13. Meth. c. 16. 11. Meth. 15. lib. Art. med. cap. 95. & 6. de comp. med. per loc. c. 1. Ut & quæ refrigerant, quæ tantum, & quæ ſolummodo ad- *Repellentia.*

ſtringunt, vim habeant repellendi, & utramque habeant qualitatem majori vi repellant, unde Gal. 5. de ſimp. med. fac. c. 16. Repellit perpetuo frigidum, ſed junctum cum craſſitudine partium, veluti adſtringens, id violentius propellit: duplici autem ratione tum refrigerantia, tum adſtringentia repellere certum eſt, exprimendo videlicet contentos, & influentes ſuccos, & roborando partem, dum enim pars qualitate frigida, & adſtringente cogitur, denſatur, & conſtringitur, neceſſario ſequitur contenti ſucci expreſſio, modò neque nimis craſſus ſit, neque impactus, ſicuti aqua in ſpongia exiſtens exprimitur, dum manu ſpongia denſatur, & conſtringitur. Pariter dum pars robuſtior efficitur, facilius propellit, quod ad eam tranſmittitur. Quod quidem voluiſſe viſus eſt Gal. 13. Meth. 16. idcircò enim ſtatuit retrocedere humores propter uſum repellentium, quoniam cogitur, denſatur, & adſtringitur pars, & ita exprimitur contenta materia, & robur facultati impartitur, quo fit, ut quæ tranſmittuntur, aliò impellat: Reprimentibus dicebat, cedit materia in principio, quoniam tum parum eſt, quod affluit, tum magna ex parte non ita craſſum, tum partis ipſius, quæ recipit, virtus nonnunquam valentior, utpotè nondum laſſata, tum quod in afflicta continetur parte nondum violenter impactum. At cum phlegmone in vigore ſuo jam conſiſtit, tum multus in ea ſanguis continetur, iſque craſſior ſubindè, ac vehementer impactus, tum virtus partis jam eſt debilior, quam alioqui valentem requirimus, quo ſcilicet à ſe ſupervacua amoliatur, quandoquidem haud ſatis potens eſt adſtringentium uſus, quæ ſola totum efficiat. Quippe poteſt hæc cogendis, ac conſtringendis, & veluti denſandis, ac exprimendis corporibus quæ tenuiora conſiſtentia ſunt, ad circumpoſitas partes expellere. Cæterum niſi etiam laborantis particulæ virtus aliquid auxilietur, nihil adeo magnum efficiat. Idem habet 11. Meth. 15. dicebat enim. Reprimentia in principiis fluxionum ſunt idonea, eo quod adſtrictione robur partibus inferant, & quod, quæ in iis jam contenta ſunt, tenuiſſimum exprimant. Quæ non per ſe, ſed per accidens, hoc eſt dum in partem agunt, à medicamentis ſuccos repelli, facilè perſuadent, quod quidem de adſtringentibus libenter admitto; at quæ refrigerant, dum

Qua ratione repellant.

calidæ

calidæ materiæ repellendæ gratia, adhibentur, etiam per ſe agere non eſt negandum, num frigidum per ſe agit in calidum, & calidum à frigido tanquam contrario refugit; & vice verſa, quod evidenter in hiſce exterioribus conſpicitur. Cavendum autem, ne circa adſtringentium uſum decipiamur, exiſtimantes quoniam medicamentum adſtringens repellit, quò magis fuerit adſtringens, eò fortius repulſurum, forſan enim contrarium accidet, nam vehementer adſtringens facilè dolorem concitabit, vel augebit, partem, pluſquam par ſit, cogendo, denſando, & conſtringendo, atque exaſperando, & ita potius fluxionem advocabit. Idem quoque ſi quid jam in parte receptum fuerit, ipſum magis coget, ac impinget in parte, quod erit in cauſa, ut reprimentibus difficilius cedat. Cum etiam ex adſtringentibus nonnulla inſuper ſint calida, ab his, quæ effatu dignam habent caliditatem in vulneribus abſtinendum, ſed frigidis potius utendum.

Amplius cum ex repellentibus alia imbecilliora ſint, alia validiora, in majoris momenti fluxione, & in majori fluxionis periculo fortiora ſunt uſurpanda, leviora in minori: leviter quidem repellunt roſaceum óleum, & violaceum, fortius verò ſuccus plantaginis, portulacæ, ſolani, cidoniorum, uvæ acerbæ, granatorum præſertim acidorum, ſempervivi, lactucæ, lenticulæ paluſtris, rubi immaturo exiſtente fructu, & floribus minimè perfectis, polygoni, cichoraciorum omnium, foliorum meſpilorum, cornorum, & quercus, vinum pauciferum adſtringens, frigida, acetum, bolus Armena orientalis, terra ſigillata, Samia, cortices, & flores granatorum, roſæ ſiccæ, & recentes, ſumach, ſuccus expreſſus ex corticibus nucum virentium, ovorum albumina, oleum roſaceum, omphacinum, myrthinum, nenufarinum, & id genus ſexcenta. Poſca eſt ſatis efficax repellens, & ad manus. Conſideranda eſt ergo vulneris qualitas, ægrotantis, & partis vulneratæ naturā, ætas, conſuetudo, tempus anni, regio, & præcedens victus ratio, ut habeamus quando magis, aut minus urgens ſit fluxionis periculum. *Repellentia.*

Sed antequam ad horum uſum deveniamus, diligenter animadvertendum, an adſit, quidpiam, quod ea prohibeat, quod quidem poteſt eſſe dolor effatu dignus, nam augetur dolor uſu repel- *Animadvertenda circa uſum repellentiũ.*

Prohibentia. repellentium, & potissimum, si vehementer adstringant, unde tunc parum proficiunt repellentia, & sunt incommoda. Interdicit quoque eorum usum actio partis, quæ à tali qualitate offenditur, hinc thoraci cautè sunt admovenda, quoniam respiratio ab illis læditur. Imbecillitas partis eorum usum prohiberet, cum ad repellendum valida opus sit facultate, ut superiùs ex Gal. dicebamus, & à frigidis exiguus calor extinguatur, at in vulneribus raró ad eam imbecillitatem pars devenit. Impedit autem repellentium usum materia existens inter vulneratam partem, & eam, cui applicanda essent repellentia, quæ à medicamentis in ipsam affectam trudi possit, ideò in pulmonis vulneribus à repellentibus & hac ratione abstinemus, & vulneratis intestinis cautè eisdem utimur. Est etiam quædam conformatio partium, quæ licet omninò reprimentia non renuat, admonet tamen parcè, & imbecillioribus utendum, ne in penitiores ipsius partes potiùs, quàm ad circumstantes fiat repulsio. Hujusmodi sunt articuli, periculum enim est, ne à validis repellentibus in eorum cavitatem materia impellatur. Et propterea Gal. 13. Meth. 11. dicebat: In particulis, quæ circa arctus sunt, sat esse, spongiam vel ex frigida aqua, cui paulum aceti sit immixtum, vel aqua sola madentem imponere, sicut etiam ex vino aliquo austero.

Alia consideranda. Si nihil sit, quod repellentia prohibeat, ut rectè iis utamur, opus est perpendere, num medicamentum facilem habeat aditum ad partem, à qua repellendi sunt succi, ut quando pars extima est, & rara, an difficilem, ut quando pars est profunda, ac densa quippe repellentia omnia, ut superius dicebamus, meatus partis densant, & cogunt, maximè verò adstringentia atque sibimetipsis viam præcludunt, quocirca parte existente profunda, & densa, cum repellentibus permiscenda sunt ea, quæ tenuium sint partium, ut vicem gerant vehiculi; sic à cerebro, & ejus membranis volentes repellere, acetum addimus, ut sui tenuitate ad penitiores partes repellentem facultatem manuducat. Quæ doctrina fuit Gal. 4. de comp. med. per gen. 5. Eodem vehiculo utimur in hepatis, & lienis, & aliarum internarum partium vulneribus: Natura quoque partis ob oculos habenda est, non enim omnia refrigerantia, & adstringentia cuilibet parti sunt convenientia,

Varianda sunt repellentia pro varietate partium.

entia, ſed pro natura, & dignitate partis ſunt varianda, nam in oculis fugienda ſunt valdè adſtringentia, & acria, ac mordacia, ut dolorifica; idcirco in iis utimur lacte, aqua roſacea, & plantaginis, ac violacea, albumine ovorum ſubacto, Sief albo ſive opio & hujuſmodi. In ore verò, quæ ſunt ingrati ſaporis, idcircò in eo utimur aqua hordeacea, poſca, lacte, diamoron, rob nucum, vino granatorum, vino adſtringente, ſyrupo roſaceo, ſyrupo myrthino, ſyrupo de roſis ſiccis, ſyrupo violaceo, & aliis ſimilibus. In partibus internis, quæ vim habent corruptivam, & deleteriam, vel aliam adverſam, propterea ceruſſam ablegamus, gypſum, alumen, calcanthum, & ſimilia. de quo Gal. nos admonuit 13. Meth. 20. ſed & propter partis dignitatem vulnerato hepate, aut ventriculo ab actu frigidis abſtinemus. Quod Gal. conſuluit 13. Meth. 12. quamvis ſi jecur jam inflammatione flagraret, & robur ejus conſtaret, & tempus eſſet æſtivum, non inutiliter admoverentur actu frigida. Nervis quoque vulneratis actu frigida ſunt vitanda. Tempore verò frigido non ſolùm vulnerato ventriculo, aut jecinore, aut nervis, ſed & aliis partibus cavenda ſunt actu frigida. Applicari autem debent hæc medicamenta circumjacentibus partibus, ita tamen ne vulnus extra tempus detegatur: neque contenti eſſe debemus una, vel altera applicatione quolibet die, ſed in urgente fluxionis periculo nunquam ſint lintea hujuſmodi medicamentis exuta.

CAPUT LXV.

De dolore.

NEmini dubium eſt, non ſatis eſſe ad arcendam fluxionem à parte vulnerata, materiam fluentem retrahere, atque à parte repellere, ſed inſuper id maximè ſpectandum, ne ad partem ipſam aliquo modo fiat fluxionis attractio. Exiſtente enim cauſa aliqua attrahente in parte vulnerata, conſtat, reliqua adminiſtrata auxilia non ita opem ſuam præſtare poſſe. Inter ea verò, quæ fluxionem ad partem attrahere conſueverunt, principem locum ſibi vendicat dolor partis vulneratæ. Unde Galen.

5. Meth. 4. Nihil est, quod magis phlegmones augeat, quam dolor & 3. Meth. 2. ac 6. Ob dolorem fluxionibus partes laborant. & 13. Meth. 5. Dolor, & membri, in quo phlegmone residet, calor, etiamsi purum ab excrementis sit totum corpus, fluxionis causa fiunt: ut enim dicebat 13. Meth. 3. Excretrix suo munere fungitur, cum triste aliquid sensit: unum verò quoddam est ex iis, quæ eam contristant, ipsa, quæ dolorem excitat, causa, quæcunque ea sit. Hanc igitur ejicere dum properat, phlegmonem interdum in particula concitat, cum enim in primis suis conatibus nihil profecit, vehementiùs aggressa quod infestat expellere, sanguinis aliquid, & spiritus ex suppositis partibus in affectam simul exprimit, atque hinc fit, quòd ex dolore particula proportione confluentis in eam humoris in tumorem attollitur. Ex quibus etiam Gal. verbis colligi posse videtur, dolorem nequaquam attrahere fluxionem, sed esse occasionem tantùm fluxionis, quatenus partes aliæ ad ipsam ægram transmittunt, quamvis communis loquendi modus illi attrahendi vim tribuat. Sed de his superiùs actum est.

Dolor ingens induit vim causæ.

Doloris igitur maxima habenda est ratio, primò quidem, ne ingruat, deinde etiam, ut, si adsit, mitescat, quamvis enim dolor sit symptoma, & ut tale nihil indicet, accipi tamen vim indicandi, dum causæ rationem induit, ut contingit in vulneribus, in quibus fluxionis, & inflammationis est causa, ac etiam vires prosternit. Præcavebitur dolor, si fluxiones coerceantur, & pars vulnerata, ut decet, tractetur, si videlicet congruis tegumentis tegatur, neque à suprapositis gravetur, neque à fascia nimis arcta prematur, & congruo situ collocetur, de quo quidem tunc verba faciemus, cum de partium vulneribus erit. Sed hoc in generali sufficiat, quod congruus situs partis vulneratæ is est, in quo melius quiescit, atque se habet pars vulnerata; prætereà si in quiete servetur, si manus vulneri sæpè non admoveantur, detergendi, vel apponendi medicamenti gratia, & medicamen minimè acre à principio admoveatur. Præcavendum etiam, ne intra vulneris labia pus colligatur, parato effluxu, vel sectione, vel situ vulneratæ partis, unde animadvertendum, ne penicillis occludatur os vulneris, pus enim interciperetur, qua ratione Hip.

Qua ratione præcaveatur dolor.

lib.

lib. de ulceribus, tex. 2. At verò recentia vulnera omnia, tum ipſa, tum circumſitæ partes minimè inflammationem incurrent, ſi quis quam citiſſimè ſuppuret, & pus ab oſculo ulceris non interceptum ſupprimatur.

Verùm, ſi dolor à principio ſtatim ſuperveniat, diligenter conſiderandum, num ob fluxum materiæ accidat, an ob aëris actionem, an potiùs, quia ſit aliquid intra vulnus, quod pungat, aut extendat, ut eſt nonnunquam fruſtulum oſſis, vel teli &c. quo in caſu facta diligenti inquiſitione, auferendum quod pungit, aut tendit, priùs æſtimando, an major futurus ſit dolor ex inquiſitione, & extractione, quàm ſit is, qui ex punctura provenit, ſi enim tantus immineret dolor ab inquiſitione, & extractione, ut longè ſuperaret dolorem extenſione, ac punctura, & majus etiam periculum immineret, quam à diuturniori dolore, verum leviori, quod rarò tamen evenire poteſt, dimittendum penitus eſſet, quod intra vulnus continetur. Perpendendum igitur erit damnum hinc, indeque emerſurum, & minus eligendum; quandoque enim adeo poteſt dolor ex punctura proveniens, ut cogamur omnem etiam efferum dolorem ab extractione pungentis proventurum ſpernere; & quod pungit, vel aliter moleſtiam infert, auferre ſectionibus, ſcalpellationibus, dilatationibus, & quibuſvis aliis auxiliis. Hoc potiſſimum contingit, quando os aliquam præcipuam partem pungit, & comprimit. *Qua ratione tollatur dolor.*

Si dolor vulneri ſupervenerit, quia diutius fuerit ambienti aëri expoſitum, vel frigida madefactum, ut etiam quandoque contingit, parato parti congruo tegumento (ſiccato tamen prius vulnere, ſi aqua erat madidum) fotu ex oleo roſaceo calenti circa vulnus facto, ſedari ſolet dolor. *Dolor ex ambiente ut ſedetur.*

Si verò ob affluxum materiæ, hic omni ſtudio inhibendus ſuprapoſita jam methodo, præcipue autem revulſioni opera danda: neque detegendum vulnus confeſtim quolibet ingruente dolore, ne recrudeſcat. Sed ſi in tumorem pars elevetur, ac faſcia nimis arcta appareat, in quibuſdam locis incidatur, ne poſſit partem comprimere, ut ſuperius dictum eſt. Verùm, ſi dolor adeo increſcat, ut ab ægro perferri non poſſit, neceſſitas *Ex materiæ affluxu.*

expo-

expostulat, ut solvatur vulnus, atque relicto eo linteolo unguento illito supra vulneris orificium existente, ne suppuratio impediatur (nisi ex suppressione puris excitaretur dolor, qua peracta dolores sedari solent, dicebat enim Hip. lib. de ulc. tex. 2. Vulnera quàm minimum dolorem, & inflammationem incurrere, si quam citissime suppurentur) circumcirca apponatur anodynum aliquod medicamentum. Quod si cataplasma ponamus, cavendum, ne supra ipsum vulnus apponatur, sed circumstantibus partibus, ne suo pondere nimis comprimat, juxta decretum Hip. lib. de ulceribus tex. 2. dicebat enim: Cum verò cataplasmate opus esse visum fuerit, non ipsum ulcus cataplasmate integere oportet, sed circumsitas partes, quo pus decidat, & quæ indurata sunt mollescant. Et idem repetit tex. 6. Hip. utebatur pro cataplasmate in circumsitis partibus verbasco cocto, & trifolii foliis crudis, & ligustri foliis coctis, & polygono.

Anodyna in duplici discrimine.

Sed antequam materia deligatur, ad methodum recurrendum, anodyna enim, hoc est, dolorem sedantia, sunt in duplici discrimine, alia siquidem anodyna sunt anodyna tantùm, alia verò sanantia etiam, quæ videlicet causam removendo dolorem sedant, si non penitus, saltem ex parte. Unde Gal. 5. simp. med. c. 19. Anodyna alia sunt anodyna tantùm, alia verò etiam sanantia. In causa enim frigida calefacientia sunt anodyna, in calida refrigerantia. At anodyna tantùm id habent, partem quidem dolentem relaxant, & humidam reddendo in causa sunt, ne ita à causa dolorifica divellatur, & quod in spatiis inanibus reperitur, partem distendens, concoquunt, attenuant, ac digerunt, & æquabile reddunt, sive id sit humor tenuis, sive crassus, & frigidus, sive etiam vaporosus spiritus conclusus, quare anodyna partem leniunt, & minus dolorificam efficiunt, causam verò doloris reddunt mitiorem, non tamen summovent. Unde Gal. loco citato: Anodyna necesse est, ut evacuent, tum digerant, tum rarefaciant, extenuent, concoquant, & æquabile reddant, quicquid in partibus dolore vexatis, aut humorum acrium, aut lentorum, aut crassorum, aut multorum tenuibus spiramentis infarctorum, aut etiam vaporosi, aut crassi, aut admodum frigidi spiritus exitum commodum non invenientis inhæsit, atque conclusum

Anodyna propriè dicta qualia.

clusum est. Calida ergo erunt Anodyna in primo gradu, vel in eodem gradu cum calore partis, non secus ac suppurantia, & tenuium partium, adstrictionis expertia, aliter non præstarent dictos effectus, unde Gal. loco citato: Anodyna quædam sunt primi ordinis calefacientium, quæ propriè sunt anodyna, utpote præstantia propriè supradictos effectus, alia verò similiter, ut corpus nostrum, ut suppurantia: unde sicuti suppurantia varia sunt juxta partium varietatem, cum simillima esse debeant calori partis, ita & talia anodyna, quæ magis propriè dicenda sunt anodyna per quandam similitudinem: & hæc eatenus dictos effectus præstant, quatenus occludendo poros, & fovendo naturalem calorem sunt in causa, ut naturalis calor fortior redditus, quod molestum est, concoquat, extenuet, ac digerat. *Anodyna per similitudinem.*

Non ignoro tertium esse anodynorum genus, quod impropriè anodynum dicitur, utpotè quod revera dolorem non sedat, sed sensum partis tollit, ne, quod molestum est, sentiat, cum enim ad dolorem efficiendum non solum requiratur objectum triste agens in sensitivam partem, verum etiam ut ejus actio deprehendatur, ac judicetur, tale anodynorum genus sensum partis tollens, judicium quoque tollit, unde manet eadem doloris causa, sed sensus defectu non percipitur. Tollit autem partis sensum stupefaciendo vehementissima refrigeratione, ideo Gal. loco citato: Anodynorum facultas alia re vera est, & est eorum, quæ primo ordine excalefaciunt, si in essentia tenui contineantur, alia tantùm dicitur, ut est eorum, quæ frigore obstupefaciunt. Et eodem inferius: Anodyna impropriè, quæ scilicet dolorem sedant, soporem inducentia, temperiem sortiuntur summe diversam iis, quæ re vera sunt anodyna, refrigerant enim corpus; & sensum ejus obstupefaciunt, &, si paulo liberius ebibantur, mortem afferunt. Inquit autem Gal. si ebibantur, quoniam talia anodyna vel sensum partis dolentis tantùm auferunt, ut quæ parti applicantur, vel primum sensorium, videlicet cerebrum stupefaciunt, ut quæ ebibuntur, soporem enim inducentia sunt in causa, ut cerebrum amplius non judicet objecti molestiam. Horum quidem anodynorum rarus est usus, vel nullus in vulneribus, & potissimum ad partem vulneratam, ut quæ è directo opponuntur *Anodyna impropria.*

 prin-

principiis vulnus ſanantibus: Ebibuntur quandoque, urgente maxima neceſſitate, ut laborans aliquantiſper recreetur, vireſque reaſſumat, caſtigata tamen calefacientibus, unde quamvis multa adſint hujuſmodi vi prædita, potiùs tamen utimur compoſitis, & jam fermentatis, ut ex fermentatione caſtigata quodammodo à contrariis vi illa deleteria, minus etiam detrimenti inferant; certi enim ſumus, quod doloris cauſam non ſolùm relinquunt, ſed etiam contumaciorem reddunt, dum eam craſſiorem, & immobiliorem efficiunt, & ita medicamentis magis rebellem, præterquam quod etiam naturalem calorem offendunt, & ita pro certo habemus denuò rediturum dolorem, & forſan graviorem, niſi interim dum abeſt dolor, validius contra doloris cauſam pugnetur.

Quæ reſpicienda, antequam ad ſtupefacientium uſum deveniamus

Quibus de cauſis antequam quiſpiam in dolore talibus ſtupefacientibus utatur, pro ſcopo ſibi proponens ægrotantis utilitatem, diligenter perpendat, num adeo dolor urgeat, ut Medico contra cauſam pugnante vel anodynis inſiſtente agatur interim de ægrotantis capite, quo in caſu neceſſarium erit quacunque via dolorem auferre. Dico de ægrotantis capite agi non ſolùm quando vi doloris, ac pervicacia periculum eſt, ne viribus labefactatis æger ſuccumbat, verùm etiam quando vi doloris periculum eſt, ne concitetur alius affectus, ex quo diſcrimen ægrotantis immineat, ut ingens inflammatio, gangræna, ac demum ſphacelus. Quod ſi à dolore hæc pericula non immineant, fruſtrà eſt, & amethodon cauſam doloris ſpretam contumaciorem reddere, & affectum in longius protrahere, neque enim crudeles nos eſſe oportet, neque nimis blandientes, & adulatores, unde rectè dicebat Gal. 12. Meth. 1. Ubi virium roboris fiducia eſt, adeò nunquam contra ſymptomata pugnamus, ut contra potiùs per ea prorſus nonnunquam præſidia, quæ dolorem afferant, morbos curemus; & inferiùs: Duplex eſt Medicorum contra dolorem inſtantium ratio, altera, qua delitiis cubantium ſubſcribant, altera ex artis ratione, unde ſubjungens dicebat: Eſto terminus in ægrotantibus quem non tranſibit is, qui ex arte generosè contra morbum pugnat, ut tutò medicetur, ei verò, qui dolorem mitigat, & vires cuſtodiat, aliter facere, vel eſt crudelis officium

vel

vel adulatoris. Hinc enim quoque consilium illud sapientis amplecti oportet: Ne quid nimis, habentes pro fine, quo tendamus, cubantis utilitatem. Ubi enim qui contra doloris causam pugnat, pro scopo habeat, ut tuto medicetur, hoc est per tutam viam laborantem ducat, non permittit ipsum sævitia doloris conteri, sicuti si quis dolorem mitigans, sibi proponat custodiam virium, ut, scilicet, ad usum mitigantium non trahatur, nisi à periculo virium labentium, ut eas custodiat, non ita simpliciter dolorem mitigantibus hoc est narcoticis utitur, sed solum pro virium custodia.

Ubi ergo necessitas postulat, id tamen raro contingere solet, primò quæ mitiora sunt exhibeantur, & quæ simul etiam vim habeant vitium dolorificæ causæ corrigendi, quatenus enim narcotica judicium tollent, quatenus verò corrigentia causæ vitium, habebunt etiam aliquid sanantis, hujusmodi sunt Theriaca, & Mithridatium, absumere enim solent pravos illos habitus partem in atrocem dolorem attollentes, & pravitatem humoris corrigere, & vi narcotica somnum, vel soporem potius conciliando, judicium, ac sensum tollere. Ut tamen vi narcotica polleant, non eligenda sunt nimis vetusta, sed mediæ ætatis, si modicum tantum stupefacere sit animus, recentiora verò ubi magis; quo enim recentiora sunt, eo etiam sunt magis stupefacientia, quia nondum per fermentationem satis potuit castigari à calidis vis illa narcotica. Ante sextum tamen mensem à principio suæ confectionis non sunt in usum revocanda. Consuevi ego fœlici cum successu exhibere eorum alterum ad semidrachmam cum totidem sacchari rosacei, vel violacei, eo quod, licet sint somnifera, habent tamen non levem vim calefaciendi. Fortiora his sunt requies Nicolai, & Philonium Romanum, ac Persicum, verum hisce nunquam indigui. Parti nequaquam apponenda narcotica censeo, cum enim jam debilis sit ob vulnus, hujusmodi medicamenta calori naturali inimica facilè imbecillum jam redditum calorem extinguerent, atque gangrænam, & sphacelum excitarent, & ideo semper ab his abhorrui. Quamvis non desint qui oleum de papavere probent, & cataplasmata ex mandragora, & hyosciamo, solatro, additis aliquibus insuper, quæ propriè sint

Narcotica opportuna.

anodyna, quæ urgente maxima necessitate non essent fugienda.

Usus anodynorum. His ergo ad partem utendum, quæ proprie anodyna sunt, vel saltem secundùm similitudinem, quibus tamen si addentur, quæ insuper nonnihil sanantis habent, maximè esset ex usu. Aliquid sanantis dico, ut vim haberent non solùm partem dolentem laxandi, & rarefaciendi, nec non & extenuandi, concoquendi, ac digerendi, verùm etiam remittendi acredinem, atque caliditatem influxi succi, si calidus, & acris fuerit, cujusmodi est unguentum rosaceum, oleum rosaceum completum, lumbricatum præsertim, oleum violaceum & ipsum lumbricatum, lac vel solum, vel permixtum cum dictis oleis, vel etiam albumine, & vitello ovi, hujusmodi est violaria lacte decocta, verbascum similiter coctum, ac folia ligustri, additis præsertim oleis prædictis. *Anodyna varia.* Si verò vehemens fuerit incendium, etiam oleum de nenuphare erit optimum, & solatrum coctum. Verè autem anodyna sunt in primo ordine calida, vel similia calori nostro, atque tenuium partium, ut flores camæmeli, & oleum ex ipsis, lini semen, oleumque ex ipso, anetum, & oleum ex eodem; Quod si etiam vim humectandi habuerint, fortiora erunt, ut oleum olivarum recens, & dulce, oleum amygdalum dulcium, oleum lumbricorum, oleum camæmeli lumbricatum, oleum vitellorum ovorum, & ipsi vitelli, flos Cassiæ, pulpa pomorum dulcium sub prunis coctorum, oleum ex floribus sambuci, oleum, in quo caro vulpeculæ, vel herinacea fuerit decocta. Adeps recens anseris, gallinæ, cuniculi, humanus, suillus, butyrum recens, omentum vervecis. Præstantissimum anodynum est mica panis lacte fervefacta, addito oleo rosaceo lumbricato, vel violaceo, & etiam ovi vitello crudo. Similiter farina tritici eodem modo decocta. Item malvarum, & violariæ folia simul decocta, addita tritici farina, vel panis mica, atque oleo rosaceo, vel camæmeli, aut butyro etiam. Sed ex dictis varia cataplasmata, & inunctiones præparari poterunt. Ubi causa non est adeo calida optimum est furfur tenuissimum oleo rosaceo, & sapa fervefactum, atque appositum. Si tamen ex fluxione appareret non phlegmonis, sed erysipelatis initium, à cataplasmatis, & oleosis, ac pinguibus esset abstinendum, ut quæ ex igneo bilis calore inflammantur:

& ex ipsis inflammatis magis accenditur calor in parte. Hæc quidem de ratione sedandi dolorem in vulneribus. Semper autem animadvertendum est, quando res transigi potest iis tantum, quæ contra causam pugnant, quæ & ipsa anodyna dici solent, longè melius esse. Verùm, ut dictum est, ob oculos habenda cubantis utilitas, & utilitas, ac detrimentum, quæ hinc, & inde evenire possunt perpendenda, atque invicem comparanda. Sed ad inflammationis curationem accedamus, ex quibus etiam innotescent, quæ contra doloris causam pugnant.

CAPUT LXVI.

De inflammatione.

PEr inflammationem haud intelligi volumus siccam illam inflammationem, quæ nihil aliud est, quàm exustio quædam partis absque ulla materia, de qua dicebat Gal. 2. ad Glauc. 9. quòd fit, quando absque ullo influente humore calor naturalis effervescit, veluti febris membri existens, sed humidam, quæ ex calida fluxione ortum habet, nec qualicumque, nam & omnis tumor calidus quandoque nomine inflammationis appellatur, sed de propriè dicta, quæ ex affluxu sanguinis procreatur, & ejus sinceri, si fuerit legitima inflammatio, quod raró admodum contingit, posteaquam sinceri humores rarissimè confluunt, ut dicebat Gal. lib. dif. morb. 12. vel aliis succis admixti, ex qua mixtione nothæ inflammationes oriuntur. Quod verò ex sanguinis fluxione ortum habeat inflammatio, pluribus in locis testatus est Gal. & ideò dicebat 2. ad Glauc. 1. tradens ipsius generationem: Sanguine optimo, ac mediocrem crassitudinem obtinente, ad particulam aliquam universim fluente, atque ob multitudinem conculcato, vehemens dolor arripit hominem, nisi membrum sensum omninò habuerit difficilem: pulsusque in profundo molestus accedit, tendique omnino, ac frangi membrum apparet, & vehementem dolorem persentit, adeò ut comburi videatur, unde, & refrigerari desiderant, & rubor per summa viget, hæc passio inflammatio nominatur. unde & lib. de dil. morb. 12. *Differentiæ inflammationis.*

 dice-

dicebat, inflammatio eſt rubeſcens, renitens, dolorificuſque tumor, utpote quæ fiat, quemadmodum ipſe aliàs quoque aſſerit: Cum ſanguis copioſior in aliqua animalis partem procubuit, tunc enim majora ejus vaſa protinus diſtenduntur, ab his deinceps minora, mox exudat foras in ea ampla ſpatia, quæ inter vaſa ſunt ſic, ut etiam omnia, quæ in circumpoſita carne habentur, loca occupet, atque hæc eſt phlegmones affectio. Et ideo 13. Meth. 3. Omnis phlegmone ex ſanguinis fluxu conſiſtit copioſioris, quam ſit parti ex uſu. Quod etiam diffusè ſatis oſtendit lib. de tumoribus præternat. cap. 2.

Inflammatio quid, & ejus generatio.

Quomodo & qua ratione vulneribus superveniat inflammatio.

Supervenit ergo vulneribus inflammatio, quando congrua præſidia pro inhibenda fluxione non adminiſtrantur, aut fluxionis cauſæ adeò validæ ſunt, ut adminiſtrata ex methodo licet præſidia ſpernant, vel prius quam ſufficientia adminiſtrentur, faciant, ut fluxione pars laboret. Non eſt, quòd in recenſendis inflammationis, quæ vulneribus ſuperveniunt, cauſis laboremus, cum nullæ aliæ ſint, quam eæ, quas fluxionis eſſe cauſas ſuperius traditum eſt, ſi de antecedentibus inflammationis cauſis loquamur. Conjuncta verò ipſius cauſa eſt ſanguis, vel ſincerus, vel aliis ſuccis permixtus, ut dictum eſt.

Differentiæ inflammationis.

Inflammationis differentiæ, & ex magnitudine ipſius deſumuntur, namque alia magna eſt, alia parva, & ex affecta parte, alia namque eſt in parte externa, ut in oculo, femore, brachio &c. alia in interna: & quæ in externa eſt parte, aut ſumma tantùm partis occupat, aut una etiam penitiores ipſius partes, aut etiam ipſas ſolas, ut ob id latens inflammatio dici poſſit. Præterea & ex conjuncta cauſa, quæ ſi fuerit ſincerus ſanguis conſtituit veram, & exquiſitam inflammationem, à Græcis phlegmonis nomine appellatam. Si verò aliis ſuccis permixtus notham, quæ vario modo denominatur pro varietate ſucci ſanguini permixti, ſi enim is fuerit bilis, dicitur inflammatio eryſipelatoſa, ſeu phlegmon eryſipelatodes, ſi pituita, phlegmon œdematodes, ſi atra bilis, phlegmon ſcirrhodes. At ſi omnes hi ſucci commiſceantur, modò dominetur ſanguis, affectus quidem eſt inflammatio notha, verum peculiarem nomenclationem non habet. Tandem ex qualitate, ſeu more inflammationis oriuntur quædam

dam inflammationis differentiæ, alia ſi quidem eſt benigna, alia mali moris.

Superveniſſe vulneri inflammationem ſignificant tumor cum dolore, tenſione, quæ & ab ipſo ægrotante animadvertitur, rubore, calore, & pulſu, ſi in partibus externis ſuborta fuerit inflammatio, neque in penitioribus deliteſcat. At ſi in partibus internis acciderit, quandoque quidem tumor, ac tenſio ſenſu ipſo percipi poteſt, tactu videlicet, ut quando partibus accidit, quæ oſſibus non teguntur, ut ventriculo, hepati, lieni, utero, inteſtinis, & hujuſmodi, immo & quandoque pars è regione poſita in tumorem elata conſpicitur, & aliquando etiam ad ſenſum latet tumor, ut quando inflammatio partibus accidit, quæ oſſibus teguntur, ut pulmoni, pericardio, cerebro, & ejus involucris minimè detectis. Dolor etiam accedit non levis, ſi pars fuerit exquiſito ſenſu prædita, unde maximus adeſt dolor in ventriculi, inteſtinorum, uteri, ſepti tranſverſi, atque membranarum cerebri inflammatione. At quando inflammatio aut jecur, aut lienem, aut pulmonem corripit, dolor effatu dignus haud percipitur, poſteaquam viſcera hæc pauco ſenſu ſunt prædita, gravitatem tamen in ea regione ſentiunt ægrotantes. Quamvis autem multis ſignis deſtituantur inflammationes internarum partium, quibus externas partes eſſe inflammatas cognoſcimus, præter dicta tamen ſunt & alia, quæ evidenter inflammationem partibus internis ſuperveniſſe demonſtrabunt: Sunt autem hæc febris, & propria partium affectarum ſymptomata. Omni quidem effatu dignæ inflammationi etiam in partibus externis exiſtenti accidit febris, & ea continua, attamen quæ ſuccedit inflammationi internarum partium longe pravior eſt, & ſæpius acuta. Et, ſi pars inflammatione affecta fuerit membranoſa, durities, aut etiam ſerrinitas in pulſu percipietur major, aut minor pro majori, aut minori membranarum læſione. Propria etiam partium ſymptomata id oſtendunt, nam inflammationem cerebri, atque membranarum delirium, & illud continuum comitatur, pulmonis verò reſpirationis difficultas, tuſſis, & rubor ille maxillarum, diaphragmatis ingens reſpirationis difficultas, atque delirium, & ſic de reliquis, non enim animus eſt ſigna inflammationis omnium internarum

Signa inflammationis.

partium

partium hic recensere, satis est innuisse, reliqua à propriis capitibus sunt petenda. Si inflammatio fuerit œdematis, aut erysipelatis, aut scirrhi particeps, declarabunt horum tumorum notæ, quæ cum notis inflammationis confundentur. Benignam inflammationem ostendunt mollities ipsius. Unde Hip. 5. Aph. 67. Molles boni, levitas symptomatum, & omnino facilis tolerantia, nec non & boni puris generatio, contraria verò mali moris inflammationem significant, & in corpore plethorico, & valdè cacochymo malignam inflammationem vereri oportet, habent enim validas corruptionis causas, & in illis facilè suffocatur innatus calor, in his verò ob penuriam bonorum succorum exiguus existens non minus prompte suffocatur, aut corrumpitur.

Præsagia. Quid; verò de vulnerato, si parti supervenerit inflammatio, sit præsagiendum, inflammationis magnitudo, & qualitas, nec non & natura affectæ partis palam facient, si enim affecta fuerit pars carnosa, nisi maxima fuerit inflammatio, aut maligna, quæ ideò possit perspirationem partis tollere, & ita calorem naturalem suffocare, aut corrumpere, & gangrænam, aut sphacelum invehere, interitum non minatur, quamvis curationem remoretur: at in parte nervosa, nisi summa tantùm attigerit, convulsionem facili negotio invehit. Quare in externis partibus non est periculosa inflammatio, nisi quia aut corruptionem partis affert, aut convulsionem concitat. Unde quando inflammatio non est adeò tensa, sed mollis potius, quoniam non adeò inculcantur succi, ut possint perspirationem partis notabiliter lædere, & magis obsequantur naturæ, atque in ejus sunt potestate, haud mala est hujusmodi inflammatio, sicuti quando nimis dura est, ac tensa, atque renitens, in qua magis inculcantur succi, & magis rebellis sunt naturæ. Qua ratione dicebat Hippocrat. 5. Aph. 67. Molles boni, crudi verò, mali. Et Gal. in com. ejusdem Aph. Neque enim fieri potest, ut sit tumor renitens, benè concoquente membri natura humores ad ipsum confluentes. Semper autem mala est inflammatio, quæ penitiores partes occupat, quando enim humor influens ad externas partes fertur, relictis quæ magis sunt intimæ signum est illum à natura regulari. Unde ad ignobiliores partes pulsus non multum potest negotii facessere: at quando in penitio-

penitioribus partibus detinetur, eſt naturæ rebellis, & in partibus nervoſis detentus convulſiones accerſit. Et ideò dicebat Hippocrates 5. Aph. 62. Si in vulneribus fortibus, & pravis tumor non appareat, ingens malum. Non enim ibi vult Hippocrates abſolutè bonum eſſe vulneribus pravis ſupervenire inflammationem; nunquam laudaret Hippocrates complicationem gravis affectus cum alio pravo affectu. Semper inflammatio vulneribus ſuperveniens curationi vulnerum officiet, ut quæ partis temperamentum oblædit; ſed ſupponit Hippocrates fluxionem materiæ ad vulneratam partem, quæ tamen in penitioribus partibus detenta partem in tumorem conſpicuum non elevat; ſed potius nervoſas partes diſtendens convulſionem facit, & propterea dicebat Hippocrates: Si tumor non appareat, quaſi dicat, ſi tumor quidem adſit, ſeu tumoris cauſa, verùm non appareat, malum: non abſolutè inquit, ſi tumor non ſuperveniat, idcircò 5. Aph. 65. eadem ratione dicebat: Quibus tumores in ulceribus apparent; Ecce quomodo ſupponit tumoris cauſam, ſed latentem, non convelluntur maximè, neque inſaniunt. Internis partibus ſuperveniens inflammatio ſemper eſt mala, & lethalis, potiſſimum autem in ventriculo, hepate, utero, & renibus. Pulmoni adveniens, vel interficit, vel in ulcus terminatur, quod curationem poſteà non ſuſcipit. Septo tranſverſo adveniens interficit, ſicuti & quæ cerebrum corripit, & ut plurimum etiam, quæ membranas cerebrum ambientes. *Explicatio 62. Aph. 5. ſectionis.*

Supponendo igitur ex influxu ſanguinis fieri inflammationem, ſinceri quidem, ſi exquiſita ſit inflammatio, mixti verò cum aliis ſuccis, ſi notha fuerit, ſiquidem adhuc in generatione fuerit, id, quod factum eſt, auferendum, quod vero nondum factum eſt, prohibendum ne fiat. Unde Galen. 2. ad Glauc. 2. Phlegmone, quæ eſt in generatione duplex eſt, nam, quod genitum eſt curari oportet, quod futurum prohiberi. Futurum ergo ne fiat prohibebitur ea prorſus ratione, qua ſuperius oſtenſum eſt fluxiones averti, iis videlicet conſulendo, quæ attractionis ſunt in cauſa, ſi adfuerint, ut dolor, & calor, & motum ſanguinis alio convertendo, & coercendo. Ei vero, quod factum eſt, conſuletur, ſi fluxus ſanguinis à parte evacuetur. *De curatione inflammationis. Indicationes*

Unde Galen. 2. sd Glauc. 2. Curationis indicatio in phlegmone est evacuatio redundantis in parte phlegmone obsessa sanguinis. Quod ergo sanguinis in parte continetur, vel infarctum in parte est, vel non, vel partim sic, partim non; si infarctum non sit, neque admodum sit crassum, repellere ab ipsa oportebit, nisi multum fuerit, quod retrocedat, sic enim pars evacuabitur. Unde Gal. 13. Meth. 8. Quod, quicquid in laborante membro continetur, in proximas partes repellit, hoc phlegmonis jam genitæ medela est. Et eodem: Vacuatur quod impletum est, non modo medicamentis iis, quæ digerunt, sed etiam quæ adstringunt, & refrigerant: magisque ad incipientes phlegmonas frigidis, adstringentibusque, quam iis, quæ digerunt, utendum: atque etiam magis ubi crassum, quod influit, non est. Animadvertendum tamen, quæ adstringunt, cavenda esse, si dolor ob tensionem urgeat, utpote contrahentia partem, immo anodyna sint oportet, quæ refrigerant. Unde Gal. 2. ad Glauc. 4, Si cum magno dolore fluxus incidat, anodynis utendum est ad frigidum vergentibus, immo semper doloris habenda est ratio. Anodynis refrigerantibus admixtis sæpè incrementum inflammntionis prohibetur, immo curatio inflammationis absolvitur. Hæc quidem repellentia si quatenus refrigerantia considerantur, alteri indicationi satisfaciunt in phlegmone jam genita, cum duplici ratione à statu naturali exeat particula phlegmone obsessa, & quatenus repleta, & quatenus calidior, unde & ut repellentia, & ut refrigerantia etiam, non solùm quod factum est, curant, verum etiam, quod futurum est, inhibent, repellendo videlicet, quod influit, & caliditatem, quæ fluxionem attrahit, tum per se, tum dolorem excitans, temperando. Unde Galen. 13. Meth. 8. Quantum refrigerationis phlegmone, ceu calido morbo convenit, tantùm & incrementum ejus inhibere aptum est. idem parem gratiam præstat, & cum repercutit id, quod influit. Quòd etiam ad adstringentia attinet, sciendum est in progressu ab iis, quæ fortiora sunt, cavendum esse, tum quia dolorem inferunt, partem tendentia, tum etiam quia possunt affectum scirrhosum efficere.

Quando repellentia, &

Ubi verò sanguis est multus, & valdè impactus in parte, ut

in

in augmento phlegmonis contingit, ſed in ſtatu magis, tunc hujus gratia fruſtrà adhiberentur repercutientia, hiſce enim non cedit materia impacta, ſed ad digerentia deveniendum. Cedit enim materia repercutientibus in principio, quia pauca eſt, non craſſa valde, neque impacta, & virtus etiam membri fortior eſt, unde ope repercutientium, quæ robur parti indunt, atque quod in ipſa eſt, exprimunt, tum à parte expellitur quod fluxum eſt, tum exprimitur. Unde Gal. 13. Meth. 16. Reprimentibus cædit materia in principio, quia paucum eſt, quod affluit, tum magna ex parte non ita craſſum, tum partis ipſius, quæ recipit, virtus nonnunquam valentior, utpotè nondum laſſata, tum, quod in afflicta continetur parte, nondum violenter impactum; at non in vigore, quia jam phlegmone conſiſtit, tum multus in ea continetur ſanguis, iſque craſſior ſubinde, ac vehementer impactus, tum virtus membri jam debilior eſt, quam alioqui valentem requirimus, quo ſcilicet ſupervacua à ſe propellat, quandoquidem haud ſatis potens eſt adſtringentium vis, quæ ſola totum efficiat, quippe poteſt hæc cogendis, ac conſtringendis, ac veluti denſandis, ac exprimendis corporibus, quæ tenuiora ſunt ad circumpoſitas partes expellere: cæterum, niſi etiam laborantis particulæ virtus aliquid auxilietur, nihil adeò magnum efficiet. In augmento igitur digerere oportet, ſed magis etiam in vigore, quoniam & major eſt ſanguinis quantitas, quæ partem obſidet, & magis etiam impactus eſt. Verum quidem eſt quod uſque ad vigorem nunquam reprimentibus parcimus ratione ejus, quod aſſiduè influit, ſemper enim uſque ad vigorem ſumenda eſt indicatio & ab eo, quod jam influxit, & ab eo, quod influit, quamvis in augmento etiam magis repellamus, quam in vigore, in declinatione vero ſolæ digeſtioni incumbendum; In vigore quidem utimur repellentibus mixtis cum digerentibus, non quidem, quia adhuc materia influat, in vigore enim ceſſavit fluxus, loquimur de vigore tumoris, non fluxionis, ſed propter digerentia, quæ cum calida ſint rurſus poſſunt fluxionem concitare, unde Gal. 5. ſimp. 10. In principiis inflammationum, quæ refrigerant, & adſtringunt, per incrementum vero tepida, & mediocriter conſtringentia. At in vigoribus quæcumque tum moderatè calefacere,

quando digerentia conveniant.

cere, laxareque, per declinationes verò, quæ tum calefacere, tum valenter discutere valeant. Et 1. de comp. med. per gen. 4. Cum in vigorem phlegmonis tumor pervenerit, pares invicem ait convenire posse potestates repellendi, ac digerendi, cum prius dixisset in principiis vim repulsoriam validiorem esse oportere, in augmento vero hanc nonnihil imminuendam, & augendam digerentem. Et Avic. quarta quarti, tract. 1. cap. 3. Et incipe cum repercussivis, deinde appone augmento cum intromissione mollificativorum, & humectantium cum repercussivis, & quantum procedit in augmento, procedas in actione mollificativorum paulatim, & apud finem, & statum, & ultimitatem tensionis fac vincere mollificantia; & fac ea pura.

Alia præsidia evacuantia partem.

Non solum autem repellentibus, atque digerentibus vacuatur redundans sanguis in phlegmone affecta particula contentus, sed & aliis auxiliis, quorum alia sensibiliter per ipsam partem affectam evacuant, cujusmodi est scarificatio: alia vero etiam sensibiliter evacuant, verum per proximas partes, ut est venæ sectio derivatoria: alia vero insensibiliter evacuant partem affectam, præterquam quod materiam digerant, & sunt ea, quæ faciunt, ut integræ, & sanæ partes attrahant ad se materiam in parte affecta contentam, cujusmodi sunt revulsoria præsidia absque evacuatione sensibili. Verùm non eidemmet materiæ omnia hæc præsidia conveniunt, sed impactæ jam in parte digerentia magis sunt opportuna, nec non & scarificationes, repellentibus enim non cedit impacta materia, neque ad venas potest retrocedere, reliqua autem auxilia materiæ, quæ nondum impacta est, conveniunt, quamvis & scarificationibus, & digerentibus etiam possit evacuari; cum enim adhuc in venis contineatur, ad proximas retrocedere potest, & ab his etiam ad remotiores, & ita repelli, & ad insignes partes attrahi haud difficili negotio potest. Hæc omnia vacuantia præsidia recensuit Gal. 13. Meth. 9. his verbis: Quoniam igitur momentum omne curationis laborantis phlegmone partis in redundantis in ipsa sanguinis vacuatione consistit, vacuatio autem hoc genus affectorum excogitata est duplex, aut translato ad alias partes, qui in ægra continebatur, sanguine, aut foris à corpore expulso, satius profecto est utraque uti, observantibus

Repellentibus non cedit materia impacta.

vantibus

vantibus diligenter, ne qua ex accidenti læſio ſequatur. Ergo cum gemina ſit dictarum evacuationum utraque quadruplex in univerſum oritur vacuantium auxiliorum genus. Translationis enim ſanguinis ad alias partes alterum genus eſt, ubi ipſa pars, quæ phlegmone laborat, ſanguinem abigit. Alterum, cum eæ, quæ integræ ſunt, ad ſe trahunt. Ejus autem, quæ extra educit, alterum ſenſibili effluxu, alterum ratione tantum contemplabili perficitur. Atque id, quod ſenſibili effluxu peragitur, alias per ipſam fit partem, in qua phlegmone reſidet, alias per ea, quæ unà cum hac aperiuntur. Neque exiſtimandus eſt Gal. voluiſſe omnia hæc præſidia cuilibet materiæ poſſe adaptari, cum aliàs docuerit, neque repellentibus cedere materiam impactam, neque omninò aliò poſſe transferri, ſed cum allata limitatione intelligenda eſt ejus ſententia.

Si inflammatio ſuppuret, quid agendum.

Si verò inflammatio ſignum ſuppurationis præbuerit, tunc adjuvanda erit ſuppuratio aliquo cataplaſmate ſuppurante circumſitis partibns appoſito. Unde Gal. 2. ad Glauc. 2. Quòd ſi pus in particula ſe oſtenderit cataplaſma offerre oportet ſemel, aut bis; ſed hoc jam nimis excedit limites noſtri inſtituti, hoc unum admoneo, ſi materia ſuppurata per vulnus expurgetur, alioqui enim digerentibus non cedens, congrua ſectione eſſet educenda, quod quidem ex copioſiori per vulnus puris exitu cognoſcitur, deligatura expreſſiva opus eſſe, & ſpleniis, vel ſpongiis, quibus melius fiat expreſſio, appoſitis ad radicem abſceſſus, & ſuppuratas partes, & incipienda deligatio à parte ſana, ducendoque ad vulnus; non tamen hoc fit, priuſquam mollita, & ſedata fuerit inflammatio. Unde Hip. lib. de ulcer. Quæcunque verò ex caſu, aut alio quopiam modo diſſecantur, & contunduntur, & intumeſcunt ita, ut vicinæ circumcirca partes ſuppuratæ pus de tumoribus per ulcus egerant, in talibus quicquid cataplaſmate opus habere viſum fuerit, non ſuper ipſum ulcus cataplaſma ponere oportet, ſed ſuper circumſitas partes, quo pus decidat, & indurata molliantur. Poſtquam autem mollita fuerint, & inflammatio ſedata, ſpongiis ſuper ea, quæ abſceſſerunt deligatis, compeſcito, initio à parte ſana facto atque ita procedendo.

Sed tempus eſt, ut ea proponamus, quibus tum repellere, tum

tum digerere, seu discutere liceat, de repellentibus tamen superius egimus, de inhibenda fluxione pertractantes. Quibus addere licet emplastrum Avic. ex granatis vino adstringente decoctis, quod optimum est, si præsertim rosaceum permisceatur. Item emplastrum ex foliis portulacæ, & plantaginis vino adstringente, vel posca, vel etiam lacte doloris ratione decoctis, additis pulveribus rosarum, santalorum, corticum granatorum, sumach, rosaceo, atque hordeacea farina, item emplastrum ex lactuca, lenticula palustri, solano, blito, sempervivo majori, lacte decoctis, addito pulvere rosarum rubearum, & foliorum, & baccarum myrthi, & sem. sumach, nec non & oleo rosaceo, vel violaceo, ac suf. quantitate farinæ hordeaceæ. Item emplastrum ex sempervivo, & corticibus malorum punicorum in vino decoctis, & sumach, & farina hordei compositum, quod à Gal. proponitur 2. ad Glauc. c. 2. Emplastrum quoque diachalciteos, diapalma vulgo appellatum, quod tamen vinum austerius, ætate medium, substantia non crassum, sed quam maximè fieri potest, lucidum, ut sit tenuiorum partium, receperit, ut monet Gal. 1. de comp. med. per. gen. 4. Ut autem vinum ab emplastro recipiatur, liquefacto medicamine, vinum infundito, dicebat Gal. ibidem, manibus conterens, dum excipiatur, temperetur que nec humidum fluctuet, quod non contuso, & emollito pharmaco mixtum sit. Valet etiam idem pharmacum, ut ibidem testatur Gal. si rosaceo liquetur, præsertim omphacino, vel myrthino oleo, aut si receperit succum hyosciami, aut mandragoræ, aut solani, aut lactucæ, vel lenticulæ palustris. Sæpissimè autem usus sum fœlicissimo cum successu unguento, & cerato albo. Iterum tamen moneo, quando urget dolor, iis utendum esse, quæ repellendi, quod influit, sine dolore vim habeant, & propterea si ob tensionem dolor urgeat, quæ nimis adstringunt, sunt fugienda, ut quæ partem tendendo, atque cogendo majorem dolorem concitent. Unde Gal. 1. de comp. med. per gen. 4. Nam tales affectus, de rheumaticis morbis loquebatur, ne quidem ferunt nimis adstringentium impositionem, ut à quibus dolore, ac tensione molestentur, & 2. ad Glauc. 2. Quæ enim vehementer intendunt, atque idcirco dolorem afferunt, plus obsunt, quam exsic-

Repellentia.

Fugienda nimis adstringentia.

exſiccando proſint: quare quæ repellendi gratia adhibentur, urgente dolore non ſolùm refrigerantia ſint oportet, ut ſuperiùs ex Gal. dicebamus, ſed etiam anodyna.

Quæ verò digerere impactum jam ſanguinem valent, omnia calida ſunt, & tenuium partium, talia enim ſanguinem attenuant, & in vaporem vertunt, atque cutim rarefaciunt, ut difflare is vapor facile poſſit. Non eadem autem caliditas cuilibet digerendæ materiæ eſt conveniens, & in qualibet parte, & in quolibet corpore, nam materia calida, ac tenuis, & in ſuperficie corporis exiſtens, & in parte rara, & rari, ac mollis habitus corpore, moderatè calidis diſcutitur, at frigida, & in profundo corporis, exiſtens, & cute denſiori obtecta, & in denſi, ac duri habitus corpore calidiora requirit, ac etiam, quæ exſiccandi vim habeant, ut penitus poſſint materiam contentam abſumere, tum ſiccitate, ut dicebat Gal. 5. de ſimp. med. fac. c. 4. materiam ebibendo, tum caliditate totam alterantia partem. Et proptereà Gal. 9. de ſimp. med. fac. cap. de paronychia, hujuſmodi ſtatuebat eſſe ex tertio ordine calefacientium, & exſiccantium cum partium tenuitate, quæ tamen in craſſa materia ableganda ſunt, ut quæ, quod ſubtile eſt digerant, craſſum verò ad lapidoſam duritiem convertant. Et propterea Gal. 5. de ſimp. med. fac. cap. 8. in induratis affectibus à craſſo, & lento humore congelato ſatis eſſe dicebat, ſi ſint ſecundi, aut tertii ordinis excalefacientium, primi exſiccantium. Hinc Gal. digerentium medicamentorum duo genera conſtituit, quorum primum leniora continet, quæ areotica vocat, & ſunt moderatè calida, parùm, aut nihil ſicca, vel etiam non nihil humida, ac prætereà tenuium partium, quæ materiæ tenui diſcutiendæ ſunt apta, non in profundo poſitæ, neque dura, ac denſa cute obtectæ, cujuſmodi ſunt flores camæmeli, ac meliloti, anethum, fænugrecum, ſemen lini, crocus, althea, farina hordei, orobi, lupinorum, furfur, vinum dulce, aut ſubdulce, ſapa, oleum camæmelinum anethinum, ſeminum lini, liliorum alborum, cheirinum, & hujuſmodi; talia enim præter quam quod materiam attenuant, cutim etiam laxant, ac rarefaciunt, ut promptiſſimè perficiatur digeſtio. Alterum verò genus fortiora continet, quæ diaphoretica appellat, & efficaciter

Digerentia qualia.

Digerentia leviora.

Digerentia fortiera. caciter calefaciunt, atque exſiccant cum tenuitate partium, ut eſt oleum rutaceum, laurinum, de terebinthina, hypericinum, balſamum artefactum, ammoniacum, bdellium, galbanum, opopanacum, ſulphur, oleum vetus, medullæ veteres, & adipes, præſertim calidorum animantium, & hujuſmodi: igitur ſummis partibus inflammatione affectis, leviora ſufficient, materia enim non eſt in profundo corporis, ac præterea calida eſt, nec craſſa valdè, ut levioribus diſcuti valeat. Sed & ea ratione his uti debemus, quod, quæ calidiora ſunt, acrimonia non vacant, & propterea dolorem inferunt, & rurſus phlegmonem concitant, digerere enim ita per halitum debemus, dicebat Gal. 5. de ſimp. med. fac. c. 12. ut morſus abſit, unde Gal. lib. Art. med. c. 95. Maximè verò evacuabis, ſi in ſpatiis intermediis aliquid contineri conjectura aſſequeris, & ſcarificationum auxilio, & medicaminum, quæ vim habeant diſpergendi.

Sed quoniam omnia diſcutientia vires calidas habent, ejus vero temperaturæ effectus eſt mordere, quando caliditatis modum exceſſerint, cavenda ex eis ſunt vehementiſſimè calida, ac tum præſertim, cum patiens locus in ſuperficie fuerit, neque enim paucus excitabitur dolor, ſi præter proprium affectum inſuper mordeatur, omniſque præterea dolor fluxiones commovet. Quod igitur mediocrem caliditatem obtinet, in his ſenſum doloris non invehit, atque eo amplius omni dolore vacat, ſi humidum extiterit. Et quidem quicquid per ſumma hæret, potens eſt id medicamen diſpergere, quod etiam validas non habuerit ad diſpergendum vires. In levioribus igitur affectibus ſæpè ſufficit inunctio ex oleo camæmelino, liliorum alborum, atque anethino permixta idonea repellentium quantitate. Quòd ſi hæc non ſufficiant, parari fomenta poterunt, puta ex vino dulci in quo bullierint flores camæmeli, meliloti, roſarum rubearum, anethum, fœnugræcum, & hujuſmodi, vel cataplaſma, aut emplaſtrum ex ſapa, vel vino dulci, & furfure, addito oleo camæmelino, vel anethino, & repellentibus. Aliud etiam parari poterit ex granatis dulcibus vino dulci decoctis, addito aliquo ex dictis oleis, & hordeacea farina. Item aliud ex farina hordei, orobi, lupinorum, & oxymelite, addito aliquo ex dictis oleis. Frequen-

quentissimè autem utor, & fœlici cum successu emplastro confecto ex floribus camæmeli, meliloti, necnon & anetho, & fœnugræco, & ejus seminibus, & lini seminibus ex vino, vel aqua decoctis, prout magis, aut minùs digerere voluero, & lacte etiam, si dolor urgeat, & quando cupio, ut & aliquid repellentis habeat, addo flores rosarum rubearum, plantaginis folia, & hujusmodi, vinumque adstringens accipio; his adjungo oleum camæmelinum, anethinum, liliorum alborum, & repulsionis gratia rosaceum, & myrthinum. Demum cum hordeacea farina emplastrum conficio, cui vis inest digerendi, atque repellendi, & insuper dolorem sedandi; fœlici etiam cum successu sæpè usus sum cataplasmate ex hordacea farina, floribus camæmeli, & posca aquosa, addito rosaceo, & violaceo oleo. At inflammatis, quæ in profundo sunt, partibus, fortiora discutientia convenient, à quibus dolorem haud timemus, eo quod summæ partes sint sanæ, sicuti & quando nimis densa cute materia tegitur, & omnino pars densa, ac dura est affecta; non enim satis est considerare, quanta sit medicamenti vis, atque efficacia, & eam ad digerendam materiam conferre, sed insuper necessarium est perpendere, quanta futura sit vis medicamenti, ubi ad partem affectam pervenerit; in itinere enim vis ejus exolvitur. Unde Gal. 13. Meth. 19. Ex laborante etiam loco didicimus, quod quæ in summo corporis phlegmone laborant, ea propriis phlegmone remediis curantur, quæ in alto sunt corpore, si cum his aliquod acrium medicamentorum sit immixtum; resolventur enim eorum vires, dum altè descendunt. Quod etiam diffusius tradidit 2.ad Glauc. 2. Et 13. Meth. 5. Et aliis in locis. Calor quoque difficilius in partem duram, ac densam se se insinuat, quàm in raram, & mollem, & propterea fortiora convenient affecta parte dura, ac densa, quàm rara, & molli, & eo magis, si in profundo extiterint. Unde Galenus libro Art. med. capitulo nono: Quòd si summæ quidem partes omni noxa caruerint, id verò, quod evacuari oporteat, in penitioribus partibus fuerit, intendendus, atque augendus dispergentis medicaminis calor, cum dubitandum sit, ne priusquam profundas attigerit partes, interim vires amittat. Neque tamen ex eo superiores partes aliquem dolorem sentient,

tient, cum omni vacent affectu. Quare nunc hæc duo simul invitant ad calidorum pariter, & acrium medicaminum usum, & summæ partes, quæ tolerant, & profundæ, quæ egent. Et paulo inferius: Affectæ partes, in quibus fluxionis superfluitas retinetur, nonnullæ quidem igitur raræ, & laxæ, & molles natura existunt, nonnullæ autem densæ, ac pressæ, ac duræ. Priores igitur facile evacuantur, reliquæ autem acrioribus evacuantibus, ac præterea tenuiores partes habentibus indigent, atque eo etiam magis, quanto profundiorem situm habuerint. Illud autem animadvertendum est, cum summis partibus laborantibus applicari debeant medicamenta, quæ dolorem non inferant, quando cataplasmatis, aut emplastris uti proponimus, non solùm non esse applicanda dura, verùm nec talia, quæ ex calore partis exsiccata possint dura evadere; talia enim partem exasperant, comprimunt, atque contrahunt, & sic dolorifica existentia, ut dicebat Gal. 13. Meth. 5. rursus phlegmonem in ægra parte excitant.

In inflammatione partis præcipuæ adstringentia permiscenda sunt cum digerentibus.

Si verò pars inflammatione obsessa fuerit aliqua ex præcipuis, quarum opere, vel etiam virtute aliæ partes indigent, cujusmodi sunt hepar, lien, ventriculus ne à resolventibus virtus eorum exoluatur, quæ consistit etiam in compage, & firmitate solidæ earum substantiæ, atque spiritibus, adstringentia erunt admiscenda, quæ substantiam solidam firment, ac tueantur, & spirituum dissipationem prohibeant. Sed, quoniam talia sibi ipsis viam præcludunt, ut penetrare valeant, aliqua tenuium partium, cujusmodi sunt aromata, erunt permiscenda, nisi ipsa aromata fuerint, cum enim talia subtilium sint partium, vim adstringentem ad partem ducunt; sicuti & à valde refrigerantibus cavendum est, dum repercussioni incumbimus, ut quæ nativum calorem extinguunt, immo & ab actu refrigerantibus: quod quidem prius docuerat Gal. 2. ad Glauc. 2. clariusque lib. Art. med. 95. sumens exemplum à jecinoris phlegmone his verbis: Sed præter supradictas alia est indicatio ab hepate ipso, veluti à venarum principio, nam cum non tantùm seipsum regere natura aptum sit, ut pleræque animalis partes, sed venis præterea virtutem largiatur, periculum imminet, ne si ejus vigor madefacientibus, ac relaxantibus cataplasmatibus fuerit resolutus, & ipsum primum ad

ad ſui opus, atque omnes ſubinde venæ ejus ratione imbecilles efficiantur. Quare in ejus curationibus aliqua ex adſtringentibus medicaminibus miſcere oportet. Sed quoniam in profundo admodum loco ſitum eſt, dubitandum erit, ne adſtringentis medicaminis vis debilitetur, niſi ab aliqua alia ſubtilium partium ſubſtantia, qualis aromatum eſt, traducatur. Melius verò fuerit, ſi & ipſum adſtringens medicamen unum protinus ex aromatum genere fuerit: nam ſi duas habuerit natura inſitas qualitates, ac poteſtates, valentiùs operabitur. Valdè refrigerantia timuit Gal. 2. ad Glauc. 2. actu refrigerantia 13. Meth. 12. Partibus ignobilibus, ut quæ circa articulos ſunt, actu refrigerantia poſſunt applicari. At ſi jecur phlegmone laborare cæpit, actu frigida non ſunt applicanda, quæcunque ea ſint. Aliud etiam nobis obſervandum eſt in electione medicamentorum, quibus utamur, tum ad repellendum, tum ad diſcutiendum in inflammatione, & illud natura partis ſuadet; cum enim ex partibus quædam ſint, quæ acutiſſimi ſunt ſenſus, in iis cavere oportet, quæ acria ſunt, non ſimpliciter tantùm, ſed in reſpectu ad eas partes, & omnino mordere poſſunt. Unde ut in inflammatione oculorum, non quæcunque admittimus repellentia, ſed mordacitate carentia, ut lac, aquam roſaceam, albumen ovi, ſief album ſine opio. Similiter neque reſolventia, ſed citra mordacitatem, ut eſt fœnugræcum, althea, flores camæmeli, anethum, nec etiam quacumque forma, pulveres enim, niſi fuerint tenuiſſimi, aſperitate dolores concitant, ſed parato ex eis, exempli gratia, decocto ſub forma fomenti. Patet ergo & à partis ſubſtantia, ut animadvertit Gal. lib. Art. med. cap. 95. & 2. ad Glauc. 2. Et 13. Meth. 11. & 12. & à poſitu, ac dignitate partis ſumendam eſſe indicationem in topicorum auxiliorum electione. Verùm & partis conformatio, ut ibidem ſuadet Gal. quomodo derivandus ſit humor in inflammata parte contentus, nos docet, ex ea enim cognoſcimus, partes hepatis convexas per urinam magis evacuari, concavas verò per alvum. Et renes per urinam, uterum per venæ ſectionem in maleolo, aut talo, & menſtrua: cerebrum per venam in fronte ſectam, aut hirudines poſt aures affixas, item per palatum, aures, & nares, & ſic de reliquis. Scarificationes, quas etiam ſuperius

proposuimus tanquam remedium ad evacuandum sanguinem in particula phlegmone obsessa contentum, palam est, in partibus exterioribus solummodo locum habere posse. Nostris tamen temporibus ferè exoleverunt, neque enim, nisi quando inflammatio gangrænam minatur, iis uti consuevimus. Si cui tamen placuerit iis uti Gal. auctoritate fretus; eas enim citatis jam locis proponit, & ratione ipsa ductus, animadvertat eas non convenire, adhuc perseverante fluxione, & nisi sublata sit fluxionis materia; plus enim esset id, quod attraheretur ad partem, quam quod evacuaretur. Unde Gal. 2. ad Glauc. 2. Sic & aliud quolibet membrum patiens scarificamus, si non amplius humores influant (tunc enim magis humores irritaveris, ac malum duplicaveris) sed quando jam totum corpus expurgatum fuerit, neque jam aliquid influit, aliquid verò, quod pridem fluxerat, in membro continetur. Et 13. Meth. 5. Ubi distentæ vehementer glandulæ sunt, vel alia denique particula inflammata, cogimur toto corpore prius evacuato, ipsum scarificare. Scarificationes verò neque valdè profundæ esse debent, neque nimis superficiales, sed mediocres. Si inflammatio fuerit erysipelatis particeps, magis refrigerandum, quam si simplex esset inflammatio; in erysipelate enim, ut dicebat Gal. 13. Meth. 8. refrigerationis indicatio vacuationis indicationem superat, cum in phlegmone res è converso se habeat. Unde & 14. Meth. 7. Erysipelas ampliorem refrigerationem exposcit, quam inflammatio. In œdematosa verò inflammatione è converso minus refrigerandum, quam in phlegmone propter materiæ frigiditatem. At in scirrhosa non solùm minus refrigerandum, verùm etiam emollitioni studere oportebit. Quæ victus ratio sit servanda, parte vulnerata inflammatione obsessa, ex iis est manifestum, quæ superius dicta sunt generatim de victus institutione in vulneratis. Quæ spectant ad partium inflammationem, in particulariori tractatione prosequemur, ubi materias medicas cuilibet parti congruentes recensebimus.

CAPUT

CAPUT LXVII.

De sorditie, ac putredine, & corruptione in vulneribus.

NOnnunquam evenit, ut in vulneribus puris illius laudabilis vice generentur copiosæ sordes, crassæ adeò, & viscidæ, ut difficulter à parietibus vulneris amoveri possint, in quas etiam sordes interdum abeunt carnosæ ipsæ partes. Aliquando purulenta materia variæ consistentiæ, & pravi coloris in multa copia ab ipsis vulneribus profluit, ut & caro ipsa, & molliores omnes partes colliquari videantur, & in graveolentem putredinem secedere. Sæpè etiam caro ipsa flaccida, & mollis, immò crustosa, cadaverosa, & putrescens visitur, à qua pravi, & fœtidi vapores elevantur, via profectò ad sphacelum; is enim si ulterius malum progrediatur, subsequitur.

Quòd vulnera fiant talia, in causa est, aut corporis plenitudo, aut cacochymia insignis, aut aëris pravitas, aut vulneratæ partis intemperies, vel plura ex his. In sanguinis enim plenitudine dum major transmittitur sanguinis copia ad vulneratam partem, quam ab ea confici aliquo modo possit, calor nativus partis opprimitur, ut ab ipso regi nequaquam possit tanta sanguinis quantitas, quare non potest non putrescere, cum præsertim ab eo viæ obstruantur, & modò in saniem virulentam abire, modò etiam calorem ex parte suffocando impedita transpiratione esse in causa, ut ipsa partis substantia corrumpatur, & cadaverosa fiat. In cacochymia verò insigni partim languet calor naturalis ob penuriam boni succi quo fit, ut quantitate sit paucus, partim etiam à pravorum succorum copia opprimitur, unde cum non desit excrementorum materia, multa necessariò generantur, & ea putrida, ac virulenta ob agentis, ac materiæ vitium, & pereunte ipso partis calore, ipsa quoque partis substantia corrumpitur. In aëris pravitate, quot mala sanis etiam corporis partibus adveniant nemo ignorat. Quid ergo existimandum est posse accidere parti vulneratæ ab aëre pravo, inquinato & putrido? Profectò tangens partes proprio, & naturali tegumento destitutas, nativum partis

Causæ.

 calorem

calorem corrumpet, & eas putreſcere coget, ſed & humores corrumpit, & ſpiritus inficit. Hinc videmus in malis aëris conſtitutionibus, & in peſtilenti potiſſimum aëre ex minimis vulneribus corruptiones maximas contingere, & ægros celerrimè interire.

Ob intemperiem verò partis languet ejuſdem nativus calor, accedente itaque vulnere major redditur imbecillitas partis, ut ob id ad ipſam omnia ſupervacua promptè tranſmittantur, quæ ipſius potentiam magis dejiciunt. Aëris quidem vitium morbi populariter graſſantes, iidemque lethales oſtendent. Plenitudinem verò, & cacochimiam propria ſigna oſtendent quæ modò recenſere eſſet ab re. Intemperies partis, ſi conſiderabitur, quomodo conſtitutum eſſet corpus antequam vulnus infligeretur, haud facili negotio innoteſcet.

Signa cauſarum.

Præſagia.

Quando hæc vulneribus ſuperveniunt, timendum eſt ægrotanti, putredo enim facilè ſerpit, & pars emoritur. Sæpè etiam communicatur venis mala putredo, quæ ægrum tollit.

Curatio.

Sordities deterſoria poſtulat, & ea quidem validiora, quo & ipſa fuerit major: ſed & cauſæ habenda eſt ratio, unde roborandus eſt partis calor, plenitudo tollenda, ſi adfuerit: ſi verò cacochymia fuerit in cauſa, purgandum eſt corpus. Pariter putredo mala, atque corruptio valdè exſiccantibus eſt corrigenda, calor partis eſt roborandus, diſſolutio ipſius prohibenda. Atque ſi aëris pravitas fuerit in cauſa, corrigenda, & contra eamdem muniendum corpus, ſi cacochymia, purgandum, ſi verò plethora, mittendus eſt ſecta vena ſanguis, levioribus enim præſidiis, & quæ longiori tempore id faciant, non eſt procuranda plenitudinis ſublatio imminente tam gravi affectu. Et quoniam, quæ præſentibus morbis facimus, iiſdem imminentibus ſunt adhibenda, ſi ex apparatu corporis hæc mala futura timuerimus, protinus toti conſulendum, eſt, parſque exſiccanda, & calor roborandus. Si verò ex aëris vitio, illud corrigendum, &, ne ab eo afficiatur corpus, providendum. Intemperies partis contrariis erit tollenda. Et quoniam de ſanguinis miſſione, atque expurgatione, & omninò de totius providentia aliàs tractatum eſt, hic tantùm ea proponemus, quibus aëris vitium corrigi poſſit, & contra idem

corpus

corpus defendi, vel ab eodem etiam liberari, nec non & quibus ſordes abſtergere, & putredini, ac corruptioni partis reſiſtere, &, quæ preſens eſt, emendare valeamus.

Corrigentia aëris pravitatem. Ad aëris igitur vitium corrigendum valebit pavimenti irroratio ex aceto, & aqua roſ. & florum citri, ac myrthi, aceto etiam, vel aqua, aut vino infundi, vel incoqui poterunt roſarum folia, lavendulæ flores, lauri, & juniperi baccæ, cortices citri, aurantiorum, & eorundem ſemina; pariter ſcordium, pimpinella, meliſſa, cinnamomum, gariophilli, nux miriſtica, camphora, ſantali, radices angelicæ, cyperi, calami aromatici, & hujuſmodi, & ex infuſo hoc, vel decocto pavimentum irrorari. Suffumigia maximam vim habebunt ad aërem expurgandum. Confici autem poterunt ex ladano, ſtyrace, benzoino, thure, gummi juniperino, baccis lauri, atque juniperi, corticibus, & ſeminibus citri, atque aurantiorum, gariophillis, nuce moſchata, cinnamomo, ligno aloës, camphora, ſantalis, radicibus angelicæ, ſtyraci liquida, moſcho, & ambra, terebinthina, vel abietina lachryma, aut tragacantha, aqua roſarum diſſoluta exceptis, quantum videlicet ſit ſatis, ut trochiſci, vel paſta, pro ſuffitu poſſit conſici. Ex iiſdem, & aceto, vel roſ. aqua, aut utroque parari decoctum poterit, ſuper ignitum ferrum, aut candentes lapides infundendum. Æſtate tamen frigidiora potiùs convenient, hieme vero etiam calidiora locum habebunt. Ne vero aëris pravitate ita afficiatur vulneratus, ex jam dictis, addita inſuper theriaca, vel Mithridatio parabitur pomum odorandum. Non minus ex uſu erunt epithemata, & alia, quæ propoſuimus ad inhibendam malam putredinem Capite de Alterantibus.

Abſtergentia. Sordes abſtergentur lotionibus ex aqua ſalſa, vel lixivio addito melle roſaceo, & pauco Ægyptiaco, vel ex lixivio, in quo bullierint abſinthium, marrubium, apium, centaurium utrumque, myrrha, aloë, & hujuſmodi, addito melle roſaceo, & etiam Ægyptiaco, item unguento Iſidis, Apoſtolorum, pariter mundificatorio illo parato ex terebinthina, melle roſ. farina hordei, & lupinorum, ſucco apii, & abſinthii, quod erit fortius, ſi eidem pro qualibes uncia addatur ſcrupulus, vel ſemidrachma præcipitati. Egregiè inter ſimplicia abſtergunt utrumque veratrum, hermodacty-

dactylus, nitrum, cornucervi ustum, leviora sunt aquæ thermales salsæ, & nitrosæ, aloë, myrrha, terebinthina, aristolochiæ utriusque radix, marum, marrubium, apium, absinthium, utrumque centaurium. Herba regina appellata præclarè abstergit. Ex his varia componuntur medicamenta, quibus in contumacioribus sordibus adduntur & cathæretica appellata, ut cinis tartari, æs viride, præcipitatum, calcanthum rubificatum, & hujusmodi. Subsequens pharmacum præclarè abstergit.

Abstergentia composita.

℞. *Succi herbæ reginæ un. vj.*
Infus. rosar. simpl.
Succi apii ana. unc. iij.
Mellis optimi lib. j.

Misce, & bulliant simul ad electuarii consistentiam, tunc adde
Cornu cervi usti
Myrrhæ
Aloes
Farinæ lupinorum
Herbæ ræginæ ana drach. ij.
Veratri nigri drach. j.

Misce. Non leviter abstergit syr. ex melle, & succo herbæ reginæ confectus, isque, si addatur terebinthina, & farina hordei, ac lupinorum, & alia ex suprapositis erit præstantissimus. Pulvis confectus ex æquis portionibus myrrhæ, aloes, farinæ lupinorum, centauri minoris, rad. aristolochiæ, & veratri nigri nec non & cornucervi usti, præclaram operam præstat, cui in contumacioribus sordibus addetur præcipitatum,

Verùm in usu horum abstergentium animadvertendum, ut, quam primum vulnus à sordibus purum est redditum, ab eorum usu desistamus, quæ vehementer abstergunt, carnem enim, quam antea sordes protegebant, morderent, & colliquarent, cavitatemque majorem redderent, ut dicebat Gal. 2. de comp. med. per gen. cap. 22. sed & dolorem concitando fluxionem advocarent, caro enim pura mordacitatem medicamentorum statim experitur, at quando sordibus tegitur, ad eam non pertingit medicamentorum mordacitas. Unde & Gal. 4. de comp. med. per gen. cap. 2. Præterea notandum venit pura ulcera ab iis medicamentis,

mentis, unde prius, cum essent sordida, nihil rosionis percipiebant, (sordes, & humiditatis copia id genus ulceribus incumbens, ut idemmet Galenus dicebat eodem lib. cap. 1. veluti propugnacula quædam ulceratis partibus facta rosionem valentibus pharmacis adimunt, solvuntque) nunc erodi, morderique. Quæ causa est, ut à valentioribus abstersoriis pharmacis ad mitiora levioraque digrediamur, ubi ulcus adamussim purum invenerimus. Quemadmodum rursus in sordidis ad magis abstergentia transimus, nisi ex rosione sordida apparuerint. Hoc siquidem Medicis etiam bonis existimatis nonnunquam imposuit, ut ad abstersorium valentiùs, acriusque se conferrent: unde iterum ulcus erosum, ex æquo sordidum, vel etiam magis adhuc, altera solutione visum fuerit, carne, quæ id fœdat, à medicamento colliquata: nam ita in pravam saniem degenerat colliquata caro: cæterum quicquid in his ipsis tenuioris substantiæ est, à pharmaco difflatur, reliquum ibidem ulceribus infixum sordida ipsa reddit.

Putredinem vero, & corruptionem prohibent lotiones ex aqua salsa, oxycrato, aqua ardenti, si præsertim Ægyptiacum unguentum addatur, quod quidem ad hanc rem est præstantissimum, & quando vulnus est patens, ipsum solùm adhibitum, sic ut tangat omnes vulneris partes, modò natura vulneratæ partis illud admittat, optimè corruptionem non solùm prohibet, verùm etiam sistit. Acetum sale permixtum egregiè corruptionem emendat. Unguentum Isidis & ipsum, seu Apostolorum, & Damascenum, addito præsertim præcipitato, aut calcantho rubificato valdè probatur. Extrinsecus tamen apponendum est aliquod medicamentum, quod vim habeat calorem roborandi, ejusque dissolutionem prohibendi, nec non & exsiccandi, atque putredini resistendi: quare in vino optimo, vel aceto, vel oxycrato incoqui poterunt rosarum folia, santali, folia rorismarini, flores camæmeli, & lavendulæ, & citri, scordium, & hujusmodi, & eo decocto æstate quidem tepido, hieme verò actu calido imbuta lintea extrinsecus parti apponi poterunt. Maximè etiam ex usu est emplastrum ex farina hordei, orobi, lupinorum, atque oxymelite additis camæmeli floribus, & rosis rubris siccis, ane-

Inhibentia putredinem & corruptionem.

tho, fœnugræco, myrrha, & radicibus ariſtolochiæ longæ, nec non & oleo roſaceo, maſtichino, & camæmelino. Iiſdem licebit præſentem putredinem,atque corruptionem corrigere. Verùm ſi his ſiſti haud poſſit, ad validiora erit confugiendum, & ad ea interdum, quæ ipſius ignis vires habeant, immo & ad ipſum ignem, quando hæc non ſufficiunt, immo & ad ipſius partis ſectionem. Unde Galenus ſecundo ad Glauc. 2. Omne ulcus, dicebat, ſive ſponte, ſive ex percuſſione factum fuerit, exſiccari deſiderat, ut inquit Hippocrates non aſpero, hoc eſt non mordente, neque vehementer irritante præterquam ubi malignum, & cum putrilagine fuerit, talia enim acriora expetunt medicamenta, & quæ ignis vires habeant, qualis eſt miſy & calcithis, & arſenicum, & calx, & ſandaracha; etenim non aliter quam ignis adurunt medicamenta hujuſmodi; ſæpius verò ubi iſta ceſſerint, ipſum ignem adhibemus. Er Avicenna quarta quarti, tract. tertio capitulo nono: Et iterum cum hujuſmodi ulcera ſuperfluunt ea corruptione, fit neceſſarium, ut evellantur cum cauterio, cum igne, aut cum medicamine acuto, aut cum inciſione, ut non remaneat, niſi caro ſana. Si igitur prædictis haud inhibeatur corruptio, adhibendum erit Ægyptiacum, cui pro qualibet libra additæ fuerint tres drachmæ arſenici ſublimati, & ſemuncia calcanthi rubificati, quod nunquam me fefellit. Et ſi vulnus fuerit profundum, diſſolvi poterit cum vino, vel aqua ardenti, & injici. Aqua etiam plantaginis, in qua ſal copioſum, & præcipitatum, vel etiam ſublimatum bullierit, non mediocres obtinet vires. Aut ſi eidem addatur oleum ex calcantho, quod per ſe adhibitum maximas corruptiones ſiſtit, ſicuti & ipſum arſenicum, quod in genere medicamentorum eſt ultimum. Trochiſci Andronis, Polyidæ, atque de minio mediocria excedunt.

Si medicamentis igitur inhiberi corruptio nequeat, ad ipſum ignitum ferrum eſt deveniendum. At ſi adhuc ulterius malum procedat, ut ſervemus, neceſſe eſt, ut partem præcidamus. In uſu horum medicamentorum, quæ ignis vires habent, cavendum eſt, ne, quod ab illis provenit, corruptioni perſeveranti tribuamus; cum enim partis calor ſit valdè debilis, hujuſmodi medicamenta non parvam carnis portionem cadaveroſam reddunt. Quod

ſi in

ſi in uſu medicamenti perſiſtas, corruptionem ulterius ſerpere exiſtimans, integram partem facilè corrumpes. Ubi ergo ſemel, aut bis talia medicamenta admoveris, ſuppurantia adhibe, permixtis exſiccantibus, quæ te admonebunt, quo in ſtatu ſit res; nam ſi effectus medicamenti id fuerit, in eodum ſtatu dempto ſuppurante partem comperies, in quo erat, quando ſuppurans adhibuiſti, unde & in eodem perſeveres, donec emortua caro decidat, at ſi corruptio ſerpat, corruptiouem inveniens majorem.

CAPUT LXVIII.

De ſupercreſcente carne.

SI vulneri caro ſupercreverit, quod contingere ſolet, quando diutius, quam par ſit, vulneris detectio differtur, medicamentumque humidum nimis applicatur, non unus tunc eſt morbus, ſed duo, vulnus ſcilicet, & caro ſupercreſcens. De vulnere jam dictum eſt. Nunc de aucta carne pertractandum, quam morbum eſſe in aucta magnitudine conſtat. Unde Galenus 3. Meth. 6. Eſt porro is quoque morbus, de hyperſarcoſi loquens, ex eo genere, quod in quantitate, magnitudineve partium ſpectatur.

Obiter tamen animadvertendum non ſemper ſuperfluam carnem eſſe morbum in aucta magnitudine; ſtat enim quandoque ſuperflua caro cum imminuta carnis quantitate. Hoc videtur paradoxum, & tamen eſt veriſſimum; id enim contingit, quando mala generatur caro ob malam carnis ſubjectæ temperaturam, vel ob pravum ſuccum affluentem, ut in ulceribus malis, & cancroſis licet obſervare: nemo non aſſerit ſuperfluere tunc carnem. Sed quomodo dici poteſt aucta quantitas naturalis carnis, cum deficiat naturalis caro ad explendam cavitatem? Eſt ergo caro illa morbus in numero, non in aucta magnitudine; pars enim carnoſa minimè neceſſaria, immo noxia ſuperabundat, niſi velimus dicere nomen carnis etiam ad non naturalem ſe extendere, utpotè quæ vivens eſt, idcircò quamlibet carnis addictionem hujus rei reſpectu dici morbum in aucta magnitudine. Sed hæc

obiter. Superfluens igitur caro palam eſt ſui ablationem indicare, unde Gal. loco citato: Indica autem quæ præter naturam eſt, primam indicationem, quam etiam veluti metam inveniendorum remediorum diximus, ipſius ſcilicet exuperantis ablationem. Hanc natura, quamvis pleraque ad vulnerum curationem attinentia perficiat, efficere non poteſt, ſed id ſolius medicamenti eſt opus. Unde Gal. loco citato, at hæc ſola medicamentorum ope perficitur.

Abſumentia.

Quæ carnem abſumunt medicamenta, vehementer ſiccent oportet, ideo Gal. loco citato: Supercreſcentis carnis detractio non naturæ opera, ſed medicamentis perficitur, quæ vehementer ſiccent. Porrò proxima ſunt medicamenta hæc tum iis, quæ valenter detergunt, tum iis, quæ cicatricem inducunt. Sed quoniam non una eſt omnium natura, neque etiam eadem omnino ſiccantia in omnibus conveniunt, ſed in mollioribus natura corporibus, & partibus mitiora, in ſiccioribus ſicciora; namque & de his intelligi debet, quod dicebat Galenus loco citato, videlicet infirmiores, mollioreſque natura mitiora, validiores, ſiccioreſque valentiora poſtulare. Præterea inſpicienda adauctæ carnis cauſa, nam ejus quandoque in cauſa eſt copioſa humiditas aſſiduè fluens, ſeu quia totus ſanguis ſit tenuior, ſeu quia ad vulneratam partem, tanquam ad imbecilliorem, excrementa confluant, ideoque etiam ſiccantia ſint oportet juxta menſuram ſuperabundantis humiditatis, quæ quandoque ita contumax eſt, ut licet caro ſit modica, nequeat tamen à communibus extirpari, victa eorum vi ab ipſa ſuperflua humiditate ſi hæc inſpexerimus in aliis naturis, & in aliis caſibus, comperiemus à parvis exſiccantibus (ut tamen hæc parva ſiccantia in genere abſumentium carnem comprehendi intelligantur) interdum abſumi ſuperfluam carnem, aliquando validiora requiri, aliquando etiam ad ea, quæ veluti ignis, carnem deſtruunt, atque devaſtant, vel ad ipſum ignem, quod tamen rariſſimè contingit, vel ad manualem operationem, quæ novacula, aut forcipe perficiatur confugiendum eſſe.

Cauſæ ſupercreſcentis carnis.

Leviora igitur ſunt alumen combuſtum, pulvis hermodactylorum, radicum veratri nigri. Filamenta arida, & ſpongia inciſa inter hæc collocantur: verum ſi diligentius inſpiciatur, ab his

Detrahentia ſuperfluam carnem.

his non tollitur re vera ſuperflua caro, tolli tantùm videtur; contingit enim aliquando tumidulam eſſe carnem, eò quòd aliqua ſit humiditate imbibita, qua à filamentis, vel ſpongia exucta, vel abſumpta, ſubſidet caro, & videntur filamenta eam abſumpſiſſe, cum tamen non niſi humiditatem, quæ ſuperfluæ carnis ſpeciem efficiebat, abſumant. Fortius autem exſiccant ſi in aluminoſa aqua madefiant, dein exſiccentur; at alumen, & reliqua mox enarrata verè carnem abſumunt, leviter tamen, unde in multa ſuperflua carne, vel in contumaci humiditate parum, vel nihil proficiunt, ſed cogimur ad validiora aſcendere, videlicet ad ea, quæ carnem longius devaſtant, quæque ſeptica dicuntur, quorum cum duo ſint genera, ut monet Gal. 5. ſymp. 12. leviora videlicet, quæ extimam ſuperficiem non tranſcendunt, eò quòd ignea quidem ſint, & quandam vim cauſticam habeant, verùm paucam, atque tenuioris eſſentiæ exiſtunt, & ob id cathæretica, ſeu detractoria nuncupantur: & vehementiora, quæ propter fortiorem vim cauſticam, & minorem partium tenuitatem altius ſubeunt, & carnem uberius colliquant, relinquunt enim carnem veluti cadaveroſam, decolorem videlicet, laxam, humidiſſimam, parvumque dolorem excitant, in vulneribus raro ad hæc fortiora cogimur, ſed prioribus rem totam peragimus, ad ea autem pertinent unguentum Apoſtolorum, Iſidis, Damaſceni, Ægyptiacum, præcipitatum, alumen combuſtum, ærugo æris. His fortiora ſunt oleum calcanthi, aqua fortis Chymiſtarum, oleum ſulphuris, ut quaſi ad vera ſeptica accedant, auri pigmentum cum butyro præclaram operam præſtat, ſublimatum, realgar, & arſenicum ſunt extrema. Atqui in vulneribus plerumque priora ſufficiunt, & nullam vidi in vulnere carnem, quæ Ægyptiaco, atque præcipitato non fuerit eleganter detracta, ſi non una, iteratis ſaltem vicibus. Sed principem locum ipſi præcipitato deferimus, ſatis enim fortiter carnem abſumit, altius non ſubit, ut ob diuturnam moram vereri poſſimus aliquid mali ab eo, & citra dolorem effatu dignam operam ſuam præſtat. Rariſſimè cogimur ad uſum olei ex calcantho devenire: quod ſi fortiora ſeptica non conveniunt, ſeu potius neceſſaria non ſunt, tantùm minus quæ eſcharotica dicuntur, vehementiſſima vi cauſtica prædita, qua carnem urunt, *Septic 1.*

 non

non ſecus ac ignis, ob idque, ut ignis, eſcharam inducunt, à qua eſcharotica dicuntur, quod à maxima ſua caliditate, quæ in ſubſtantia craſſa, & terrea eſſentiam habet, obtinuerunt, & proindè pertinaciter agentia dolorem concitant maximum, veluti ſi ſtips carni infigeretur, quale eſt cauſticum ex aqua ſaponis paratum.

CAPUT LXIX.

De variis febrium generibus in vulneribus.

NOn unius generis ſupervenire conſueverunt vulneratis febres, aliæ ſiquidem ortum habent à ſpirituum agitatione, & effervеſcentia propter animi motus, puta iram, timorem, aut corporis: aliæ generationem puris conſequuntur, juxta illud Hippocratis. Dum pus conficitur dolores, & febres magis accidunt, quam confecto pure, aliæ inflammationem, aliæ corruptionem, & putredinem, aliæ denique apparatum morbificum; priores duæ ſunt diariæ, poſtremæ, putridæ, quæ inflammationem ſequuntur, modò diariæ ſunt, modò putridæ. Ab his nonnunquam in hecticam fit tranſitus. Primum ephemerarum genus ut plurimum ſtatim à principio accidit, alterum in puris confectione, videlicet circa quartam, nec tamen ſemper contingunt, ſed quandoque, ſicuti neque putridæ, quarum quidem quæ apparatum morbificum conſequitur, ſæpius quidem circa primos fit dies, aliquando etiam poſterius. Quæ verò putredinem, & inflammationem partis, ſolummodo quando putredo, & inflammatio eſt in parte. Verum quidem eſt quandoque ephemeram primo incipere, ſubſequique deinde putridam, ut à principio ſtatim etiam putrida ratione putredinis partis ſuperveniſſe videatur.

Quanti momenti ſit hæc tractatio.

Supervacanea omninò, & præter rem videbitur hæc febrium tractatio, cum alterius id ſit negotii: ſed qui vulnera quotidie tractant, & qui præſertim caſtra ſequuntur, quanti ſit momenti febrium in vulnerato cognitio, & ad præſagium, & ad ægrotantis ſalutem, optimè norunt; Quæſo ignorans, an febris, quæ ſupervenit vulnerato, ſit ex animi motu, an ex inflammatione, an

ex

ex apparatu morbifico, quomodo rectum poterit proferre judicium de ægrotantis salute, aut morte? Nonne scimus ab exiguis vulneribus secundùm propriam essentiam, & ratione partis affectæ mortem contingere? Subsecuta febre mali moris ob apparatum morbificum, quis malum eventum præsagiret, nisi cui natura supervenientis febris esset cognita? Si vulnerato in capite superveniat febris, quis rectum proferret judicium, ignorans, num ex animi affectu, an ex generatione puris sit genita, an potius ex inflammatione, vel cohibita sanie sub cranio? aut quomodo laboranti succurret, si unam ab altera non distinxerit? si quæ ob inflammationem, aut pus cohibitum, judicaverit à generatione puris, ut in pluribus magnis vulneribus fieri solet, ortum habere, quid erit de ægrotante? aut si quæ à generatione puris, vel exagitatione spirituum ob animi motus è converso judicaverit à retenta sanie subsequutam, nonne sectiones faciet & terebrationes inutiliter, & cum ægrotantis periculo? Decet igitur Medicum elegantem, qui methodo vulnera curat, seu potius vulnerati saluti consulit (non enim tantùm vulnus sanat, sed vulneratum etiam) non autem Empyricorum more negotium ægrotantis tractat, statim ac febris invadit, eam in suam causam referre, tum ut certius futura possit præsagire, tum etiam, ne aut, quæ fieri deberent, omittat, aut quæ minimè conveniunt, ea in ægrotantis detrimentum in usum revocet. Verum quidem est alterius esse negotii febrium doctrinam tradere, verum non cujuscunque est, quod de febribus alibi pertractatur, ad vulnera applicare, & multa etiam omittuntur in ea universali febrium tractatione, quæ hic particularius sunt exprimenda.

Vulnerato igitur à febre correpto, in id elaborandum, ut quam primum nota sit nobis febris illius natura, & ut ex ea vulneris status nobis innotescat, & percunctantibus assistentibus de futura salute ægrotantis, non temerè, sed maturè, & firmo nixi fundamento ex arte possimus eventum præsagire, aut quid de superveniente illa febre sit sentiendum. Et quoniam hectica rarissimè ad vulnera consequitur, sed tantùm ubi in ulcera permutantur, & longo temporis spatio, nisi forsan ob vulnus pulmonum, totum negotium ad id reducitur, ut dignoscatur, num febris

febris ſit ephemera, an putrida, & ſi putrida, an ob inflammationem partis vulneratæ, aut ſibi proximæ, & conſentientis ſupervenerit, an ob putredinem in parte vulnerata, vel alia, an ob apparatum morbificum contracta in humoribus putredine citra partis inflammationem. Multa à Gal. proponuntur primo de dif. feb. ex quibus poſſumus certò cognoſcere, num febris ſit ephemera, nec ne, in primis enim conſiderandum proponit omnem ephemeram fieri à cauſa procatarctica, ſed ut reliqua omittamus, conſideremus nos, quæ maximè locum habent in vulnerato, duplici enim de cauſa ſolent accendi in vulnerato, videlicet ex motu corporis, & animi, ira, ſcilicet, timore, mœſtitia, &c. poteſt etiam fieri ex dolore. Itaque prægreſſi motus tam animi, quam corporis vel etiamnum exiſtentes ſunt conſiderandi, atque cum ægrotantis natura conferendi, dein, ſi febris eoſdem ſtatim fuerit conſecuta, vel modico temporis intervallo, probabile eſt febrem illam eſſe de ephemerarum genere. Similiter ſi vehementi dolore, ac vigiliis fuerit agitatus, & ſubſequatur febris poſſumus ambigere, eam eſſe ephemeram. Sed quoniam & putridæ interdum à cauſis procatarcticis oriuntur, & interdum etiam mox inflicto vulnere ſubſequi poteſt inflammatio, à qua febris, hoc ſignum cum aliis quidem cenſendum eſt vim aliquam habere, per ſe verò parum admodum eſſe efficax. Unde ſi præceſſerit aliqua ex dictis cauſis, aut etiam modo perſeveret, conſiderandum, num febris genita ſit proportionalis illi cauſæ, & quæ in vulnerato conſpiciuntur, arguant illam cauſam. Non enim exiſtimandum eſt ab omnibus dictis cauſis eundem affectum provenire. Quibus ira fuit in cauſa febris, iis ob ſanguinis fervorem circa cor pulſus eſt magnus, creber, & vehemens, copioſiorque eſt calor, non tamen mordacior: oculi non cavantur, nec calor concidit, quamvis ſi vulnus fuerit inſigne, aut copioſa facta fuerit ſanguinis profuſio, ex hac una cauſa tum decolores reddi poſſunt, tum etiam iis poſſunt excavari oculi. Quibus verò mœſtitia, pulſus parvi ſunt, tardi, languidi, & rari, calorque non adeo copioſus, mordax, & acris. Si timor, iiſdem ferè pulſus erunt, qui triſtibus, niſi timor fuerit recens, aut etiamnum duret, tunc enim pulſus ſunt inæquales, inordinati, vibranteſque quodammodo.

Signa ephemeræ.

modo. Si cogitatio, corporis tenuitas, oculorum cavitas, & insolita decoloratio sunt majores, & manifestæ magis, quam in tristibus, utrisque tamen oculi sunt sicci. In omnibus etiam animi affectibus urinæ sunt decoloratiores. Ad vigilias verò oculorum sequitur cavitas, qui & calidiores sunt; isti quoque tumentes habent palpebras, easdemque tardè commovent, immo & subtumidam faciem, non resolutis vaporibus. Inflammatio si fuerit in causa febris ephemeræ statim à principio pulsus est magnus, celer, cum copioso, & miti calore, rubent maxillæ, albicat urina, ad locum inflammationis confluentibus succis. Si corporis motus, aderunt lassitudinis signa, vel ulcerosæ, vel tensivæ, vel phlegmonosæ, & sic de singulis. Sed ut certius innotescat, an ephemera sit, consideranda sunt alia generalia signa; cum enim ephemera sit citra humorum corruptionem, rationi quoque consonum est, neque in urinis, neque in pulsibus ullum apparere putredinis indicium, unde urina statim mingitur cocta (natura tamen peculiaris ægrotantis consideranda; quibusdam enim ob iram urina evadit subjugalis, ut inexpertes adducere possit, ut credant insignem subesse humorum corruptionem) & in pulsu non adest alia inæqualitas præterquam febrilis, nam dilatatio est major, & celerior constrictione, quod major sit necessitas attrahendi externum aërem ad attemperationem, quam expellendi fuligines, cum è contra in putridis febribus celerior sit constrictio, eò quòd major adsit necessitas expellendi fuligines à putridis humoribus ad cor elevatas, & non immutatur illa pulsus æqualitas per omne febris tempus: nam à principio usque ad statum sicuti æqualiter crescit calor, ita etiam cum æqualitate augetur pulsus, in putrida verò valdè differt pulsus principii ab eo, qui in augmento, statu, & declinatione deprehenditur, & vice versa. Et ubi febris recessit, protinus pulsus ad propriam redit naturam, cum tamen in putrida adhuc remaneat inæqualitas quædam in pulsu. Sed & caloris modus maximam vim habet id ostendendi: quamvis enim augeatur calor in ephemeris, attamen hic calor aliarum febrium respectu suavior est, & mitior, & vaporosior, nec solùm primo manus occursu, sed posterius etiam. Amplius febres ephemeræ id habent, ut parum sint mo-

lestæ, immò facilè per omne tempus tolerantur, & ubi recesserint, nihil relinquunt, de quo conqueri possit ægrotans, sed corpus omninò ad propriam naturam redit, quod non reperies in putridis. Præterea solent ephemeræ cum sudore declinare attenuatis succis ob totius auctum calorem, & ad cutim evocatis. Ex his elici potest, si febris incæperit cum rigore, aut horrore valido (nam & quandoque ephemeræ non levi horrore incipiunt, quando & corpus est cacochymum, & multam exhalationem calidam, & aërem transmittit, quæ tamen neque promptè diffletur, vel ob cutis densitatem, vel ob meatuum stipationem, ut retenta partes nervosas feriat, & horrorem faciat) vel frigore, & pulsus contractione, etsi malæ per febrem mingantur urinæ, crudæ videlicet, & tenues, aut perturbatæ, & confusæ, & cum adustionis, & corruptionis signis, calorque acer sit, & mordax, & inæqualis, eam febrem non esse ephemeram, sed alterius generis conjectari oportet. Addamus, quod tales febres à principio statim subsequi solent, quod non est de aliis.

Febris ex generatione puris signa. Accedamus ad aliam febrem, quæ vulneratis accidere solet non rarò, eam videlicet, quæ ex generatione puris contingit; dum enim pus conficitur, dicebat Hip. 2. Aph. 47. dolores, & febres magis accidunt, quam confecto pure, namque ut dicebat Galen. ibidem & Hip. lib. de ulceribus in generatione puris fit veluti ebullitio quædam sanguinis, unde pars concalescit præter naturam, quo calore ad cor perveniente per continuam successionem, fit febris. Non erit autem difficile invenire, quomodo fiat hic præternaturalis calor, & qui naturaliter inest vulneratæ parti, quomodo augeatur, etiamsi dixerimus ex vulnere hebetari, si recordati fuerimus, quod aliàs diximus agentes de suppuratione, ea videlicet de causa contingere suppurationem in vulneribus, quod natura partis, seu calor ipsius naturalis nequit tantam alimenti copiam conficere, quantam sanitatis tempore. Eadem ergo sanguinis quatitate ad partem lata in ejus alimentum, quæ prius, & forsan majori, cum natura in subsidium etiam partis affectæ transmittat sanguinem, & spiritum, neque calor partis eam possit conficere, relinquitur, ut quemadmodum dicebat Galenus primo de dif. feb. cap. ultimo ad putredinem convertatur,

tatur, quæ pars redundat, neque in ſubſtantiam partis vertitur, & ita quandam præternaturalem caliditatem concipiat. Calor ergo naturalis cum non poſſit eam materiam in ſubſtantiam partis vertere, facit, quod poteſt, eamque elaborat, & concoquere, ac vincere conatur, & ſic fit illa ebullitio materiæ, & neque prorſus corrumpitur, neque etiam prorſus vincitur, ſed quoddam medium contingit, quod eſt puris generatio. Ex hac ergo ebullitione fiunt febres, non aliter, ac in puerperis in generatione lactis contingat. Patet igitur febrem hanc eſſe de eo ephemerarum genere, quod ad bubones, & inflammationes ſubſequitur. Quocirca non erit difficile hanc febrem cognoſcere, & per carentiam ſignorum putredinis, & inflammationis, & per jam tradita ſigna, in generali diariarum, calor enim erit multus verùm ſuavis, pulſus erunt magni, celeres, & frequentes ob neceſſitatem adauctam, urina erit vel naturalis, vel à naturali parum diſtans, facilis aderit tolerantia, nullumque pravum ſymptoma conſpicietur, & continget in generatione puris, & perinde eo tempore, quo conſuevit pus generari in vulneribus, ſcilicet circa quartam, quamvis pro natura ægrotantium, ac temporis in aliis prius, in aliis poſterius generetur.

At ſi partis inflammatio febrim efficiat, ſive ea ephemera fuerit, ſive putrida, utrumque enim accidit, poſtquam interdum ſola caliditas per partem poſt partem communicatur cordi, accenduntur que ſpiritus, aliquando verò putres vapores ad cor feruntur ab inflammata parte, videndum, ne nos lateat, ac decipiat; plurimum enim refert noſſe, an inflammatio parti ſupervenerit, nec ne, tum ad præſagium tum ad curationem. Diligentur ergo conſideranda, quæ ad naturam vulneratæ partis, & adjacentium attinent, & quæ accidentia in parte ſuperveniant, & adhuc quæ ſupervenirent, ſi pars illa inflammaretur, alia ſiquidem contingunt, ſi cerebrum, aut ejus involucra inflammentur, alia ſi hepar, & alia ſi ventriculus, & ſic de reliquis, & ex his conjectari oportebit ſtatum ipſius partis. Si qua ergo ſupeveniant parti, quæ ſint affectus inflammationem conſequentes, veluti eſt calor, tenſio, & dolor, ubi partes ſenſibiles ſunt, gravitas quædam, & hujuſmodi, atque febris advenerit, non exiſtentibus in urinis pu- *Signa febris ab inflammatione.*

tredinis notis (nisi hepar fuerit affectum) conjiciendum est ex inflammatione supervenisse febrim. Quod si pars fuerit insensibilis, aut parum sentiens veluti est cerebrum, ex ejus actionibus læsis signa erunt elicienda, veluti in cerebro ex læsione principum functionum. Sed & in omnibus partibus internis propria symptomata consideranda sunt, veluti in ventriculo appetentia, retentio, coctioque alimentorum læsæ, in œsophago deglutitio, quamvis & in aliquibus nonnunquam liceat factam tensionem, & tumorem sensu ipso deprehendere, veluti in ventriculo, & hepate, & liene, & intestinis, & utero, &c. ut superius dicebamus. Quod si febris illa fuerit ephemera, dignoscitur per propria diariarum signa. Si putrida, ex eo, quod systole sit major diastole, quia major sit necessitas expellendi putres fuligines, quam attrahendi aërem externum, calor acrior, & mordacior, difficilisque adsit tolerantia, & prava symptomata comitentur, & nisi putredo communicata fuerit venoso generi, in urinis non aderunt signa putredinis. Illud etiam non ignorandum, inflammationem partium nervosarum pulsum efficere tensum, & serrinum, itaque serrinitate in pulsu apparente, procul omni dubio censendum erit ex inflammatione ortam fuisse febrem.

Signa febris ex putredine, & corruptione. Si verò ex putredine, & corruptione in vulnerata parte oriatur febris, quæ quidem erit de earum genere; quæ ex minera putredinis ortum habent, namque vulnus mineram putredinis continet, præterquam quod aderunt signa ostendentia febrem esse de putridarum genere, ut in pulsu systole diastole major, calor mordacior &c. Qua ad partem ipsam attinent, erunt consideranda, ut puris quantitas, qualitas, substantia, odor, pus enim effluens non erit bonum in substantia, sed potius erit materia virulenta, aut putrescens, quàm pus, color non erit albus, sed varius, & interdum permixtæ erunt, quædam fuligines; amplius fœtor non levis aderit, colorque adjacentium interdum immutatus est à naturali ad nigricans, quando videlicet non continetur putredo tantùm in excretis, verum etiam in ipsis carnibus. Quantitas verò puris non erit proportionata vulneri, sed vel erit longè copiosior, vel parcior, quam convenerit. Quòd si parcior fuerit, & potius virus quoddam extiterit, verendum est de partis corru-

corruptione. Verùm si talis non fuerit, attamen sit materia mala, existimandum est materiam non expurgari à vulnere, sed supprimi in penitioribus partibus, quod & dolor manifestabit, & gravitas in parte. Ab urinis, nisi putredo communicata fuerit toti, seu venoso generi, sumi non possunt certa indicia, posteaquam urina ostendit solummodò affectiones hepatis, & venosi generis. Exciperem tamen vulnera partium, quæ urinæ excernendæ sunt dicatæ, quoniam & harum partium affectus urina ostendit.

Signa febris ob apparatum morbificum.

Febris ob apparatum morbificum duplici ratione contingit, aut enim solummodo ob eam commotionem, & vim illatam naturæ putredo accenditur in materia alioqui ad putredinem parata, non aliter, ac ex laboribus partus aliquando videmus evenire, aliquando vero ex putredine, & corruptione partis communicatur putredo etiam venoso generi, & toti corpori, non aliter, ac in puerperis ex retenta secundina, vel puerperio, ea siquidem putrefacta accenditur putredo in venoso genere, eo quod materia ad putredinem disposita in vasis contineatur, quæ idcircò putredinem contrahit, quoniam vapores pravi à loco putredinis elevantur ad venas, qui materiam in eis contentam ad putredinem paratam pravius disponunt, & putrefaciunt, quod enim à putrido tangitur ad putredinem dispositum, fit putridum. Sive igitur hoc, sive illo modo contingant febres, non unius sunt generis, sed variæ naturæ, prout varius est apparatus morbificus. Hac enim ratione fit, ut aliquando febres consequantur intermittentes, quandò videlicet materia morbosa est extra venas, vel intra venas, verum virtus est robusta, ut possit penitus eandem à venis propellere, vel saltem ad venas capillares, aliquando vero continuæ, quoniam videlicet materia morbifica est intra venas, & virtus non est adeo robusta, ut eandem possit propellere, aut extra venas; aut ad extrema venarum, quod plerumque contingit.

Variæ putridarum febrium sortes vulneribus supervenientes.

Amplius prout varia est natura materiæ, quæ ad putredinem trahitur, varia quoque sunt febrium genera: aliquando enim tertianæ naturam referunt, modo simplicis, modo duplicis, aliquando quotidianæ, aut exquisitæ, quod raro contingit, aut notha,

thæ, ſi fuerint intermittentes; rariſſimè enim quartana conſequitur, cum ſit humor maximè putredini reluctans. At ſi continuæ, quandoque ſunt continentes, quandoque verò proportionatæ tertianæ, aut ſimplici, aut duplici, aut quotidianæ, & quandoque etiam compoſitæ fiunt febres. Adhæc aliquando ſunt benigni moris, aliquando vero mali, & aliæ etiam peſtiferæ, peſſima enim nonnumquam eſt, quæ accenditur putredo.

In genere noſcuntur febres ex apparatu morbifico, quod & modus caloris, & urinæ, & pulſus manifeſta proferunt putredinis indicia. Num vero ex vulnere accenſus ſit apparatus morbificus, an potius ex commotione, & agitatione ſanguinis & ſpirituum, ex ſtatu vulneris notum fiet; ubi enim vulnus benè ſe habeat, & omninò non fuerit accenſæ febri proportionatum, exiſtimandum ex commotione apparatum morbificum putredinem contraxiſſe. At verò ubi quæ ad vulnus attinent, non bene ſe habuerint, præſertimque ſi vulnus purulentum, vel potius putredinoſum eſſe cognoſcatur, occaſione vulneris accenſum fuiſſe apparatum morbificum exiſtimandum eſt. Prætereà & ex tempore, quo ſupervenit febris, indicium confirmari poteſt: namque à principio febris ſuperveniens putrida, potius cenſendum eſt ex commotione fuiſſe concitatam, namque putredines non ita fiunt à principio. Cujus verò naturæ ſit febris, ex propria febris forma petendum erit, addendo tamen conſiderationem ætatis, naturæ ægrotantis, temporis, conſuetudinis, &c. Ex his enim poterimus aſſequi, quis humor magis peccet in febricitante, & magis putredini ſit expoſitus, & ex conſequenti cuinam febrium generi magis ſit paratus: velle enim cujuſque febris indicia hic ſubjicere, nimis excedit propoſiti noſtri limites.

Signa.

CAPUT LXX.

De præſagiis vulneratorum febrientium.

NOn febrium vulneribus ſupervenientium præſagia quærimus, ſiquidem ad rem vulnerati id parum facere videtur, quandoque enim nullius momenti ex ſe eſt febris; cum tamen adhuc

in

in ſummo diſcrimine poſita ſit ægrotantis ſalus; ut in vulneribus capitis eſt videre, in quibus febris ſupervenit circa primos dies ob generationem puris, exempli gratia, aut ex ſpirituum agitatione, quæ quidem nullius eſt momenti, quod ad ejus naturam ſpectat, & tamen adhuc laborans periclitabitur, dato, quod vulnus ex ſui natura ſit lethale.

Quid præſagiendum ex febre ephemera.

Quærimus igitur præſagia non febrium, ſed vulnerati febrientis: quid videlicet ex febre ſuperveniente poſſimus conjectare futurum de ægrotante. Ex variis igitur febrium generibus varia præſagienda erunt de ægrotante; namque ſi febris fuerit ephemera ex cauſa externa, ut quæ à principio contingit, cum adhuc non ſit fluxionum, & inflammationum tempus, nihil certi poſſumus inferre de vulnerato; de ipſa quidem febre poſſumus proferre, eam ex ſe nullius momenti eſſe, ſed & illud erit addendum, quod etiam ex ſe nullum habet momentum ad ſalutem, aut mortem; neque enim ob id vulneratus ab aliis ſupervenientibus redditur tutus, neque ex ea aliquid mali ſuperveniſſe, aut ſuperventurum vulneri poſſumus colligere. Eadem ratione, ſi ex generatione puris fuerit ſuborta.

Ex dolore.

Verùm ſi ex dolore, id poterit præſagiri, quod ipſe dolor pollicetur, ut proprio capite dictum eſt, quandoque enim dolor inflammationem minatur; aut conſequitur, & quandoque convulſionis eſt præludium.

Ex inflammatione.

Si verò febris inflammationem conſequatur, & à febris magnitudine petendum eſt judicium; namque major febris majorem inflammationem ſignificat, & à parte ipſa affecta, namque pro partis dignitate, & præſtantia variatur periculum, veluti in proprio capite de inflammatione dictum eſt.

Ex putredine, & corruptione.

Si ob putredinem, & corruptionem in parte ſubſequatur febris, prout ea fuerit major, vel minor, & in nobiliori, aut ignobiliori parte, & pejoribus comitata ſymptomatis, vel è contra, eo periculoſior, vel minus periculoſus cenſendus ægrotantis ſtatus, ex ea enim licebit conjicere majorem eſſe, & pejorem putredinem, & corruptionem, vel minorem, atque leviorem. Sed, quoniam quandoque tales febres ob pus incluſum contingunt, quando ex tali cauſa fuerint, exiſtimandum eſt augeri, aut

minui

minui periculum, prout pus in nobiliori, & majoris momenti parte concluditur, proutque ei faciliùs, vel difficiliùs parari poteſt arte effluxus, & in majori, aut minori quantitate contineatur.

Ex apparatu morbifico. Si ob apparatum morbificum ſubſequuta fuerit febris, ſicuti ſi ea fuerit intermittens, ex ſui natura periculo vacat, dicente Hip. 4. Aph. 43. Quocumque autem modo intermiſerint, periculum abeſſe ſignificatur, ita ſi fuerit continua, periculo non vacat, quod tamen periculum modò eſt gravius, modò eſt levius prout major fuerit ipſa putredo, & in præſtantiori parte, & magis viribus impar: unde hic habebunt locum quæ ab Hipp. & in lib. præſag. & in Aphor. & alibi dicuntur, attinentia ad judicia, & ideò ab ipſo ſunt petenda; non enim exequi propoſitum eſt, quæ ad alias artis medicæ partes attinent. Quod tamen ad præſentem locum, admoneo, ut conſideretur in iſtis febribus, num etiam pars ipſa vulnerata ſit malè affecta; tunc enim cum duplici ex parte, ſeu ex cauſa affligantur vulnerati vires, & una quoque forſan alteri incrementum, aut ſaltem fomentum præbeat, magis etiam ipſius periclitari ſalutem exiſtimare oportet.

CAPUT LXXI.

De procuratione vulneratorum in febribus.

FEbris in vulneratis, niſi ob apparatum morbificum eveniat peculiarem procurationem non exigit, eſt tamen, quod Medicum admonet, ut ſtudeat inhibendæ ejus cauſæ, alioquin exitio vulnerato ipſi futuræ. Namque ubi inflammationis principium conſequitur, aut concluſum pus, commonefacit, ut ibi nihil prætermittat, quod ad inhibendam fluxionem, & ad ſedandam inflammationem faciat: eoque magis ſi principis partis fuerit inflammatio, hic verò, ut quam primum exitus ſaniei paretur, eòque citiùs, quò in nobiliori parte fuerit contenta, & majoris momenti. Quod ſi pus à ſuperpoſitis linteis fuerit interceptum, non ob id erit detegendum vulnus, & refrigerandum, ſed forcipibus incidenda erunt lintea uſque ad vulnus, ut ſic effluat ſanies:

nies: si verò alia de causa conclusum fuerit, detegendum erit vulnus, & quod impediebat, auferendum. Similiter si putredinem, & corruptionem consequatur, admonet, ut omni studio eandem coerceamus. Si verò aut ex generatione puris, aut ab externa causa ephemera proveniret, spernenda erit febris, hoc est, non erit à præsidiis abstinendum propter eam febrem, quæ & natura vulneris requirit, & fluxionem inhibere valeant, & alia futura mala prohibere.

Si verò ob apparatum morbificum accensa aliqua putredine orta fuerit febris, peculiarem procurationem exposcit; cum enim ejus causa sit humorum putredo, quæ partim est facta, partim verò in fieri, quòd omninò putridum est, evacuandum erit; quod verò semiputridum, & ad putredinem proclivi est, concoquendum, refrigerandum, & exsiccandum: ad inhibendam etiam putredinem plurimum facit, quòd humores difflentur, unde tollendæ erunt obstructiones, si quæ erunt, & minuenda plenitudo, aut cacochimia, cum hac de causa, tum etiam, ut natura deposita ea, qua premebatur, sarcina, faciliùs, quod reliquum est, possit conficere. Febris verò ipsius refrigeratio, & humectatio remedia erunt. Itaque ab evacuatione, tum per sanguinis missionem, tum per expurgans pharmacum, prout expedire videbitur, auspicanda erit curatio, inde coctionibus incumbere oportebit, & inhibitioni putredinis, unde cum coctiones à calido innato peragantur, ea convenient, quæ ipsum tum per se, tum ex accidenti adjuvent, faciliùs enim concoquitur humor biliosus, si attemperetur, pituitosus verò, si attenuetur, & indicatur, ex iis verò, quæ putredinem inhibent, non solùm erunt exhibenda, quæ primis qualitatibus id faciunt, sed quando intensioris putredinis est suspicio, etiam ea, quæ à tota substantia id peragunt, de omnibus autem capite de alterantibus actum est. At si natura imbecillior non tulerit insignes evacuationes unica vice factas, per epicrasim eas moliri oportebit. Quod etiam intelligendum est, ubi natura nequit ob materiæ multitudinem, & contumaciam unico apparatu concoquere, tunc enim & per epicrasim instituendæ erunt purgationes, ut sicuti paulatim concoquitur materia, ita paulatim educatur, ut in dies minori reddita,

Curatio febris ex apparatu morbifico.

Uuu semper

ſemper etiam natura reddatur fortior ſupra reſiduum. Dum alterationi humorum incumbimus, manifeſtum eſt & ipſius etiam caloris rationem haberi poſſe. Virtus verò convenienti victus forma erit ſervanda, & quoniam ejus munus eſt concoquere, idcircò cavendum erit, ne uberiori victu eam à coctione diſtrahamus. Quod ſi utrumque eadem victus forma aſſequi non poterimus, magis erit ſtudendum conſervationi virium; indicatio enim ab ipſis ſumpta eſt omnium prima, ſiquidem ab ipſa ſumimus indicationem, non ut à morbis liberemur, ſed ut vivamus.

Victus.

Tria indicantia in putridis febribus.

Cum ergo ſint tria in putridis febribus, quæ indicent, videlicet febris, ejus cauſa, & virtus, conſiderandum, quantam vim ad indicandum habeat unumquodque eorum, & invicem illa conferenda, & ſi nihil urgeat, prædicta methodus erit tenenda; at ſi unum eorum urgeat, vel plura, urgenti, vel urgentiori, ſi plura urgeant, incumbere oportebit, cæteris, ſi fieri poterit, non neglectis. Quod ſi exortum fuerit aliquod ſymptoma, quod urgeat, eandem legem, & ipſum ſubibit, habet ſiquidem tunc ſymptoma rationem cauſæ morbificæ. Eſt & alia vulnerati providentia in vulneribus, ob calorem enim febrilem cauti eſſe debemus in purgationibus moliendis, ubi videlicet ob inflmmationem febris ſupervenit, validiora ſiquidem purgantia adhuc magis calefaciunt ſuccos, exagitantque, & ad motum aptos reddunt. Hinc Hippoc. lib. de frac. com. primo, fracturas cum vicere febre non exiſtente, aut ea levi, album veratrum molle exhibet, at validiori exiſtente, ab eodem abſtinet, quod conſilium & à Gal. probatur. Si ergo febris fuerit, aut ex puris generatione, aut ab externa cauſa, ea ſpreta, quod humor fluens, aut fluxurus indicat, id exequi oportet. At ſi ex inflammatione ſupervenerit, verum levis, quia & levis ſit inflammatio, cum præmeditatione aliquibus fortioribus uti poterimus, ſi ita fluxio requiſierit; at ubi calor febrilis eſt multus, omnino à fortioribus illis, quale veratrum eſt, aut ſcammonium, abſtinere debemus. Si vero ex putredine, vel corruptione fuerit febris, quoniam hæc à cacochymia multa provenit, non erit ab re uſus fortiorum pharmacorum. Verum ubi ex apparatu morbifico provenerit, ſervandum erit illud Hip. aureum documentum, quod prima Aph. tradidit,

Quando vulneratus febricitat, cautos nos eſſe oportet in purgationibus.

didit, videlicet concocta medicari, & movere, neque in principiis, nisi materia turgeat, & aliud 2. Aph. positum, nempe: In principiis morborum si tibi quid videtur movendum, move, in statu verò quiescere oportet. Movendum autem in principiis etiam non turgente materia, vel ob multitudinem materiæ, vel malignitatem. Res non postulat, ut in his simus longiores, satis sit innuisse. Intelligenti pauca. Reliqua à proprio febrium tractatu sunt petenda, non enim hujus sunt loci, & ob id quoque hecticarum curam prætermittimus.

CAPUT LXXII.

De syncope, & animi deliquio.

GRaviter vulneratis supervenire non rarò consueverunt repentina virium omnium prostratio, seu casus, qui syncope dicitur, & animi deliquium. Verùm non debet utcumque generosus Medicus turbari, & quasi eodem affectu teneatur, vulneratum & seipsum unà deserere; non rarò etenim licet ab adeo gravi affectu patientem eximere. Et propterea nihil, quod ex arte sit, prætermittat, ut eum, qui servari potest, conservet. Quod quidem præstabit, si naturam, & causas horum affectuum diligenter consideraverit. Quæ ut clariùs pateant, primò in universum videre oportet, quæ sint ea, à quibus uterque hic affectus ortum habet, & quomodo fiat. Syncopis igitur nomine, ut dictum est, significatur repentinus, & affatim contingens virium casus, unde Galen. 12. Meth. 5. Syncope, dicebat, est præceps virium casus. Venit autem id nomen à verbo Græco συγκόπτω, quod est concido. Hinc syncope, id est, concisio, & casus scilicet virium. Animi verò deliquium leviorem affectum significat, namque in eo non penitus cadunt vires, licet notabiliter, & affatim prosternantur. Dicitur autem animi deliquium Græcè λειπόθημια, seu λειποψυχία, idem enim significant hæc duo nomina, nam lipothimia dicitur à λείπω, quod est linquo, seu deficio, & θημὸς, quod est animus, hinc lipothimia, id est animi defectus. Lipopsychia verò à verbo Græco λείπω, quod est

Syncope quid.

Animi deliquium quid

est linquo, & ψυχὴ, quod est anima, unde lipopsychia, id est, animæ deliquium, seu defectus. Ut verò horum affectuum natura meliùs intelligatur, videndum est, quænam sit ratio generationis ipsorum.

Ut generentur hi affectus.

Nemini dubium est, partes omnes ad proprias functiones obeundas vitali facultate indigere, ut quæ radix est, & fundamentum omnium virtutum, calore videlicet à corde influente, qua ratione dicebat Galen. 5. loc. af. c. 1. Peculiari cordis temperie partes omnes actiones suas perficiunt. Et 5. de usu pul. cap. 2. & 3. Cùm non ab aliis ad cor, sed à corde cæteris membris calor vitalis confluat, & ipsa vitali calore, & peculiari cordis temperie actiones suas perficiunt; hinc fit, ut cordis virtute, & vitali calore pereunte, reliquorum etiam membrorum actiones perire necesse sit, ob idque ad omnes partes vitalis spiritus transmittitur, qui suo vivifico calore eas reddit idoneas ad proprias actiones, dum symmetriam intimi caloris conservat, eandemque fovet, ac roborat. Unde si contingat, ut repente calor hic vitalis in partibus deficiat, repentè etiam concidunt animales functiones omnes (dempta respiratione, quæ nunquam penitus aufertur, stante animalis vita) vel notabiliter prosternuntur, prout defectus iste fuerit major, vel minor. Naturales etiam lædi necesse est, nam deficiente vitali calore in partibus qui vitam in ipsis conservat, conservando insiti caloris symmetriam, temperamentum quoque ipsorum ex consequenti vitiatur, à quo naturales operationes prodeunt. Verùm cum hæ non ita manifestè lædantur, dicitur syncope potissimum à casu animalium virium, atque vitalis facultatis.

Syncope quid.

Animi deliquium est levior affectus.

Est igitur syncope præceps virium lapsus ex defectu vitalis caloris in partibus subitò contingente. In animi verò deliquiis non penitus cadunt vires, sed solùm imminuuntur, unde Gal. probabat lib. de cur. ra. per sang. mis. sanguinis missionem usque ad animi deliquium, non tamen usque ad syncopen. Non est autem existimandum, omninò deficere vitalem calorem in partibus quia vita cum hujusmodi defectu stare non posset, cum sit vitalis caloris vitam servare intimi caloris symmetriam servando, & propterea extincto in parte aliqua vitali hoc calore, continuò pars

pars illa emoritur. Cum igitur hi affectus, quos in genere ſymptomatum actionis læſæ reponendos eſſe nemo dubitat, fiant ob ſubitum caloris vitalis defectum in partibus; neceſſariò dicendum eſt, morbum, qui talium affectuum eſt in cauſa, nullum alium eſſe præter intemperiem frigidam partium omnium, non quidem poſitivam, ſed privativam, partes enim deſtituuntur calore vitali, qui intimi caloris ſymmetriam conſervabat, & à quo partium temperamentum recipiebat abſolutionem. Quia verò talis intemperies fit in partibus ob ſubitam carentiam vitalis ſpiritus, quæcunque in cauſa eſſe poſſunt, ut partes vitalibus ſpiritibus confeſtim deſtituantur, eæ omnes lipothimiæ, & ſyncopis erunt in cauſa. *Cauſa.*

Deſtituuntur verò partes hiſce ſpiritibus, aut quia cor, quod eorum eſt origo, eos ſubito retrahat, ac retineat, veluti illis indigens, aut quia loco eorum, qui diſſipantur, alios tranſmittere ad partes nequeat. Primum contingit, vel quia ſpiritus vitales ſunt pauci, vel ob aliquem dolorificum affectum, vel alium. Pauci ſunt ſpiritus, quia vel non generantur, vel evacuantur, vel corrumpuntur. Non generantur defectu vel agentis, vel materiæ, vel utriuſque defectus agentis, ſcilicet cordis, quia ſit intemperatum, immodicè ſcilicet calidum, vel frigidum, vel calidum, & ſiccum, vel frigidum, & ſiccum. Defectu materiæ, quia non ſubminiſtretur conveniens materia ipſi cordi pro eorum generatione, ſcilicet probus ſanguis in ſufficienti quantitate, quod contingit, vel ob inediam, vel ob abundantiam ſuccorum crudorum, & bonorum defectum. Porrò abundant crudi ſucci, & boni deficiunt, vel ob pravam victus rationem, vel ob intemperiem membrorum naturalium, vel ob corruptionem bonorum ſuccorum, ut in febribus malignis, & peſtilentibus contingit, & in aſſumptione veneni. Evacuantur verò ſpiritus, vel in ipſo corde, vel extra cor, in ipſo quidem corde, vel per hiatum ſenſibilem egreſſi, ut in ſolutione continui, vel per meatus inſenſiles reſoluti, & hoc vel ob intemperiem cordis calidam modum excedentem, ut in febribus ardentibus, vel ob apertionem vaſorum, & pororum ex aliquo animi affectu, ut ex gaudio. Unde Gal. 12. Meth. 5. Magni timores omnes, & cum his magnæ *Cur vitalis ſpiritus deficiant in partibus.*

voluptates, & si non jugulant, at certè facilè resolubilem spiritum reddunt, infirmantque, tristitia vero, anxietas, & ira, & cura eo genere sunt noxiæ, quo frequentes vigiliæ. Contingit autem præsertim eorum resolutio, quoniam spiritus vitales admodum tenues, & difflabiles generantur, quo in casu, ut inquit Gal. loco citato, duobus modis imbecilla redditur spirituum substantia, & tanquam temperie alterata, & tanquam dissipabilis, seu exhalabilis. Extra cor verò contingit spirituum dissipatio ob immodicam evacuationem, dolorem, labores, vigilias, ardores febriles, & hujusmodi. Quibus addamus ex Gal. loco citato immodicam raritudinem corporis, ut ob id facilè substantia spirituum digeratur, quod & ipsa tenuium sit partium, & corpus eam non contineat. Unde Gal. loco jam citato: In omnibus ejusmodi casibus videntur ægrotantes tum animo linqui, tum usibus resolutis esse, nonnulli etiam mori. s. alias spiritu ipso corrupto, vel alterato, aliquando ex parte digesto, non rarò hæc utraque perpesso. Corrumpuntur spiritus ab aëris pravitate, ut contingit tempore pestis, pravis halitibus, ut fit in febribus malignis, in gangræna, & sphacelo, in bubone pestilenti, & in bubonibus maligna putredine corruptis, nec non & venenata qualitate, ut accidit in veneni assumptione. Quod retrahantur ad cor vitales spiritus, & in eo retineantur, in causa sunt vel dolorificus affectus tum corporis, sive corde ipso primariò laborante, sive alterius membri dolori consentiente, ut in morsu oris ventriculi, tum animi, exempli gratia, timor, tristitia, & hujusmodi: vel intemperies ex vapore, vel humore maligno, & pestilenti, seu venenato, ut in febribus malignis, & pestilentibus, in suppressione mensium, seminis, & assumptione veneni, vel corruptio, & etiam alteratio spirituum, quæ commemorat Gal. 12. Meth. 5. ut cor indigens propter malam ipsorum dispositionem, ad sese omnes retrahat. Non potest autem cor vitales spiritus ad partes transmittere ob viarum obstructionem, quæ fieri potest à vaporibus, vel humoribus pestilentibus, & prava qualitate infectis, item ab humoribus crudis, & crassis, à copia sanguinis, à tumore, ab aëre pestilenti, & etiam non pestilenti, sed prava qualitate infecto. Item ob quosdam animi affectus, ut ob tristitiam, timo-

timorem, &c. Verùm ut inquit Gal. loco citato: Crudorum ſuccorum copia multis nominibus ſyncope opportunos reddere poteſt, & copia ſua vires premendo, & propter tum multitudinem, tum craſſitudinem exiguos animalis meatus obſtruendo, unde animal ſub tali affectu non nutritur, & ſuffocatur, & mediocritas temperamenti ejus non ſolùm alteratur, ſed etiam corrumpitur. Quòd ſi, dicebat inferiùs, non obſtruantur, nec onerent, ſyncopen non inferunt, ſed animi deliquia. Ex quibus patet in omni ſyncope fieri aggregationem quandam ſpirituum vitalium in corde, & propterea Avic. xi. 2. trac. 2. cap. 6. definiens ſyncopen dicebat: Syncope eſt diſtractio majoris partis plurimum virtutum motivæ, & ſenſibilis propter debilitatem cordis, & aggregationem ſpiritus totius ad ipſam propter cauſam moventem eum ad interiora, aut propter cauſam præfocantem ipſum interiùs, quare non inveniunt ſpiraculum, aut propter paucitatem, aut ſubtilitatem ſuam, quare non ſuperfluit ſuper illum, qui eſt in minera.

Cauſæ horum affectuum in vulneribus.

Verùm, ſi cauſas ſpectemus, quæ per vulnera aggregationem hanc ſpirituum in corde efficiunt, reperiemus propter vehementes dolores, & immoderatas ſanguinis profuſiones, & pravos halitus à parte vulnerata elevatos, & ſpirituum infectionem à venenata qualitate, quando vulnus, aut telo venenato, aut dente venenatæ feræ fuerit inflictum fieri poſſe hanc aggregationem. Ex accidenti tamen poteſt, & ex aliis cauſis proficiſci: & ſæpè ex aliquo animi affectu ſyncopen incurrunt, præſertim verò ex timore, quo ex inſpectione profluentis ſanguinis, qui parum cordati ſunt, corripiuntur.

Signa.

Superveniens vulneribus ſyncope facilè innoteſcit, namque aufertur ſenſus, & motus, ſaltem ad ſenſum, & ipſe pulſus, aut ſummè imbecillis, & parvus ſecundùm omnem dimenſionem, deprehenditur, aut neque percipitur, ſaltem ad ſenſum ablatus. Facies pallida redditur, & imaginem mortis repræſentat, cum ſpiritu enim una & ſanguis ad interiora movetur, & ideò etiam extrema frigent, ſudores frigidi apparent, & præcipuè circa frontem, quorum quidem materia non eſt excrementitia, ſed humiditas ipſa rorida, quam partes calore proprio deſtitutæ continere nequeunt (& hoc eſt ſignum vitiari temperamentum

mentum partium omnium) & ſunt frigidi, quia tranſit materia per cutem, quæ frigida eſt ob caloris defectum. Vocem quoque neceſſariò amittunt ſyncope deprehenſi, cum ſine motu fieri non poſſit. In animi verò deliquio omnia ſunt imbecilliora, hinc non omninò aufertur motus licet valdè debilitetur, nec vocem amittunt.

Cauſæ verò, ipſæ haud ſunt cognitu difficiles, unde dolorem ægrotans prodit, antequam ſyncope invadat, immodica ſanguinis profuſio ſenſui eſt conſpicua. Pravos halitus elevari ſtatus vulneratæ partis optimè demonſtrat; adeſt enim corruptio, & putredo in parte. Infectionem ſpirituum cauſa vulnerans, & quæ ſubſequuta ſunt ſymptomata.

Præſagia. Quia verò ſyncopen, ſicut & quemvis alium affectum, magnam eſſe contingit, aut ratione propriæ eſſentiæ, aut ratione dignitatis affectæ partis, aut ratione facultatis, & magnitudinis, cognitio neceſſaria eſt tum ad rectè præſagiendum, tum ad præſidiorum electionem, hac de cauſa quam magna exiſtat, perpendere oportebit.

Signa magnitudinis horum affectuum. Signa quidem magnitudinis affectus ratione dignitatis ſunt ea, quæ oſtendunt partem primariò affectam, vel per conſenſum, & ſi per conſenſum, aut abſolutum, aut non abſolutum, & vel in parte propinqua, & nobiliori, vel remota, & ignobiliori: quando enim cor primario læditur, cæteris paribus, major eſt affectus ratione dignitatis. Dico autem cæteris paribus quoniam manifeſtum eſt cor primario laborare in triſtitia, major tamen eſt ſyncope, quæ eſt ex peſtilenti vapore, verum non ratione dignitatis, ſed facultatis. Verum, ſi duæ ſint ſyncope ex vapore peſtilenti, manifeſtum eſt, eam vehementiorem futuram, in qua vapor elevatur ad cor à parte proximiori ipſi cordi, & nobiliori, cæteris tamen paribus. Signa magnitudinis, quo ad propriam eſſentiam ſunt ea, quæ vehementiam eſſentiæ cauſarum ſignificant, exempli gratia, vel ingentem tum ſuffocationem, tum reſolutionem, ac evacuationem, vel obſtructionem. Unde hac ratione animi deliquium eſt minor affectus ratione eſſentiæ ipſa ſyncope, cum non penitus in ipſo auferantur actiones neque ita partes vitali ſpiritu deſtituantur. Ex quibus manifeſtum eſt, ſyncopes

illas

illas vehementiores futuras ratione propriæ eſſentiæ, in quibus pulſus magis debilitabitur, & ipſa reſpiratio magis imminuetur. Signa vehementiæ ratione facultatis ſunt ea, quæ facilem, vel difficilem tolerantiam affectus oſtendunt, & quæ majus, vel minus facultatis vitalis robur, e. g. pulſus formicans, vel ablatus, ſaltem ad ſenſum, Item quæ materiam indicant participem, vel expertem malignitatis, vel etiam peſtilentiæ, vel alterius venenatæ qualitatis, exempli gratia, febris peſtilens, aſſumptum venenum, ſuppreſſio ſeminis. Difficilem tolerantiam, & facultatis imbecillitatem ſignificant difficilis excitatio, crebra invaſio, longè ante prægreſſa palpitatio, & hæc quandoque eſt major, quandoque, eſt minor.

Quodcunque horum malorum vulneribus ſuperveniat, non eſt deſpiciendum, proptereà quod afficitur pars præcipua, & ea quidem, quæ ad vitam præ cæteris eſt neceſſaria. Si tamen ſyncopen cum animi deliquio comparemus, minùs periculoſum, cæteris paribus, eſſe animi deliquium ſtatuendum eſt, quia in eo minor eſt vehementia ratione propriæ eſſentiæ, ac facultatis, augetur tamen, & minuitur periculum, prout magis, vel minùs ad ſyncopen acceſſerit, diutiùs, vel breviori tempore perduraverit, & frequentius, aut rarius inciderit, & cauſa fuerit contumacior, aut minus contumax, pravum eſt enim, quod putredinem, & corruptionem vulneratæ partis conſequitur, & adhuc magis, quod venenatam qualitatem. Sicuti quod animi affectum, puta ex inſpectione vulneris, vel profluentis ſanguinis, niſi debilis valdè ſit animula, periculo vacat. Sed hoc non eſt præſentis loci. *Quid præſagiendum.*

Syncope vero ſemper eſt periculoſa, in ipſa enim omnem vehementiam ſpectare poſſumus, & eſt veluti via ad mortem. Augetur tamen periculum, prout intenſior eſt quælibet vehementia, & ea præſertim, quæ ſpectatur ratione facultatis, unde ſi quiſpiam ſyncope corripiatur, eaque diutius perſeverante, color faciei mutetur, ita ut lividus fiat, aut niger, vel viridis, non evadet. Neque is, cui pulvis ſternutatorius injectus fuerit in nares, nec ſternutaverit, ſignum eſt enim mortui caloris; & emortuæ facultatis. Sed & cauſa ſyncope videtur eſſe conſideranda, hæc enim, quanta ſit ipſius vehementia, præclarè docet; unde *Syncope ſemper eſt periculoſa.*

eam, quæ fit ex solutione continui in corde, prorsus lethalem judicamus, cui proxima est, quæ fit à venenata causa, & huic, quæ ex corruptione partis. Sed non minus lethalis est, quæ ex superflua sanguinis profusione ortum ducit, modo superflua evacuatio, non repentina mutatio, aut animi affectus, aut mordaces humores os ventriculi vellicantes, sive in eo prius coacervati fuerint, sive in ipso remedii usu ad ipsum defluxerint, causam syncope attulerinr. Animadvertendum tamen in syncope, quæ ex fluxu materiæ biliosæ ad os ventriculi contingit pro ratione causæ hujus influxus variari periculum; namque si ex vulnere hepatis, aut ventriculi, aut tenuium intestinorum id acciderit, aut ex cerebri, vel meningum affectibus, summi periculi res est plena.

Vulnerato igitur syncope deprehenso, quoniam ea semper sequitur ad spirituum vitalium defectum in partibus extra cor existentibus, retrahente eos corde præternaturaliter, communis oritur indicatio attrahendi hosce spiritus ad partes illis destitutas, & à centro ad circumferentiam. Verùm ab illis attrahentibus erit cavendum, quæ causas syncope augere nata sunt; nam si fieret ob superfluam aliquam evacuationem, malè fieret attractio ad partem, per quam fit evacuatio, ut etiam ad sibi proximas. Porrò spirituum defectus, seu imminutio indicat eorumdem reparationem, quapropter cum ex tenuiori, & magis vaporosa sanguinis parte sit eorum generatio, & quodammodo etiam ex aëre per respirationem attracto, indicantur tum alimentum vaporosum, & tenue, quod tamen causam non augeat, tum odoramenta tenuium partium, tum frigida, quæ spiritus recreare valeant, neque ex accidenti noxam inferre. Sed prætereà & defectus causæ erit occurrendum, puta superfluæ evacuationi. Si dolor retractionis fuerit in causa, is erit removendus, si spiritus inficiantur ob pravos halitus, ii sunt revellendi, & dissipandi, materiaque pravorum halituum auferenda, & contra ipsos cor est muniendum alexipharmacis, cordique amicis, quæ non minùs requirit venenata, & pestilens qualitas. Immò, quia semper robur cordis dispendium patitur, iis utendum in qualibet syncope, quæ cor tum manifestis qualitatibus, tum proprietate

totius

totius ſubſtantiæ roborent. Si dicti affectus ſyncopen efficiant, quia acres, & mordaces ſuccos ad os ventriculi commoveant, attemperandi erunt, revellendi, & etiam evacuandi, & ventriculus, ne facilè recipiat, corroborandus, atque adſtringendus. Cum etiam in omni ſyncope humiditas roſcida partium ſudoris ſpecie evacuetur, præſertim circa thoracem, cervicem, & faciem, eo quod à partibus influente calore deſtitutis contineri nequeat, & unà etiam facilè diſſipetur inſiti caloris ſubſtantia, cujus ſymmetriam conſervabat influens ille calor, propterea oritur indicatio leviter refrigerandi has partes, ut cutis extima aliqualiter conſtipetur, & evacuatio ſubſtantiæ roſcidæ, & ipſius inſiti caloris prohibeatur. Ampliùs in omni ſyncope ſopita eſt virtus, erit igitur excitanda. Eadem propemodum in animi deliquiis propoſita eſſe debent, leviora tamen indicantur, quoniam & levior eſt affectus.

Dubitatio Cur omni in ſyncope revocandi ſint ſpiritus ad partes.

Sed dubitatio oritur, cur in omni ſyncope revocandi ſint ad partes ſpiritus, qui ad cor confluxerunt, ſeu attracti ſunt; cum enim non confluant ad cor, aut ab ipſo attrahantur, niſi ut eorum præſentia fortius reddatur, quod etiam rationabile eſt contingere, melius forſan fuerit, ſi ita permittantur in ipſo corde manere, donec ſponte rurſus cor eos ad partes expellat; nullum enim ex hoc imminere vitæ periculum videtur, cum vitæ principium ſit robuſtius per eorum præſentiam, immo rationi conſonum eſt, ipſum longè melius actiones, quæ ad vitam pertinent, præſtiturum hoc modo robuſtum factum. Verùm duplici ratione neceſſarium eſt in omni ſyncope ſpiritus revocare ad partes, una quidem eſt, quoniam ipſorum qualitate conſervatur nativi partium omnium caloris ſymmetria, unde ſi diutiùs abeſſet, periclitaretur partium reliquarum nativus calor. Altera eſt, quoniam ex illa aggregatione ſpirituum ad cor, periculum eſt, ne ſuffocentur nimis concentrati, & ita pereat nativus calor. Quare ex illa concentratione non redditur fortius cor, quamvis ſpiritus attrahat, tanquam indigens; ſed tamen perperam operatur, confertim, atque repentè attrahens, & ab omnibus partibus à cauſa præternaturali impulſus, & ideò mirum, ſi ex perperam facta operatione & ipſum periclitetur. Hinc oritur pulſus imbecillitas.

Quomodo revocentur syncope deprehensi.

Revocandi sunt igitur syncope deprehensi vociferationibus, narium apprehensionibus, frictionibus, ac vinculis, ad partes tamen vulneratæ oppositas, vellicationibus, ac pilorum evulsionibus; odoramentis ex aqua ros. & aceto ros. aqua florum citri, corticibus recentibus citri, & aurantiorum, floribus purum odorem reddentibus, cujusmodi sunt rosæ, jasmini, hyacinthi, præsertim ex Hispania delati, gariophilli, violæ, leucorii flores, citrique, limonum, & aurantiorum, & alii innumeri; Theriaca naribus admota facultatem excitat, pariter & palato, & linguæ illita. Sal item ori impositum idem facit. Revocantur etiam epithematibus, atque inunctionibus cordialibus, & irroratione denique, faciei præsertim, & cervicis ex frigida, nec non & flabellatione.

Curatio syncope ex sanguinis profluvio.

Si ergo ex superfluo sanguinis fluxu syncope contigerit, omni ratione quam primùm sistendus est fluxus, ut verò revocentur spiritus ad partes, frictiones, & vincula ad extrema in usum sunt revocanda, non tamen his uti oportet ad vulneratam partem, ne major concitetur fluxio, sed potius ad oppositas partes, aut ad eas, in quibus est evacuationis origo, sic enim revocabuntur spiritus, & avertetur influens sanguis. Frigida quoque eos spergere convenit, naresque iisdem apprehendere, unde Gal. primo ad Glauc. 14. Eos, qui ex choleris, & multis aliis universim factis evacuationibus, dissolvuntur, aqua frigida spergere oportet, & nares apprehendere. Sed neque malum extrema alligare, ut nexus fiant plures, & fortiores, circa manus quidem in evacuationibus per inferiores partes, circa crura verò, & inferiores partes in evacuationibus per superiores partes. Et inferius: In universum autem ad communia membris patientibus in adversum trahere oportet, aut ad ea, in quibus est evacuationis origo. Ad spirituum autem refectionem & optimi odores sunt maximè ex usu, idonei autem sunt, qui ex frigidis potiùs, vel parum calidis elevantur; qui enim ex nimis calidis, ut ex moscho, ambra, minùs sunt convenientes. Aqua ergo ros. & acetum ros. erunt idonea, his addi poterit aqua florum citri, vel aurantiorum, vel limonum, & florum myrthi, & santalorum. Et quoniam ex nimia profusione nimis imminuti sunt spiritus, idcircò aliquod etiam eorum, ex quibus citò reparantur, erit exhiben-

hibendum, cujusmodi est succus, & jus consumptarum carnium, stillatitium caponum, & vinum, vel mica panis vino madefacta, quod tamen vinum frigida sit temperatum, unde Gal. loco citato: Vinum aqua frigida temperatum curat eas, quæ ex magnis fiunt evacuationibus, dissolutiones, immò in omnibus syncopticis affectibus conveniet, nisi in aliquo viscere sit, aut immineat inflammatio, celeriter enim virtutem recreat, & spiritus reficit. Unde Gal. 12. Meth. 3. Vinum, quod calidum sit, & deductionem in corpus promoveat, omnibus, quos syncope male habet, offerre convenit. Sed, ne ex vino reddatur magis fluxilis sanguis, oportebit deligere vinum nigrum, quod crassum sit, & austerum. Unde Gal. primo ad Glauc. 14. In sanguinis fluxibus vinum crassum sit, nigrum, & acerbum, in reliquis casibus etiam album, seu fulvum concedi poterit, quod mediæ ætatis sit, & boni odoris. Animadvertendum tamen, si adsint indicia fluxus materiæ biliosæ ad ventriculum, quod sæpe contingere solet, antequam vinum exhibeatur, nisi periculum sit in mora, curandum esse, ut patiens evomat ventriculum fricando, immittendoque in guttur digitum, aut pennam oleo inunctam. Unde Gal. loco cit. Oportet os ventriculi perfricare, de iis loquebatur, qui ex superfluis evacuationibus dissolvuntur, ut evomat, stomachum irritando digiti, vel pennæ immissione. Ad majorem cordis corroborationem epithemata cordialia temperata erunt applicanda, utpotè parata ex aqua ros. aceto ros. aqua florum citri, florum myrthi, melissæ, florum borraginis, additis speciebus cordialibus temperatis, camphora, croco, & portiuncula vini alicujus potentis, & aromatici cum aliis, de quibus actum est capite de alterantibus. Inunctiones quoque cordiales parari poterunt ex unguento ros. aceto ros. loto, speciebus cordialibus, oleo florum, vel seminum; aut corticum citri cum aliis ibidem propositis.

Qui ex nimia corporis dissolutione in affectum incidunt ob alimentum totius ferè ad partem vulneratam transmissum, & in pus versum, ex quo reliquæ partes orbantur proprio alimento, ferè eadem ratione sunt revocandi: extrema igitur fricare oportet, & deligare, ea sola tamen, quæ ex adverso sunt vulneratæ

 partis,

partis, leviusque, quam in supradictis, & odoribus fovere, ac vino reficere, sorbitionibus concoqui facilibus, & multi nutrimenti, cujusmodi sunt stillatitium caponum, jura consumptarum carnium, succus carnium caponis, vitelli ovorum ex jure dissoluti, unde Gal. 1. ad Glauc. 14. Qui ex disruptione abscessus, aut simili evacuatione animo deficiunt, confestim optimis odoribus sunt fovendi paulò post autem sorbitionibus concoqui facilibus. Cordialibus item corroborare, & in faciem frigidam inspergere oportet, non tamen eos vomere utile est, ne ob laborem vomitus penitus prosternantur vires. Verum, ubi revocati fuerint, ut præserventur, studere maximè oportet corporis nutritioni, & ob id omni quinta, vel sexta hora cibus aliquis exhibendus, qui sit facilis coctionis, & distributionis, & multum præbeat, alimentum, cujusmodi est succus expressus carnis caponis, jus consumptitium ejusdem, contusum carnis pulli, aut caponis, vitelli ovorum recentium sorbiles, aut consumptitio jure subacti, stillatitium caponum, confectiones restaurantes appellatæ, paratæ videlicet ex carne caponum, aut perdicis, vel phasiani, amygdalis, pineis, pistaceis, & saccharo. Assiduo etiam quæ vitalem facultatem roborant, tum extrinsecus applicare, tum per os exhibere oportebit, maximèque conducit, si talibus alterentur cibaria. Hujusmodi sunt citri succus, vel etiam saccharo paratus, fragmenta pretiosa, potissimum smaragdus, diamargariton frigidum, & margaritæ ipsæ, confectio de hyacintho, terra sigillata, bolus Arm. orientalis, coralli, cornucervinum præparatum, monocerotis, aqua ros. florum citri. Studendum autem, ut hæc semper, aut ut plurimum habeant aliquam vim adstringendi, qua impediatur innati calidi dissolutio, unde permixtio boli, & terræ sigillatæ erit maximè conveniens, aut si quæ ex dictis saccharo ros. veteri permisceantur. Proponimus autem refrigerantia, quoniam talis copia puris sine febre esse non potest. Roboranda quoque omni arte erit vulnerata pars, prout alias dictum est. Extrinsecus cordi, & testibus cordialia superius proposita erunt applicanda.

Curatio syncope ex pra- Si ex putridis, & omninò pravis, & malignis vaporibus à parte vulnerata ad cor elevatis oriatur syncope, revellere hosce vapores

vapores oportebit frictionibus extremarum partium, & vinculis, nec non & cucurbitulis. Optimis quoque odoribus sunt fovendi, & reliquis jam propositis revocandi. Non leviter etiam conducet extrema vino optimo calente lavare, in quo potissimùm maduerint gariophilli, nux moschata, rosæ, citri flores, santali; aut cui permixta fuerit aqua florum citri, & hujusmodi alia. Mirificè proderit theriacalis aqua exhibita, aut modicum theriacæ, vel Mithridatii aqua ardenti dissolutum exhibere; hæc enim & cor roborant, & muniunt, & pravos halitus dissipant. Eadem epithematibus cordialibus, atque inunctionibus utiliter addentur. Atque ne rursus invadat, tollenda erit corruptio, & mortificatio partis, prout suo loco expositum est, assiduoque vitalis facultatis roboranda, &, quæ puros reddunt spiritus, exhibenda, veluti est confectio de hyacintho cum Mithridatio, aqua theriacalis, & reliqua supradicta. *vis vaporibus.*

Si ob venenatum vulnus, bezoarticis propriis contra veneficam qualitatem pugnandum, de quibus, quando de vulneribus venenatis erit sermo.

Si ob dolorem, sedandus dolor; tictiones quoque, & extremorum vincula convenient: Odoribus similiter erunt reficiendi, & aliis jam propositis. ***Ex dolore.***

Si ob fluxum materiæ biliosæ ad os ventriculi, vomitus ciendus, immisso in guttur digito, aut penna oleo intincta, aut etiam ante exhibendo hydrælæum, vel aquam tepidam. Fricare pariter conducit ventriculum, & circumjacentes partes, si difficulter vomuerit, & post vomitionem vinum exhibere. Extrinsecus autem applicanda, quæ robur ventriculo addunt, cujusmodi est emplastrum diaphœnicon, de crusta panis. Nec minus conveniunt, quæ corroborandi ventriculum vim habent per os exhibita cujusmodi est saccharum ros. vetus, conserva cidoniorum, syr. granatorum acidorum, panis succo granatorum acidorum madefactus, & hujusmodi alia. Animadvertere tamen oportet, si humor biliosus ad ventriculum fluxerit ob vulnus in ventriculo, aut proximis partibus, non esse cogendos ad vomitum; major enim copia materiæ ad vulnus, & ventriculum attraheretur, & ob violentum motum magis divellerentur vulneratæ partes. ***Ob fluxum bilis ad os ventriculi.***

Si

Ob animi affectus. Si ob animi affectum, odoribus ſunt reficiendi, apprehenſione naſi, pilorumque evulſione, & hujuſmodi excitandi, &, quoniam ſemper bilioſa materia ad ventriculum fertur, idcircò vomitum provocare conducit. Unde Gal. 1. ad Glauc. c. 14. Si ob animi affectum exolvantur, odoribus, & narium apprehenſionibus ſunt revocandi, cogendique ad vomitum. Revocatis ſpiritibus, ne rurſus corripiantur ſyncope, appoſitis verbis animi affectus ſedandus.

CAPUT LXXIII.

De delirio.

DElirii nomine mentis aberrationem intelligimus, quacunque ratione contingat, eam aberrare. Quamvis enim intellectiva facultas organica non ſit, ut quæ non utatur membro aliquo corporis in propriis objectis ſuſcipiendis, attamen multipliciter intellectio lædi poteſt, eo quod licet anima non utatur organo corporeo pro intellectione, hæc tamen ſine organo corporeo fieri nequit, citra phantaſma namque non fit intellectio; unde Philoſophus dicebat: Neceſſe eſt intelligentem phantaſma ſpeculari. Requiritur ergo phantaſia, ut potentia præparans objectum ipſi intellectivæ potentiæ, phantaſma ſcilicet, quod ſpeciem intelligibilem producit, qua in anima recepta fit intellectio. Et proinde in cerebro fit intellectio, non ut in organo, ſed tanquam in loco, in quo præparantur intelligibiles ſpecies mediantibus phantaſmatibus, his enim præſuppoſitis intellectus poteſt per ſe actum intelligendi explere: ideoque, ſi male, aut nullo modo præparentur phantaſmata, nil mirum, ſi intellectio ipſa lædatur. Prætereà cum ad diſcurſum requiratur compoſitio, & diviſio, quæ & ope memoratricis peraguntur, hæc enim ſuppeditat, quæ cohæreant, & quæ disjungantur, ex memoriæ quoque læſione lædi ratio poteſt: hinc quidam à morbis convaleſcentes etiam ſcientiarum obliti ſunt.

Delirium ut fiat. Delirium igitur contingit, non quod ratio per ſe lædatur, ſed ex accidenti, videlicet ob imaginatricis, vel memoriæ læſionem;

nem; imaginatricis quidem, ut quæ phantaſmata perperam ſubminiſtret intellectui, memoriæ verò, quoniam diſcurſus fit mediante compoſitione, & diviſione, at compoſitio, & diviſio rectè fieri nequit abſque opere memoratricis, ſiquidem neceſſe eſt rerum ſimulacra, quæ in memoria adſervantur, imaginatrici repræſentari, unde ſi contingat hæc perperam repræſentari, perperam quoque fiet compoſitio & diviſio ab intellectu.

Cauſas autem delirii facilius erit invenire, ſi quæ in organo requirantur ad principes functiones edendas, conſideraverimus. Hæc duo eſſe potiſſimum nemo ambigit, videlicet idoneam cerebri temperaturam, & congruam diſpoſitionem animalium ſpirituum: compoſitio enim principibus functionibus non officit, niſi quatenus illa duo pervertit, aut malè diſponit. His ergò male ſe habentibus, modo auferuntur, modo imminuntur, modo corrumpuntur principes functiones. Congrua diſpoſitio animalium ſpirituum in hoc ſita eſt, ut ſint in convenienti quantitate, & qualitate, neque inordinatè moveantur. Qualitas ſpirituum naturalem ipſorum caliditatem complectitur, tenuitatem, puritatem, claritatem, ſeu ſplendorem. In quocunque horum vitium extiterit, facile deliria contingunt; Etenim ſi animales ſpiritus in minori quantitate, quàm par ſit, reperiantur in cerebro, non ſolùm hebetatur ratio, verùm etiam corrumpitur, hinc ex ſuperfluo ſanguinis fluxu diſſipatis ſpiritibus, & ex immoderatis vigiliis, ſtudiis, & cogitationibus fiunt deliria; namque ut dicebat Gal. 7. Aph. 9. Objecta ſenſibilia principem facultatem imbecillam ob parvitatem ſpirituum excedentia, ipſique improportionata, eidem oblata, in cauſa ſunt, ut quaſi ſub pondere improportionato vacillet.

Quæ requirantur ad principes functiones.

Paucitate ſpirituum læduntur principes functiones.

Debent etiam ſpiritus eſſe tenuiſſimi, & puri, idcircò ſi contingat, eos reddi craſſiores, vel ob craſſorum vaporum permixtionem, vel quia generentur ex ſpiritu vitali craſſo, ſive talis ſit ob cordis vitium, ſive materiæ, ex qua generatur ſpiritus vitalis, quia videlicet ſuppeditetur craſſus ſanguis ipſi cordi pro ſpirituum vitalium generatione, aſſato in hepate ſanguine ob ejus caliditatem, ſive quia ex aëre inſpirato, qui craſſus ſit, reficiantur, principes omnes functiones oblædi poſſunt, quamvis ob

Spirituum craſſitie, impuritate ac turbulentia, & tenebricoſitate.

ſolam craſſitiem magis hebetentur, aut auferantur, quàm corrumpantur. Verùm, ſi impuri reddantur, aut turbati, & turbulenti, vel etiam nigri, corrumpitur imaginatio, & ex conſequenti aberrat ratio. Ex ipſis enim producitur phantaſma turbulentum, aut etiam tenebricoſum: turbulentum quidem; ſi ſpiritus facti fuerint turbulenti, non tamen tenebricoſi, aut nigri, tenebricoſum vero, ſi tenebricoſi, & nigri.

Spiritus quomodo reddantur turbulenti.

Turbulenti autem redduntur animales ſpiritus ob pravorum vaporum permixtionem, qui à ſubjectis partibus elevantur, ut contingit in febribus ardentibus, & pravis, in menſibus ſuppreſſis, & ſemine retento, in gangræna, & ſpacelo, & hujuſmodi aliis affectibus, item ob vitium aëris inſpirati, ut contingit in peſtilentibus conſtitutionibus, vel quia generentur ex ſpiritibus vitalibus turbulentis, quacunque ex cauſa tales fuerint.

Spiritus quomodo reddantur tenebricoſi.

Tenebricoſi autem redduntur animales ſpiritus, aut in ſui ſubſtantia citra alicujus rei permixtionem, aut ob permixtionem rei tenebricoſæ, quæ quidem eſt vel humor melancholicus, vel vapor ejuſdem generis. In ſui verò ſubſtantia tales redduntur, quando ex materia tenebricoſa generationem habent, cujuſmodi eſt ipſe vitalis ſpiritus tenebricoſus, ſive talis generetur ob cordis vitium, puta ob ipſius fervorem, ſive materiæ, quia videlicet ſuppeditetur ſanguis craſſus, & melancholicus, materia generationis ipſorum: quamvis enim correctè ſe haberet, ex tali materia tamen non poſſet, niſi opacos, & tenebricoſos, ac nigros ſpiritus generare, ex quibus cum poſteà fiant animales, nil mirum, ſi & ipſi tenebricoſi generentur. Ineſſe quoque debet animalibus ſpiritibus temperata quædam caliditas, unde & cerebrum contemperat excedentem caliditatem vitalium, ex quibus animales gigni debent, quapropter ſi calidiores reddantur, quàm par ſit, imaginatio, & mens aberrabit.

Ex caliditate ſpirituum læduntur principes functiones.

Calidiores verò redduntur vel ob calidam cerebri intemperiem, ſive cum materia, ſive ſine materia. Hæc autem materia poteſt eſſe bilis, modò quidem aſſata, modò etiam non aſſata, ſanguis fervens, & melancholia aduſta, vel ob permixtionem calidorum vaporum, qui à ſubjectis partibus elevantur, ut in ardentibus febribus contingit ob humorum fervorem; vapores enim

enim à fervente, & exusta bile flava, & sanguine assato ad caput elati, calidiores, quàm par sit, reddunt animales spiritus, unde perturbatur, corrumpiturque imaginatio, atque discursus. Calidiores item redduntur ob ingesta aliqua calida, & maximè vaporosa, ut ex vini potentis, & vaporosi potatione fieri solet, unde ebrietas nascitur; & ex assumptione eorum, quæ lolium recipiunt, vel lupuli flores, & hujusmodi. Humores quoque calidi, & acres, atque mordaces, cujusmodi sunt sanguis adustus, bilis flava, & atra, calidiores reddere possunt animales spiritus: nec non & venenum aliquod assumptum, quod quidem observamus in assumptione anacardorum, & mali castorei.

Ex intemperie cerebri.

Alterum, quod requirebatur ad principes functiones edendas, erat temperamentum cerebri, unde, temperamento ipsius everso, pervertitur quoque imaginatio, & discursus. Id autem accidit, quando in calidam intemperiem mutatum est ejus temperamentum, calidi enim est corrumpere, sicuti frigidi hebetare, & imminuere. Huic calidæ intemperiei quandoque adnectitur sanguis fervens, quandoque bilis flava etiam assata, quandoque atra bilis per adustionem genita, & quandoque materia tantùm alluit, quandoque verò infixa est, & quandoque insuper tumorem excitat, aut in cerebri substantia, aut in membranis. Ampliùs pervertitur temperamentum cerebri ob pravam dispositionem calidi innati ipsius, aut quia videlicet sit imminutum, quo fit, ut sub onere facultas titubet, aut aliqua mala qualitate infectum. Hoc licet observare in venenorum potione, aut esu, namque mandragora pota non aliter dementiam inducit, quàm sua frigiditate innatum cerebri calorem obruendo. Cerebrum cati similiter est in causa dementiæ, eo quia calidum innatum cerebri aliqua mala qualitate afficit: non enim dici potest, affectionem ad ipsos animales spiritus pertinere, namque ii fluxiles sunt, & iidem non permanent, sed assiduo permutantur regenerati, ideo, si talia venena prave afficerent ipsos spiritus, necesse esset tandem ex continua animalium spirituum proba regeneratione, & additione vitium illud corrigi. At nisi alexipharmaca exhibeantur, semper manet affectio, imò si diutius curatio differatur, quandoque alexipharmaca nihil prosunt, ut videre est in iis, qui cati

cerebrum comederunt, aut quibus radix mandragoræ fuit exhibita non quidem quod venenata qualitas id faciat, ut talis, non ignoramus enim, veneni proprium esse cor petere, & innatum ejus calorem, spiritusque vitales demoliri, sed alios quoque pravos affectus producere nihil prohibet, verùm hæc non sunt præsentis loci.

Ex inordinato spirituum motu. Tertium, quod ad principes functiones rectè obeundas necessarium esse diximus, est motus spirituum animalium ordinatus, idcircò si contingat perperam, & inordinatè moveri animales spiritus, sequuntur deliria, quoniam inconstantes, & inquietæ redduntur rerum sensibilium species, atque ita perperam subministrantur phantasmata intellectivæ potentiæ. Inordinatè verò moventur animales spiritus ob vaporum permixtionem, ob capitis ictus, ob calidam cerebri intemperiem, ob sanguinis serositatem, præcipuè si calefactus fuerit sanguis, qua de causa dicebat Hippoc. lib. de morb. Cum igitur bilis commota ad venas, & ad sanguinem ingressa fuerit, sanguinem ex compacta compage, & commotione dimovet, & serosum facit, ac calefacit, calefactus autem etiam reliquum corpus totum percalefacit, & desipit homo, & non sibi constat ex sanguinis ad serositatem transmutatione, & motione non solita contingente, & paulò inferius: Eo verò commoto, neque auditum quiescere, sed aliàs alia videre, & audire, & linguam talia loqui, qualia singulis vicibus viderit, ac audierit: quamdiu verò cerebrum quieverit, tandiu etiam homo sapit.

Ex quibus non erit difficile reddere causam, cur aliqui continuo delirent, alii verò nequaquam, sed per quædam temporis intervalla modo longiora, modò breviora, sive ordinatè id fiat, sive absque ullo ordine. Et cur quædam deliria febres consequantur, alia verò comitem habeant, alia verò prorsus sint absque febre. Amplius, cur quædam deliria contingant cum timore, & mœstitia, alia verò cum ira, & audacia, alia cum risu. Prætereà, cur aliqui, quæ re vera sunt, non videant, alii verò, quæ non sunt, videre sibi persuadeant. Et cur alii in omnibus delirent, alii verò in una re tantùm, vel pluribus, in reliquis autem constet judicium. Verùm, ne iis, quæ ad rem nostram

non

non faciunt, tempus conteramus, ad eas mentis motiones, quæ in vulneratis fieri consueverunt, orationem nostram convertemus, earumque causas indagabimus, ut per earum propulsionem liceat vulneratos ab hoc miserando symptomate eripere.

Deliria igitur, quæ in vulneratis contingunt, alia ex propria cerebri affectione ortum habent, alia verò fiunt per consensum laborante cerebro. Ex propria cerebri affectione fiunt deliria, vel quia cerebrum, aut membranæ ipsum vestientes inflammatione laborent, aut calidis succis alluantur, aut putredine, vel corruptione afficiantur, vel ex cerebri vulnere. Item ob ambientis injurias, quando vulnus alicujus momenti capiti fuerit inflictum, & nimiam sanguinis profusionem, tandem ob compressionem membranarum, & ipsius cerebri, sive quia cerebrum, & spiritus calida intemperie laborent, ut quando cerebrum, vel membranæ etiam inflammatione tenentur, vel calidis succis alluntur, sive quia spiritus animales inficiantur pravis vaporibus à vulnere elevatis, ut in vulnere purulento, & cum substantiæ corruptione fieri potest; sive quia spiritus animales per vulnus, quod ad cerebri substantiam pertingit, exhalent, atque ita pauciores reddantur, unde sub onere facultas imbecilla titubat: sive quia perperam repræsententur simulachra rerum à memoratrice, parte læsa, vel ob spirituum imminutionem ex vulnere, vel ob inflammationem, vel coarctationem viarum, & meatuum ab humorum copia, vel alia re comprimente, veluti est os depressum: sive quia species confundantur, & inquietæ fiant ob spirituum agitationem, & inordinatum motum. Fit autem hæc agitatio, & inordinatus spirituum motus ob vim ictus, ob membranarum, & cerebri compressionem, vel ab osse, quod introcessit, vel à purulenta materia, vel sanguine extra venas effuso: ex compressione siquidem coarctantur viæ, & meatus, ut ob id species confundantur, non habentibus spiritibus liberum suum naturalem motum. Agitantur etiam spiritus ob membranarum punctionem, unde in capitis vulneribus quando ossis spiculum subjectam membranam pungat, sequi deliria videmus. Vehementissimus quoque dolor capitis solet spiritus exagitare, & propterea ad eum sequi deliria non raro observamus.

Deliria in vulneratis unde ortum habeant.

Deliria per essentiam.

Deliria per consensum. Per consensum affecto cerebro delirant vulnerati, quando à parte vulnerata elevantur vapores ad cerebrum alioqui bene se habens, qui prava qualitate cerebrum, & spiritus malè afficiunt, suoque inordinato motu spiritus ipsos inordinatè commovent. Hoc observamus in vulneribus venenatis, & iis, quibus putredo, aut corruptio supervenit. Delirant non minus, quando vulneri supervenit inflammatio, & per nervos cerebro communicatur incendium, ut fit in vulneribus nervosarum partium: In quibus casibus perseverans affectio facilè in delirium per essentiam migrat, subsequuta videlicet inflammatione. Ex dolore pariter communicata cerebro per nervos molestia, accidunt deliria ob spirituum agitationem. Contingunt prætereà in vulneribus deliria nonnunquam ob subsequutam putridam febrem ex apparatu morbifico, elevatis ad cerebrum vaporibus ab ebullientibus succis, sed hujusmodi non sunt propria vulneratorum deliria.

Delirium in vulneratis non est citra febrem. Ex quibus colligere possumus, non delirare vulneratos citra febrem; namque ipsorum delirium, aut putrilaginis, & corruptionis in vulnere existentis est soboles, ab hac autem promptius ad cor feruntur putres vapores, quam ad cerebrum, ob amplas vias, quæ à parte vulnerata sunt ad cor, si extra cerebrum, & ipsius involucra vulnus extiterit, quod si in hisce fuerit partibus, causaque delirii in vulnere, non minus in eodem erit febris causa, aut est inflammationis comes, quam si delirium consequatur, longè facilius etiam sequetur febris, vel alicujus magnæ exagitationis spirituum, propter quam, vel ejus causam saltem accenduntur spiritus. Verum quidem est, non eamdem esse ubique sortem febris, quandoque enim ipsa febris est delirii comes, & veluti symptoma, seu potius illius causa, ut quando cerebri inflammationem, vel putredinem in ea existentem consequitur, aut compressionem membranarum, & cerebri, vel punctionem, & hujusmodi: quandoque verò delirium est febris symptoma, ut quando ob ebullitionem humorum feruntur ad cerebrum vapores. Ex his etiam licet colligere, cur aliquando delirium vulnerati sit continuum, aliquando verò intermittat; quandoque enim cerebrum propria affectione laborat, per idiopathiam dicunt, quoniam semper eodem modo se habet, delirium est continuum,

tinuum, nisi affectio, ex qua fit delirium sit in fieri nondum autem facta.

Contingit enim aliquando humorem ad cerebrum, & membranas confluere inflammationem excitaturum, & à principio, parva existente ejus copia, à natura superari, & discuti, & ita delirium ab eo excitatum cessare: novo deinde affluente humore; iterum hominem delirare, eoque dissipato, iterum quiescere, & sic deinceps, donec eo res devenerit, ut amplius natura nequeat, quod influxerit, discutere, & affectio sit facta; tunc temporis enim delirium redditur continuum. *Delirium per essentiam non semper continuum.*

Fit quoque delirium continuum per consensum, eo quod indesinenter delirii causa ad cerebrum transmittatur, ut quando vulneratum est diaphragma, aut alia pars nervosa, & ad vulnus sequuta fuerit inflammatio; incendium enim continuò per nervos ad cerebrum delatum delirium continuum efficit. At quando non assiduo fertur à parte primariò affecta ad cerebrum delirii causa, ut quando à parte vulnerata elevantur vapores ad cerebrum, delirium non est continuum. *Delirium per consensum interdum continuum.*

Signa.

Ex verbis, & actionibus vulnerati satis constat, num mens aberret, nec ne, verum an mentis aberratio sit per essentiam, an per consensum, & ex qua causa evenerit, ex aliis conjecturam facere oportet. Per essentiam cerebrum laborare nihil magis ostendit, quàm ipsum vulnus, namque vulnere existente in capite, censendum est, per essentiam laborare cerebrum: atqui num ratione vulneris, vel putredinis, vel supervenientis inflammationis, ex tempore, quo accessit delirium, dignosci poterit, & ex aliis symptomatis, quæ prædictos affectus comitari solent; etenim si statim, inflicto vulnere, accedat delirium, & sit continuum, ratione ipsius vulneris verisimile est accidisse, aut quia videlicet aliquid sit, quod membranas, & cerebrum comprimat, ut os depressum, telum, & sanguis inter os, & membranam effusus, aut sub ipsa dura membrana, aut in cerebri substantia collectus, vel quidpiam, quod membranas, & cerebrum pungat, ut ossis spiculum, telum infixum, & hujusmodi: an vero hoc potius, quam illud malum efficiat, modus vulneris patefaciet. Si verò supervenientis inflammationis ratione fiat, id posterioribus

diebus

diebus contingit: prætereà ejuſmodi delirium non fit ſubito, ſed paulatim, ipſumque præcedunt vigiliæ, capitis dolor, ſomnia turbulenta, urina decolor, quæ omnia ex materiæ raptu ad caput proveniunt. Spuma quoque circularis in urina deſuper natans multoties delirium præcedit, eo quod vapores, qui in cerebrum feruntur unà cum humoribus inflammationem effecturis materiam agitent; ſæpè manuum, & pedum tremor præcedit, paulatimque vulneratus fit magis loquax. inde incipit manifeſtè deſipere, inflammantur oculi, facies fit rubicunda, ſplendorem non ferunt, lachrymæ involuntariæ effluunt, oculi ſqualidi fiunt, naturalia excrementa ſupprimuntur, aut modica excernuntur facultate diſtracta, & bile, quæ ad expellendum proritare ſolebat, alio confluente: &, ſi excernantur, albicantia ſunt bilis defectu: obliviosi fiunt, reſpiratioque ob id etiam fit rara, ſed magna, cum enim reſpirare obliviſcantur, magnitudine reſpirationis coguntur indigentiæ ventilationis ſupplere; feſtucas carpunt, floccos evellunt, pulſus duri ſunt, crebri, & parvi, ob membranæ inflammationem. Aliquando delirium per eſſentiam fit propter irrigationem membranarum, & cerebri ab humore bilioſo, vel ſanguineo putrefacto; quod multoties obſervavimus ſecantes cadavera vulneratorum in capite, qui à delirio perierunt, ſæpè enim invenimus materiam quandam citrinam alluere modo cerebrum, modo membranas, quandoque etiam purulentiam. Et hoc delirium eſt cum ignavia, & propenſione quadam ad ſomnum, neque in eo adeſt illa oculorum inflammatio, & rubedo, ſed prominentia quædam apparet, atque citrinitas, neque durities illa in pulſu deprehenditur: proprieque hujuſmodi delirium præcedit vertigo, ſomnia varia, ac turbulenta, capitis gravitas, & dolor obtuſus; Atqui ſi cerebrum ſit, quod alluitur, in pulſu nulla erit durities, ſed potius magnus eſt pulſus, mollis, & undoſus, præſertim quando eſt à materia purulenta; atque ſi per totum cerebrum ſparſa fuerit materia, fit phrenitis illa hectica, in qua deliramenta ſunt quieta, & ægri ejus, qui dormiturus eſt, ſpeciem referunt, clauſas continuo habentes palpebras, quas, vocati attollunt, & ſubmiſſa voce loquuntur, ſed mox oculos claudunt, hi autem excavantur, & ſqualidi fiunt. Feſtucas quoque

avel-

avellunt, & manus habent tremulas. Pulsus adsunt languidi, & parvi. Si verò humore bilioso alluantur membranæ, in pulsu erit aliqua durities, creberque erit, & parvus, dolorque gravior præcessit. Non solùm fit delirium, affecto per essentiam cerebro, quando in capite est vulnus, verùm & quando vulneratæ sunt aliæ partes; præcipuè vero nervosæ, & inflammantur, communicatur enim incendium per nervos ipsi cerebro, & longius procedente malo, inflammatio in ipso cerebro suboritur. Idem fieri potest ob elevationem vaporum ad cerebrum. Sed quoniam hujusmodi delirium non fit, nisi propter inflammationem, non erit difficile cognoscere, quando affectio evaserit cerebro essentialis ex signis, quæ inflammationem cerebri ostendunt.

Ex absentia vero eorum, quæ cerebrum, aut membranas per essentiam affici significant, dignoscitur delirium esse per consensum: deliriumque non est continuum, sed interpolatum, præterquam ubi vulnus diaphragmatis, cui inflammatio supervenit, consequitur: quod contingit non solùm ob insignes nervorum propagines, quæ ad ipsum feruntur, verùm etiam & magis ob continuum diaphragmatis motum, quo fit, ut semper affectio communicetur cerebro, vel ab inflammata parte continuo moveantur vapores ad cerebrum: sed hoc delirium ab eo, quod per essentiam est, distinguitur tum ex situ, & qualitate vulneris, tum ex absentia eorum, quæ cerebri, vel membranarum inflammationem ostendunt. Delirium etiam per consensum illud habet, quod ad alterius affectionis remissionem remittitur, intensionemque intenditur, veluti accidit omnibus affectionibus, quæ per consensum fiunt, unde si ob elevationem putridorum vaporum à vulnerata parte ad cerebrum factum fuerit, expurgato à purulenta materia vulnere, intermittit, aut saltem imminuitur delirium, ea verò rursus collecta revertitur, aut intenditur. Num vero delirium fiat, sola mala qualitate communicata, an etiam vapore; & si vapore, an elevato ab ipsa vulnerata parte, vel potius à venis, qualitas vulneris & febris declarabit. In vulnere namque partium nervosarum sola qualitas communicari solet: At si vulnus fuerit putridum, aut cum corruptione, etiam vapores cerebrum petunt. In vulneribus quoque venenatis aura venenata ce-

Signa delirii per consensum.

ta ce-

ta cerebrum adoritur: quod si ratione febris ob ebullitionem humorum vapores ad cerebrum eleventur, deliriumque concitent, aderunt signa putridæ febris, ejusque intensæ, & fervoris humorum, & ideò præcedunt capitis dolores, & urinæ perturbatæ, quales subjugalium, atque tales perseverant, quandiu soli vapores ad cerebrum moventur, at quando & ipsi succi eò moveri incipiunt, urinæ redduntur decolores. Si ex dolore ortum habuerit, dolor vulneratæ partis ostendet, atque ad intensionem doloris intendetur delirium, ad ejusque remissionem remittetur. Auram venenatam ad cerebrum ferri signa venenati vulneris patefacient, quæ proprio loco tradentur.

Præsagia. Si per essentiam fuerit delirium ex inflammatione, vel ex irrigatione; maximè periculosus est affectus, immò rarissimi evadunt; vehemens enim est affectus in parte principe, facillimeque adnectitur vehementia ratione facultatis. Si tamen irrigatio fuerit ex purulenta materia, & in loco in quo eidem parari possit idoneus exitus, minus malum, quando id à Medico cognoscatur, & non pauci ex his servantur, modò nullum ex auxiliis necessariis prætermittatur. Quoniam autem facilius paratur exitus, & cum minori dispendio materiæ, quæ inter cranium, & duram meningem continetur, quam ei, quæ sub dura membrana reperitur, idcirco pauci admodum servantur ex istis. Quid verò sentiendum sit de illo delirio, quod ex compressione ab osse, vel telo, aut à punctione ortum ducit, declarabitur, quando de capitis vulneribus erit sermo. Et de eo pariter, quod à putredine pendet, & corruptione vulneri capitis superveniente. Delirium ex superfluo sanguinis fluxu malum est, dicente Hip. 7. Aph. 9. A profluvio sanguinis desipientia, ac convulsio malum. Pulsum tamen consulere oportebit, constante enim vitali facultate, aliquid boni sperari potest, modò sanguinis fluxus compescatur, si tamen convulsio accesserit, desperata est salus, unde Gal. 7. Aph. 9. Secundum hanc lectionem, & desipientia non bonus est casus post sanguinis fluxum, etiam si sola contigerit, multo autem magis convulsio, vel si absque desipientia facta fuerit; maximum verò malum est ambarum conventus, quando & ex immoderata evacuatione convulsio est casus admodum exitialis. Si delirium ex

Explicatio 9. Aph. 7. sectionis.

vulnere

vulnere capitis venenato factum fuerit, præſagium petendum eſt ex natura veneni, & de vulneribus venenatis ſuo loco pertractabitur.

Delirium per conſenſum modò magis, modò minus periculoſum cenſendum, prout affectus, à quo principaliter provenit, erit magis, aut minus contumax; hinc ſi nervi vulnus ſubſequatur, pauci liberantur, ſed phrenitidis, & convulſionis lethalis præludium eſſet ſolet, ſignum eſt enim vel vulneratum nervum inflammatione correptum eſſe, vel materiam virulentam in ejus ſubſtantiam abſorptam eſſe, unde propter maximam communionem, quam habent nervi cum cerebro, facilè admodum affectio fit eſſentialis in ipſo cerebro. Si vero ob putredinem, & corruptionem pravi vapores ad cerebrum ferantur, deliriumque excitent, prout putredo, & corruptio fuerit magis contumax, eo augebitur, aut imminuetur periculum. Non ſolùm ergo natura vulneris erit conſideranda, & ejus ſtatus, verùm etiam temperamentum ægrotantis, ætas, conſuetudo, præcedens victus ratio, anni tempus, & temporis conſtitutio præſens, & præterita, regio, & hujuſmodi, quæ ad certiorem faciunt cognitionem ſtatus vulnerati. Si delirium ex dolore evenerit, ſolet ſedato dolore quieſcere. Si ex aura venenata ad cerebrum delata, evicto veneno, nullum amplius negotium faceſſit; proinde natura, & vis veneni judicium determinabit. *Delirium per conſenſum ut periculoſum.*

CAPUT LXXIV.

De curatione delirii.

SI delirium fuerit ex inflammatione cerebri, aut membranarum, in principio quidem revellenda eſt materia ad caput fluens, à capiteque repellenda, aſtringendæque viæ, ut minus prompte fluat, incraſſanda quoque ipſa materia, ut ſegnis reddatur ad motum. In augmento repellentibus digerentia ſunt permiſcenda, ut, quod impactum eſt, & repellentibus non cedit, digeratur. Prædominari tamen debet vis repellens, ſicuti etiam majus negotium faceſſit, quod influit, quam, quod impactum eſt. *Indicationes.*

eſt. In ſtatu æqua debet eſſe vis repellens, ac digerens, ne digerentia plus ſuo calore attrahant, quam digerant. In declinatione vero ſoli digeſtioni incumbendum. Quas indicationes magis diffusè proſequuti ſumus capite de inflammatione, & de fluxione, iidem ferè ſcopi ſunt ſpectandi, quando bilis cerebrum, & membranas alluit. Si materia purulenta fuerit in cauſa, digerenda, ejuſdemque procuranda expurgatio per ea loca, quæ cerebrum expurgare à recrementis conſueverunt, videlicet per aures, nares, & palatum. Et ſi fieri poſſit, parandus eſt arte idoneus exitus. Si quid comprimens, aut pungens delirium effecerit, illud quam primum auferendum, antequam videlicet inflammatio, aut putredo ſuperveniat. Si putredo, atque corruptio, hæc valde exſiccantibus, & acribus etiam ſiſtenda. Si venenum, alexipharmacis expugnandum eſt, & iis, quæ venenum ad locum vulneris evocent. Si dolor, ſedandus.

Delirium per conſenſum.

Si delirium fuerit per conſenſum, & quidem ex nervorum vulnere, omni revulſionum genere prohibendum, ne materia fluat ad caput, fiatque delirium eſſentiale: unde & repellendum erit, & adſtringendæ viæ, nec non & incraſſanda materia. Sed in primis ſolicitudinem ipſius vulnerati nervi habere oportet, ut videlicet quamprimum abſorpta in ipſo materia exſiccetur, & digeratur, & omnino abſumatur: & ſi inflammatus ſit nervus, ut inflammatio miteſcat. Si ob elevationem vaporum ad caput à vulnere propter putredinem, & corruptionem, putredo, & corruptio emendanda, ſed ſtudendum, ne affectio fiat eſſentialis. Si aura venenata è venenato vulnere elevata delirium fecerit, ad vulnus advocanda, venenumque alexipharmacis expugnandum. Si dolor, ſedandus. Si igitur ex inflammatione, aut irrigatione membranarum cerebri ab humore bilioſo ortum habuerit, protinus congruis revulſionibus incrementum prohibere oportebit. Secare itaque venam utile erit, ſi vires ferant, unde & Gal. 2. de comp. med. per loc. Optimum itaque fuerit, niſi ætas prohibeat, & niſi vitalis facultas debilis appareat, à venæ ſectione curationis initium facere. Sin minus hirudines erunt affigendæ, aut cucurbitulæ cum ſcarificationibus dorſo, & ſuperioribus brachiorum partibus affigendæ. Vena autem communis, aut ce-

phalica

phalica erit eligenda, & in ejus ſectione ea ſervanda, quæ dicta ſunt in communi tractatione. Cucurbitulæ quoque tum ſcarificatæ, tum ſine ſcarificatione fuerint ex uſu. Item frictiones aſperæ, vincula, & lotiones extremarum partium ex aqua calente. Purgans medicamentum hic etiam locum habebit, modò exhibeatur, antequam affectus factus fuerit, nam ubi humor firmatus eſt, fruſtra, & cum detrimento potius exhiberetur. Clyſteres, & ſuppoſitoria convenient, neque lenia tantummodo, ſed & acria. Quæ ſuccos ineptos ad motum reddunt, ac vias anguſtant, non erunt prætermittenda.

Purgans medicamentum convenit antequam affectus firmetur.

Quòd verò ad partem attinet, abraſo capite, irrigationes inſtituentur ex oleo roſaceo, eoque lana imbuta caput contegetur. Gal. 2. de comp. med. per loca cap. 1. utebatur oleo dulci lana excepto. Acetum quoque permiſceri roſaceo poterit, ut ad penetrationem faciat. Laudatur & ipſum oxyrhodinum loco roſacei, ſi materia fluens fuerit bilioſa, violaceum accipiendum erit, aut ſaltem roſaceo permiſcendum, locoque aceti ſuccus acidus limonum, aut citri. His addi poterit, cum præſertim vigiliæ urgent, ſuccus lactucæ, cucurbitæ, ſolatri, vel earum aquæ ſtillatitiæ. Aqua roſacea, ſi vires ſantalorum habuerit, erit optima. Procedente malo, ſi phlegmone cauſa extiterit, ut derivetur materia in parte contenta, convenient hirudines poſt aures, ſectio venarum, quæ ſub lingua ſunt, ſectio ejus venæ, quæ in fronte reperitur inter unum, & alterum oculum; aperiuntur etiam maximo cum fructu venæ, internæ præſertim, naſi, aut hirudinibus, aut alio inſtrumento, ſic, ut ſanguis copioſus fluat.

Localia.

Digerentia.

Ut vero materia jam impacta, quæ neque repellentibus, neque attrahentibus ceſſit, digeratur, decocto camæmeli, roſarum rubearum, malvarum, meliloti, fœnugræci, & hujuſmodi, addendum oleum roſaceum completum, atque camæmelinum, vel liliorum alborum, irrigationeſque parandæ. Perbellè quoque digerunt, & tutius, quæ calorem habent noſtro ſimilem, cujuſmodi ſunt omenta vituli, arietis, ſuis, recens ab animali vivente adhuc extracta, & applicata, & ubi refrixerint immutata. Item pulmones arietis pari modo extracti, & cum ſuo naturali calore applicati. Atque ſi tot omenta, vel pulmones haberi non poſſint,

ſint, ubi refrixerint, oleo roſaceo, atque camæmelino mixtis, aut oleo olivarum dulciſſimo calefient, deinde linteo involuta applicabuntur. Eundem uſum præſtant pulli columbini vivi per dorſum diſſecti, atque applicati, ſæpeque immutati, nec non & gallinacei pulli, & catulus nuper natus. Eadem uſurpari poterunt, quando ex irrigatione pendet delirium. Conſiſtente jam affectu, in uſu eorundem reſolventium perſiſtere oportebit, ſuſpecta etenim ſunt, quæ validius calefaciunt, fortaſſe namque fluxionem novam advocabunt. Sed præterea grandis cucurbita cum ſcarificationibus profundioribus occipitio affigenda erit, ut deturbetur materia in parte affecta collecta. De his tamen omnibus diffuſius agemus, de capitis vulneribus ſermonem habentes. Si materia purulenta ſub oſſe cohibita delirii cauſa extiterit, dandus erit exitus per oſſis exciſionem, de qua proprio loco tractabitur. Si putredo, & corruptio vulneris, corrigenda hæc erunt, veluti proprio loco explicatur. Si compreſſio, aut punctio, quod comprimit, aut pungit auferendum, quam auferendi rationem in doctrina vulnerum capitis diffuſè proſequemur.

Delirium ex defectu ſpirituum.

Si defectus ſpirituum ex ſuperfluo ſanguinis fluxu, ſanguinis, & ſpirituum reparationem procurabimus cibis boni ſucci, & facilis coctionis, ac diſtributionis, poſtquam ſedatus fuerit ſanguinis fluxus, nec non & optimis odoribus, itaque ova ſorbilia exhibenda erunt, juſcula, contuſum pulli, vel caponis, aut perdicis, ſuccus carnium expreſſus, præſertim caponis, ſtillatitium caponum, quibus omnibus margaritæ addi poterunt, aut Diamargariton frigidum in rotulis, ut magis roboretur virtus. Vinum quoque concedi poterit, ſed tamen, quale propoſuimus capite de ſyncope, in ea videlicet, quæ ex ſuperfluo ſanguinis fluxu contingit, expedit autem ſæpe alimenta exhibere, parum tamen pro qualibet vice offerendum. Odoramenta parari poterunt ex aqua roſacea, aceto roſaceo, aqua florum citri, vel aurantiorum, ſantalis, & aliis, quæ ibidem propoſuimus. Si deficiant ſpiritus, quia per vulnus exhalent, tectum ſervandum vulnus.

De delirio per conſenſum.

In delirio per conſenſum omne ſtudium adhibendum eſt, ne fiat per eſſentiam, & propterea in revulſionibus perſiſtere opor-

oportebit, repellentiaque capiti erunt continuò admovenda. De vulnere autem ipſo maximè ſolicitos nos eſſe oportet. Proinde ſi ex nervi vulnere id acciderit, & quidem, quia inflammatio ſupervenerit, ſedanda erit quam primum inflammatio, ut proprio capite traditum eſt. Maxime autem confert in inflammationibus partium nervoſarum cataplaſma ex farina hordeacea, fabarum, & orobi, atque poſca acetoſa confectum, addito roſaceo lumbricato. Huic in principio inflammationis addo pulverem roſarum rubearum, in progreſſu vero pulverem florum camæmeli, & loco etiam poſcæ accipio oxymel ſimplex, aut ſi reum. Non mediocriter confert, ſi pars foveatur lana, aut ſpongia oleo roſaceo lumbricato imbuta, dein leviter expreſſa. Oleum verò æſtate quidem ſit tepidum, hieme vero actu calidum. Sed de his ſuo loco: ſi verò putredo, vel materia virulenta in ipſum nervum abſorpta fuerit in cauſa, procurandus eſt materiæ exitus, & abſumptio per ea, quæ citra morſum exſiccant, ad quæ etiam licebit aſcendere, quando ingens fuerit putredo, & corruptio: de quibus omnibus partim agemus capite de convulſione, & de corruptione, atque putredine, partim tractabimus, cum de nervorum vulneribus determinabimus. De nervi ſectione, quid ſentiendum, dicemus capite de convulſione. Si ob dolorem mens non conſtet, ſedandus dolor, prout proprio capite traditum eſt. Si venenata aura ad cerebrum elevetur à vulnere, occurrendum veneno, prout capite de vulneribus venenatis exponemus.

CAPUT LXXV.

De reſolutione.

PEr reſolutionem, quæ à Grecis Paralyſis appellatur, intelligimus ablationem ſenſus, aut motus, aut utriuſque, unius, vel plurium partium corporis, non tamen omnium, quia tunc eſſet apoplexia, unde Galenus primo de cav. ſymp. Ubi nervi ſenſum, & motum amittunt, hujuſmodi ipſorum vitio paralyſis, ſeu reſolutio dicitur.

Sed cum modò motus illæſo ſenſu, modo ſenſus illæſo motu,

tu, modo uterque auferatur, magis propriè dicitur, partem esse resolutam, quando motus amittitur, quàm ubi sensus. Quin partem, quæ sensum tantum amisit, sensus expertem potiùs, quam resolutam appellamus, unde Galenus tertio loc. af. quarto: Nervorum resolutio potissimum dicitur, ubi motus est deperditus, ubi verò partium aliquarum motus periit, eam partem sensus expertem, resolutam vero non adeo dicere consuevimus. Quod si sensum simul, & motum pars amiserit, tunc exquisita erit resolutio. Liceat autem in præsentia nobis resolutionem appellare, sive sensus amittatur, sive motus.

Exquisita resolutio.

Contingit autem hic affectus defectu qualitatis animalis, quæ à cerebro per nervos influere consuevit, in parte resoluta, cujus qualitatis ratione pars illa reddebatur conveniens instrumentum, aut sensus, aut motus, aut utriusque simul. Quocirca resolutio nihil aliud est, quam ablatio sensus, aut motus, aut utriusque ob defectum qualitatis animalis in parte. Unde si causas invenerimus, propter quis non reperitur qualitas illa in parte resoluta, causas hujus symptomatis habebimus.

Resolutio quid.

Non reperitur ergo qualitas illa in parte aliqua, vel quia transmissa non recipiatur, vel quia non transmittatur. Transmissa non recipitur, eo quia pars non sit disposita ad ejus receptionem, quod potissimum contingit, si ob frigiditatem densetur, ut quando quis partem diutius continet in aqua frigida, quod etiam ex Galeno colligi potest primo loc. af. capitulo sexto. Non transmittitur, seu non pervenit ad illam partem, aut quia prohibeatur transitus hujus qualitatis, aut quia à cerebro non transmittatur. Prohibetur transitus ob vitium aliquod in nervis, per quos ejusdem ad partes fit irradiatio, obstans quo minus ulterius pergat irradiatio. Quod vitium potest esse continuitatis solutio, & angustia. Continuitatis quidem solutio, quoniam irradiatio requirit continuitatem partis. Angustia verò, sive sit compressio, sive constipatio, sive obstructio, quoniam irradiationi est veluti obstaculum, cujus gratia radii nequeunt ad partes tendere. Non aliter solis irradiatio prohibetur, quando crassa quæpiam nubes, aut nebula ipsi opponitur: deberent enim nervi esse rari, ac puri, sed hæc raritas, & puritas tollitur ab angustia, ideoque non est

Causæ. Cur qualitas in malis non recipiatur.

Quomodo prohibeatur transitus qualitatis animalis.

eſt mirum, ſi irradiatio intercipiatur. Compreſſio quidem fieri ſolet à re externa comprimente nervum, aut ſpinalem medullam, cujuſmodi eſt vinculum, vel aliud quid extrinſecus adveniens, ut os à propria ſede egreſſum, ut in luxationibus vertebrarum, tumor durus, & hujuſmodi, unde Galenus loc. af. 3. Ad compreſſionem nervorum reſolutio ſequitur earum partium, ad quas compreſſus nervus pervenit. Conſtipatio ſimiliter fit à tuberculo ſubſtantiam ipſius nervi, aut ſpinalis medullæ pervadente, vel etiam in ipſa exorto, aut ab humore craſſo, & viſcido. Similiter obſtructio ab humore craſſo exoritur, nec non & à materia purulenta: quamvis propriè loquendo ſolùm illæ partes obſtruantur, quæ conſpicuis cavitatibus ſunt præditæ, ideoque ſoli nervi optici propriè obſtruuntur, reliqui verò nervi conſtipantur potius. Denſitate quoque nervi anguſti redduntur, ut ob id prohibeatur tranſitus qualitatis animalis: quæ quidem denſitas oritur potiſſimum ab ingenti frigiditate, qua nervorum partes quodammodo adſtringuntur, & in unum coguntur, ut ob id longè denſior ſit ſubſtantia nervi, quàm prius. *Compreſſio.* *Conſtipatio.* *Obſtructio.*

Aliqui appellant hunc affectum ſubſidentiam, ſicuti & quando præ nimia humiditate laxantur nervi, & ita pori eorum clauduntur, & præ nimia ſiccitate partes ſimiliter nervorum colliguntur, & nimis uniuntur, & ita clauduntur nervorum pori. Ex alimento quoque craſſo, & glutinoſo nervum denſari contingit: ſed ex eo ad tantam denſitatem pervenire non exiſtimo, quæ poſſit omnino prohibere tranſitum, & irradiationem hujus qualitatis, & paralyſim efficere, ſed ex parte tantùm, ut ſtupor potiùs, vel tremor generetur. Haſce paralyſis cauſas recenſuit Galenus ſecundo de ſimp. cauſ. primo dicens: Nervus aut ſtupore, aut reſolutione infeſtatur, ſi vel frigus eum conſtringat, aut craſſi, lentique humores obſtruant, aut aliqua externa cauſa ipſum ſuo pondere comprimat.

Porrò non tranſmittitur qualitas illa à cerebro, eo quod omnes ſpiritus ad unam partem ipſius cerebri, ſeu capitis natura tranſmittat, aut quia ipſi ſpiritus à quapiam ipſius parte, quæ inflammata ſit, attrahantur, undè ſi unus ex temporalibus muſculis inflammetur, alter reſolvi conſuevit, & quoniam deſtituitur ani- *Cur non tranſmittatur qualitas animalis.*

mali qualitate, quæ in inflammatum musculum confluit. Non transmittitur etiam ob penuriam spirituum animalium in cerebro, hinc diuturnas inedias quandoque resolutio subsequitur, præcipuè in senibus. Sæpius tamen ex spirituum defectu in cerebro fit universalis paralysis, quæ apoplexia dicitur.

Differentiæ resolutionis.

Ex his apparet, multas esse resolutionis differentias, omnes tamen ferè à triplici fonte proveniunt, videlicet ab actione læsa, à partibus affectis, & à causis ipsius. Ab actione quidem læsa quoniam læditur sensus, vel læditur motus, vel uterque.

Cur modo sensus tantum, modo motus, modo & sensus, & motus deperdantur.

Sed antequam ulterius progrediamur, videre oportet, cur aliquando sensus, aliquando verò motus deperdatur, aliquando tum sensus, tum motus. Scire igitur oportet, omnes nervos, sive à spinali medulla, sive à cerebro oriantur, deferre qualitatem animalem ad partem, in quam feruntur, quæ ex se sufficiens est, ut pars illa reddatur apta tam ad sensum, quam ad motum: non enim alia est qualitas animalis motiva, alia sensitiva, sed una, & eadem, sicuti unus est, & idem spiritus animalis, non alius motivus, alius sensitivus. Hoc sensu ipso licet deprehendere, namque ramus unius, & ejusdem stipitis ad unam partem defert sensum tantum, ad alteram verò motum, nervus enim sextæ conjugationis ad orificium ventriculi sensum defert, ad laringis verò musculos vim motivam. Similiter quinta conjugatio aliqua sui portione ad aures perveniens, auditoriam defert qualitatem, alia verò portione ad temporales musculos vim motivam; & sic de aliis multis, evidentissimum argumentum, à nervis omnibus utramque facultatem deferri, seu potiùs unam, & eandem qualitatem, quæ apta est, tum ad sensum, tum ad motum, sed quod pars per qualitatem à nervo receptam, aut sentiat, aut moveatur, id in propriam partis naturam referendum est, quæ nervum recipit: namque si ea pars fuerit organum voluntarii motus, & mediante illa qualitate apta erit ad motum voluntarium: at si nervus non inseratur in musculosas partes, pars non erit apta ad motum, quoniam instrumentum voluntarii motus est musculus, sed ad sensum tantùm, unde si esset organum tactus, pars erit ad tactum apta, si visus, ad visum, si auditus, ad auditum, si olfactus, ad olfactum. Sed qui ad musculos feruntur,

omnes

omnes quoque vim ſenſitivam deferunt, conſtat enim muſculos omnes ſentire, unde etiam Galenus ſeptimo de plac. Hippocratis, & Plat. cap. 5. & 7. de Anat. adminiſt. aſſerit, nervos omnes motivos eſſe ſenſificos. Contingit ergo, ut aliqua accepta pars duos recipiat nervos, quorum altero motivam qualitatem recepit, altero verò ſenſitivam tantum, quoniam in ea particula reperiuntur partes, quæ ſunt inſtrumentum motus voluntarii, & quæ ſolummodo ſunt inſtrumentum ſenſus, ut in brachio ſunt muſculi, & cutis, muſculi ſunt inſtrumentum motus voluntarii, cutis eſt inſtrumentum tactus ſolummodo, unde alia nervi portio defert vim motivam, quæ videlicet ad muſculum fertur, alia vero ſenſitiva externi objecti, ſeu tactiva, quæ videlicet ad cutim: & oculus alia nervorum portione movetur, alia videt, alia vim habet tactivam; Contingit etiam alias partes ſenſum, & motum ſimul recipere ab uno, & eodem nervo, cum enim unus, & idem nervus deferat eandem qualitatem; quæ ſufficit ad ſenſum, & motum, ſi contingat partem aliquam ſimul eſſe inſtrumentum motus voluntarii, & ſenſus tactus, uno, & eodem nervo ſenſitivam habebit facultatem, ac motivam, ut patet de muſculo. Quando ergo una tantùm actio pereat altera illæſa, in partibus, quæ duplicem nervorum differentiam recipiunt, facile eſt cauſam invenire, nulla enim alia ratione id contingit, niſi quia unicus tantum nervus afficitur, vel ſenſitivus, aut motivus: quamvis ubi motivus afficiatur, plerumque lædatur quoque muſculi ſenſus. Verùm ſi uno, & eodem nervo tum ſenſitivam, tum motivam potentiam pars habeat, difficilius eſt cauſam aſſequi; animadvertendum tamen, ad ſenſum efficiendum, quoniam in pati potius conſiſtit, longe minorem qualitatem animalem ſufficere, quàm ad motum, qui in actione magis conſiſtit: quare, ſi contingat, leviorem eſſe affectionem in nervo, motus aufertur, illæſo ſenſu. In hoc autem caſu nunquam contingit ſervari motum ablato ſenſu, quoniam affectio, quæ tollit irradiationem ſufficientem ad ſenſum, longè magis tollit eam, quæ ad motum requiritur, cum ut dictum eſt, longè copioſior requiratur irradiatio pro motu, quàm pro ſenſu, unde Galenus primo de cav. ſimp. capitulo quinto: Quomodo igitur quorumdam partium movendi

quidem ab impetu functio resolvi videatur, illæsa sentiendi facultate, ac quomodo rursus aliæ moventur quidem, sed non sentiant, in lingua, & oculis, quæ duplici nervorum genere præditæ sunt, nihil habet ambiguitatis. At in quibus membris duri dumtaxat nervi inveniuntur, hac ratione quæstio explicabitur. Si ablata cute, subjectus musculus, qui nudus est, immobiliis videatur, sentiat autem tangentes, exiguam ei noxam accidisse putandum est, nempe quod tantam animalis facultatis partem susceperit, quanta ad sensus excitationem sufficiat, ad musculi motum non sufficiat. Quippe tactionis sensus pati aliquid potius, quam agere deprehenditur, proinde ab exigua facultate functio ejus perfici potest; musculorum verò motus in agendo, non in patiendo actionis efficaciam habet, is enim totum corpus transferre potest, quapropter plurima indiget animali facultate.

Neque aliter accidere unquam deprehendes, ut moveatur quidem nudus musculus, sed non sentiat. Verùm nihil mirum videri debet, si adjacens illi cutis sensum amittat, musculus verò ipse moveatur. Quemadmodum etiam usu venit, dum duorum musculorum alter quidem movetur, alter verò immobilis sit, aut alter quidem sentiat, alter vero sensum amiserit. Id verò hanc ob causam eis evenire solet, quòd nervus alterius læsus est, alterius verò mansit illæsus. Sic etiam fieri potest, ut nervus per cutim dispersus offendatur, qui verò per musculum spargitur, noxa careat. Sic è converso fit, ut illæso cutis nervo, lædatur nervus musculi. Neque huic determinationi obstat, quod in apoplexia servetur respiratio sensu ablato, atque ita ablato sensu, servetur motus musculorum thoracis, quamvis enim sensus tactus in cæteris partibus sit ablatus, adhuc tamen permanet in ipsis thoracis musculis, sicuti enim qualitas motiva influit, ita & sensitiva (cur verò omnibus aliis actionibus animalibus ablatis, solus permaneat musculorum thoracis motus, alia est quæstio, neque ad præsentem locum facit) quantum est ex ratione facultatis. Verùm quoniam ad sensum tactus non sufficit, ut objectum sit præsens, & instrumentum sit ex se dispositum, sed insuper requiritur, ut judicetur à communi sensitivo, unde & sani non advertentes quandoque objecta sensibilia, præsentia non sentiunt, id-

circò

circò, quoniam commune ſenſitivum in apoplexia afficitur, ita ut judicium fieri nequeat, fit ut muſculi thoracis, quamvis ſenſitiva facultate non ſint deſtituti, non tamen ſentiant. Idem in epilepſia accidit, in qua ſenſus partium aufertur, & tamen partes omnes contrahuntur, non percipiuntur enim objecta ſenſibilia ob communis ſentiendi principii affectionem. Licet dici quoque poſſit, epilepticos motus non eſſe motus, qui fiant mediante qualitate animali à cerebro influente, ſed motus involuntarios ad contractionem cerebri conſequentes, qui citra opem illius qualitatis fiunt, unde & quandoque partes reſolutæ convelluntur, veluti ex Hippocrate colligi poteſt primo Epid. ſect. tertia: Ægroto decimotertio, ubi hæc habet, ſtatim lingua voce deſtituta eſt, dextra manus reſoluta eſt cum convulſione, veluti attonitis ſolet. Quare ſicuti prohibetur influxus ſenſitivæ qualitatis, ita etiam motivæ. Evenit etiam quandoque ſenſum imminui, vel auferri ſuperſtite motu, eo quod inſtrumentum ſit ad ſenſum ineptum, aptum tamen ad motum, ſed non eſt affectio hæc vera partis reſolutio. Id contingit ob nimiam ſenſitivarum partium exſiccationem, qua minus aptæ ſunt ad ſenſum, ſed ad motum robuſtiores.

Differentiæ, quæ ſumuntur penes reſolutas partes, multæ ſunt, namque vel pars dextra reſolvitur, vel ſiniſtra, atque nonnunquam cum læſione etiam partium capitis, aliquando verò citra læſionem earum, vel una tantum, aut plures partes tam à dextris, quam à ſiniſtris reſolvuntur. Ratio harum differentiarum referenda eſt in diverſitatem partis, quæ primò afficitur; namque ſi affectio fuerit in principio ſpinalis medullæ utraque ex parte, totum, quod ſub capite eſt, reſolvitur, tam ſcilicet dextra, quam ſiniſtra pars. Si verò dimidia tantùm pars, vel dextra tantum, vel ſiniſtra pars reſolvitur, quæ videlicet è directo reſpondet affectæ parti. Si unà quoque afficiantur nervi per capitis loca diſſeminati, initium videlicet ipſorum, quod in cerebro eſt, una quoque partes faciei, & capitis reſolvuntur. Si peculiaris quiſpiam nervus ad partem aliquam latus, ea tantùm pars, in qua fertur ille nervus, reſolvitur, ſi plures afficiantur, & plures partes reſolvuntur. Unde Galenus tertio loc. af. decimo;

Cauſa differentiarum paralyſis penes affectas partes.

mo: Ubi nervi alicujus partis vel dextræ, vel ſiniſtræ ſenſum, & motum amiſerint, reſolutio dicitur partis ejus, in qua conſiſtit affectus,

Si in aliquo membrorum idem evenerit, ejuſdem membri reſolutio dicitur, & inferius: Circa primum ſpinalis medullæ proceſſum facta aliqua diſpoſitio, per quam cerebri facultas, quo minus ad ipſam perveniat, prohibetur, omnia inferiora membra dempta facie, ſenſu, motuque privabuntur. Ubi verò dimidia ejus proceſſus pars fuerit affecta, vel dextræ, vel ſiniſtræ dumtaxat, & inferiùs: Si pars aliqua faciei ſimul cum toto corpore reſoluta eſt, reſolutionis diſpoſitio in ipſo cerebro conſiſtit. Si particularis aliqua faciei pars dumtaxat afficiatur, particularis etiam cerebri pars, unde ad eam veniunt nervi, eſt affecta, & inferius: Si pars aliqua eſt reſoluta, nervum qui ejus motioni deputatus eſt, vel muſculum affici neceſſe eſt.

Differentiæ à cauſa efficiente ex ſupradictis ſatis ſunt manifeſtæ, alia ſiquidem fit ab obſtructione, alia à conſtipatione, alia à compreſſione, alia à ſubſidentia, alia à continui ſolutione, & ſic de reliquis. Quomodo verò in vulneribus contingat reſolutio, jam videamus.

Quomodo in vulneribus accidat reſolutio.

Per vulnera igitur contingunt reſolutiones, aut ob nervi præciſionem, vel muſculi, aut ob ejuſdem contuſionem facta compreſſione, aut ob inflammationem facta conſtipatione, & compreſſione, aut propter obſtructionem, ſeu conſtipationem à materia purulenta, aut ob retroceſſum animalis facultatis, ut in cerebri inflammationibus, vel muſculi temporalis. Poteſt etiam contingere ob humores craſſos, & viſcidos, qui prius in cerebro exiſtentes occaſione ictus ad principia nervorum lati ſunt. Item ob compreſſionem factam ab aliquo oſſis fruſtulo, vel ab oſſe luxato.

Dubitatio.

Sed inquiſitione dignum eſt, quomodo ex vulnere ſpinalis medullæ quandoque contingat reſolvi tantùm pedem, & crus, non ſuperiores partes, quæ tamen, ut videtur, magis deberent reſolvi, Verùm duplici de cauſa hoc in vulneribus ſolet evenire, prima quidem propter ſpinalis medullæ compoſitionem, quæ licet primo aſpectu unius rationis eſſe videatur, re vera tamen eſt

veluti

veluti capillorum acervus, indiſtinctus ad ſenſum. Unde & ab ipſo ſpinæ initio ad unamquamque partem diriguntur nervi, qui tamen à reliquis non ſunt diſtincti, niſi dum egrediuntur ipſam ſpinam. Quamvis autem diſtincti ſint in hoc egreſſu, nihilominus ſunt efformati ex portione illa capillorum, unuſquiſque videlicet nervus ex ſua: quare ſi contingat per vulnus præſecari in ſpina capillamenta, ex quibus exempli gratia ortum ducit portio illa nervorum, quæ ad crus, & pedes fertur, confeſtim crus, & pedes reſolvuntur, illæſis ſuperioribus partibus: à capillamento enim præſecto non habent ortum nervi, qui ad ſuperiores partes tendunt. Ex quo quidem reddi poteſt ratio miræ varietatis convulſionis epilepticæ. Poteſt etiam id contingere, & eſt altera cauſa, quoniam ex vulnere tenuis quidam humor, priùs exiſtens in ſpina, decumbit in inferiores nervos, & eorum robur diſſolvit. Purulenta quoque materia ad eoſdem deſcendens, idem efficit. Sed tunc non ſtatim affectio vulnus conſequitur, præſertim ſi purulentia eam effecerit.

An verò ab hac, an ab illa cauſa accidat reſolutio in vulneribus, non eſt difficile cognoſcere, namque ſi ex ſectione, aut contuſione ortum habeat, ſtatim inflicto vulnere ea ſubſequitur. Si ob inflammationem fiat compreſſio, & conſtipatio, aderunt inflammationis ſigna in parte vulnerata. Si ob materiam purulentam facta fuerit obſtructio, ſive conſtipatio, non niſi proceſſu temporis contingit reſolutio, adſuntque alia ſigna retenti puris. Potiſſimùm vero id contingit per capitis, aut ſpinalis medullæ vulnera. Si verò occaſione vulneris craſſi, & viſcidi ſucci in nervos decumberent, hoc ab ictu ſtatim contingit, abſque tamen nervi præciſione aut contuſione, & in capitis vulneribus præſertim conſpicitur; ob violentiam enim ictus materia pituitoſa in cerebro exiſtens agitatur, & cum impetu movetur, & quaſi projicitur in nervorum principium, unde reſolutio modo dextræ, modo ſiniſtræ partis, modo unius particularis membri, pro ratione quantitatis materiæ, & loci, ad quem decumbit. Idem aliquando accidit ob cerebri flammeam diſpoſitionem. In qua autem parte conſiſtat cauſa, ubi materia purulenta, vel pituitoſa, & craſſa eam fecerit, partes affectæ demonſtrabunt; nam, ſi unica *Signa.*

tantùm

tantùm pars resolvatur, initium nervi, qui ad eam fertur, causam continet, si plures, stips nervorum ad eas venientium, si tota pars dextra, aut sinistra sub capite, initium spinalis medullæ. Si ob retrocessum animalis spiritus resolutio contigerit, vulnus est in capite, supervenitque inflammatio aut facta est magna cerebri concussio.

Præsagia. Resolutio ex se lethalis affectio non est, sed tamen lethalis affectionis signum esse potest, ut quæ inflammationem vulnerati musculi temporalis, vel membranarum cerebri, aut ipsius cerebri, vel putredinem in his partibus contentam consequitur. Item quæ spinæ inflammationem, quamvis hæc non sit adeò lethalis, curatur enim quandoque inflammatio spinalis medullæ, unde Gal. 1. loc. af. 6. septem diebus scribit inflammationem spinæ curari. Resolutionem quoque interdum contingit lethalem esse ex accidenti, hoc est ratione partis affectæ; nam resolutio partis ad vitam necessariæ in mortem, si causam habeat stabilem, seu contumacem, plerumque terminatur, ut quando resolvuntur musculi deglutitioni inservientes, & qui excrementorum primæ coctionis expulsioni sunt dicati, fœcum videlicet, atque urinæ: unde etsi auferatur intestinorum sensus, in mortem solet finiri, quia non sentiunt irritamentum fœcum, ideoque non insurgunt ad eorum expulsionem, & ita modo involuntariè exeunt, modo penitus supprimuntur, & idem est de urina. Ad curationem autem, quæ non est lethalis affectionis signum, neque ex accidenti lethalis est, se habet hoc modo, quæ ex præcisione nervi, aut vehementi contusione ortum habet, incurabilis est; illa quidem, quoniam cum irreparabilis sit nervi dissecti continuitas, siquidem nervus sectus non coalescit, ut dicebat Hippocrates 6. Aph. 19. & sine hac non possit fieri influxus animalis qualitatis, necessario in posterum remanebit pars illa, ad quam fertur sectus nervus, animali qualitate orbata, & propterea deficiet aliquis ex partis motibus. Non aliter, si attritus fuerit vehementer nervus, nam post sequutam sanitatem in ea parte nervi tanta remanet densitas, ut præpediatur transitus influentis qualitatis. Quæ ex purulenta materia, aut alia crassa materia, ortum habet, modò principalis affectio curetur, & ipsa plerumque curatur, nisi in sene, aut

decre-

decrepito fuerit. Ut plurimum tamen diuturna eſt affectio, ægrè enim diſcutitur materia craſſa in intima exanguis partis ſubſtantia impacta. Quæ ex inflammatione non lethali alicujus partis ortum ducit, & ipſa curari ſolet. Quando autem in paralyſi nimis extenuantur, & contabeſcunt reſolutæ partes, vel earum color immutatur, malum, ſignum eſt enim imbecillitatis naturalis caloris, qua cauſam conficere non poterit, vel cum maxima difficultate. Quod ſi non extenuentur notabiliter, bonum, ſignum eſt etenim roboris nativi caloris. Sperare autem ſanitatem citiùs potuerimus, ſi reſolutis partibus tremor accidat, quoniam cauſam reſolutionis imminui, & alicui influxui locum dari ſignificat, utpote quod præſentiam alicujus animalis qualitatis in parte ſupponat, ſiquidem, ut dicebat Galenus ſecundo de cav. ſimp. 2. Tremor ex duplici motu conſtat, altero quidem proficiſcente ab innata membri gravitate deorſum trahente, altero verò à facultate ſurſum attollente, in qua pugna neceſſum eſt membrum tremore corripi.

CAPUT LXXVI.

De curatione reſolutionis.

CUm igitur reſolutio ſit ſymptoma, per cauſæ ablationem, ut cætera ſymptomata, auferri debet, unde ſi in cauſa fuerit inflammatio, quod ejus futurum eſt, prohibendum, ne fiat, quod verò factum eſt, tollendum, veluti proprio capite explicatum eſt. Si verò ob materiam purulentam facta fuerit, hæc attenuanda, & digerenda, aut ſudoris ſpecie expellenda, quando per meatus ſenſiles, neque naturales, neque artefactos evacuari non poteſt. Si ob materiam craſſam, & viſcidam, hæc erit evacuanda, tum per meatus ſenſiles, videlicet per alvum, & urinam, tum per inſenſiles. Si à telo, quod in vulnere permanſit, vel ab oſſis fruſto, vel ab oſſe extra proprium locum pulſo facta fuerit compreſſio, quod comprimit auferendum, etſi luxatum ſit os, in propriam ſedem reducendum. Si facultas retroceſſerit revocanda, ſi defecerit, inſtauranda. *Indicationes.*

Curatio resolutionis si ab inflammatione. Quando igitur ab inflammatione ortum ducit resolutio, curanda erit per ea, quæ inflammationem removent, non secus ac proprio capite traditum est, verùm, quoniam in curatione inflammationis secanda est vena, sanguinis autem missio totum corpus refrigerat, nec amplius refrigerandæ sunt resolutæ partes, ut quæ propter quietem, & defectum animalis qualitatis satis refrigerantur, non oportebit tantum sanguinis mittere, quantum aliàs mitteretur pro curatione inflammationis.

Si à materia purulenta. Si à materia purulenta facta fuerit, peractis universalibus evacuationibus, ea digerenda erit, unde inunctiones illæ probantur, quæ in convulsione ex repletione, de quibus in sequenti capite, & quæ conveniunt in ea, quæ à materia fit crassa, & viscida. Sed & fotus parari poterunt ex vino, in quo bullierint flores camæmeli, rosmarinus, iva, salvia, spica, seu lavendula, & ejus flores, calamintha, ruta, lauri, & juniperi baccæ, gariophilli, & hujusmodi madefacta in vino hoc calente spongia ampla, deinde expressa, partique pluries apposita. Sed & ea, quæ ad cutim materiam promovent, & per insensibilem halitum, vel sudoris specie eandem evacuant, utile erit per os exhibere, cujusmodi est decoctum Chinæ, Gaujaci, Sarsæparillæ, & hujusmodi, modò vulneris dispositio non prohibeat.

Si à materia crassa, & viscida. Si materia crassa, & viscida fuerit resolutionis causa, facta congrua humoris præparatione per ea, quæ attenuant, & incidunt, cujusmodi est syr. de betonica, de stœchade, de iva, oxymel simplex, decoctio ivæ, salviæ, rorismarini, amaraci, betonicæ, pimpinellæ, lavendulæ, mentæ, origani, & hujusmodi, hanc evacuare oportebit pharmacis phlegmagogis, & iis etiam vehementioribus, ut à longinquis quoque partibus pituitam evocent, modò vires ferant. Hujusmodi erunt pilulæ cochiæ, fœtidæ, de nitro, hyera, diacolocinthidos, stibium præparatum, & similia, neque unica sat erit purgatio, raro enim unica purgatione educuntur humores crassi, & viscidi, eo autem minus, ubi in partibus remotis continentur. Iteranda itaque erit, donec exquisitè evacuatum sit corpus. Si virtus non ferat hæc validiora, imbecilliora erunt offerenda, sed crebrius ea exhibere opus erit, ut quasi per epicrasim fiat evacuatio, hujusmodi erunt agaricus

trochiſcatus, pilulæ de agarico, de hyera cum agarico, Arabicæ, ſyr. de polypodio, & quæ ſunt hujus cenſus. Evacuato toto corpore, ut quod in parte affecta remanſit materiæ abſumatur, exhibenda erunt, quæ materiam illam, aut per inſenſibilem halitum evacuent, aut per ſudores, vel urinas expellant, aut etiam exſiccent, ac præterea nervos roborent; itaque reſina terebinthina erit ex uſu cum pulvere ivæ, atque betonicæ; præſtantiſſima ſunt Theriaca, & Mithridatium, elixir vitæ, caſtoreum, Quinta eſſentia appellata florum roriſmarini, vel eorum oleum: leviora his ſunt ſaccharum è floribus roriſmarini, ſalviæ, betonicæ paratum. Sed maximè omnium prodeſſe ſolet decoctum Guajaci, & Chinæ, Saſſafras additis herbis capitalibus, & quæ nervos reſpiciant, cujuſmodi eſt betonica, roſmarinus, ſalvia, iva, &c.

Extrinſecus admovenda erunt, quæ vim habeant attenuandi, digerendi, & ex alto evocandi cum aliqua mollificatione,& hoc, ne ſubtili parte reſoluta, quod craſſum eſt remaneat reſolutioni ineptum: quare eædem inunctiones convenient, quæ in convulſione ex tali cauſa, ex unguento videlicet arogon, marciaton, de bdellio, oleo laurino, vulpino, de caſtoreo, de euphorbio, de terebinthina, de croco, ſinapino, balſamo arte confecto. Summopere etiam laudatur inunctio ex pinguedine, quæ deciderit ab anſere in veru aſſo, in cujus ventre conſuta fuerint bdellium, opopanax, ammoniacus, tacahamaca, nuces myriſticæ fractæ, mumia, caſtoreum, & fruſtum carnis vulpinæ. Ab inunctionibus autem utiliter ſuperimponitur pellis vulpina ſuffumigata cum pulvere nucis moſchatæ, gariophillorum, & ivæ: probantur etiam irrigationes ex aqua ardenti, in qua præſertim infuſa fuerint iva, ſalvia, lavendulæ flores, betonica, amaracus, & ſimilia: pariter fotus ex vino, in quo efferbuerint eædem herbæ, item ſtæchas, pulegium hyperici flores, & folliculi, hyſopum, anethum, thymus, ſatureja. His addi poſſunt balnea naturalia ſulphurea, & bituminoſa, & duciæ ex iiſdem aquis. Sed de hac reſolutione ſatis hæc ſunto: hic enim non eſt proprius tractationis hujus locus. Animadvertendum autem, in hac affectione topica non rarò videri parum conducere, quoniam citò diſſipatur eorum

Topica.

rum vis in auras dissoluta substantia, vel simul cum materia innatus calor exhauritur, proindè paranda erunt medicamenta ea forma; qua apta sunt diutiùs perdurare, & addenda frigida, ut prohibeant innati calidi dissipationem. Ut quoque excitetur calor nativus partis, qui ob otium, & irradiationis privationem languet, imperandæ erunt frictiones asperiores ex calido linteo, crebroque fieri poterunt si concussum fuerit cerebrum, aut dissipati fuerint animales spiritus, curatio petenda est è doctrina vulnerum capitis. Ibidem quærenda est medela compressionis cerebri.

CAPUT LXXVII.

De Convulsione.

MIserandum symptoma in vulneribus involuntaria illa partium ad propriam originem contractio, quæ appellatur convulsio, à qua paucos evadere observatum est, proinde omni studio in ejus ablationem insistendum, non quidem, quia sit symptoma, sed quoniam rationem causæ induit, tum vires prosternendo doloris ratione, tum voluntarium omnem motum auferendo, ut & deglutitio, & respiratio tollantur, & aliæ voluntariæ motiones, sine quibus vita consistere non potest. Quòd vero sit morbifica causa, dum tollit hasce motiones manifestum est, siquidem ad ablatam respirationem sequitur excessus caloris, & suffocatio à fuliginibus retentis, & ita morbus tum in intemperie, tum in cavitatibus. Dum vero deglutitio impeditur, sequitur partium omnium inanitio, & tabes. Sicuti, dum retinentur fæces, & urina, morbi fiunt in cavitatibus, & etiam in intemperie, magnitudine, & continui solutione. Nihil ergo mirum, si promptè interficiat, potissimum autem in vulneribus, utpotè causam contumacem sequens. Natura igitur convulsionis diligenter consideranda, & causarum ejus, ut adinveniamus, quibus, & quomodo in vulneribus, si fortè invaserit, convulsis possimus consulere.

Appellavimus autem symptoma convulsionem, quia nemini dubium est esse symptoma voluntarii motus, cum iste oblædatur,

tur, non quia auferatur, vel imminuatur, sed quia depravetur; retrahuntur enim partes convulsæ ad proprium principium, veluti in motionibus secundùm naturam fieri consuevit præter voluntatis imperium, sed vi morbi, in quo tantùm differt convulsio à motu secundum naturam, unde Gal. 3. loc. af. 6. & 3. de morb. vulg. c. 1. tex. 4. & lib. de trem. palp. &c. c. 2. & ult. Convulsio in convulsis partibus facta hac sola ratione à motu secundùm naturam differt, quod præter voluntatem nostram fiat, & 2. de symp. cav. 1. convulsio pro generatione motum habet illegitimum, & morbi est opus, & 6. Aph. 3. Convulsio est passio involuntaria ad similem venientibus partibus nervosis in ea dispositionem, quam etiam in motibus factis secundum appetitum assumebant, & 2. de symp. cav. 1. Convulsio nervos, musculosque ad eundem cogit affectum, in quem ab animali facultate, cum naturalem habitum servarent, ducebantur, & 6. Aphor. 39. Convulsio fit convulsis ad propria capita musculis, & est passio involuntaria, unde & 2. de symp. cav. 2. Convulsionem inquit esse læsionem voluntariæ functionis, quoniam potentia motrix in convulsione veluti ligatur, ut nequeat propriam edere functionem, & ita læditur actio motiva, sed vitium totum referendum est in instrumentum motionis, facultas enim motiva non deest in parte, sed non operatur, quia ligatur vitio ipsius instrumenti, & ob id convulsio est morbi symptoma, non facultatis, solus enim morbus ad generationem ejus concurrit, nequaquam natura, unde Gal. 2. de symp. cav. 1. Ex symptomatis motus alia morbidos sequuntur affectus, ut palpitatio, & convulsio, nihil ad ipsorum generationem conferente natura. Et ideo etiam eod. lib. c. 1. dicebat: Convulsionem esse morbi opus.

Convulsio quid.

Convulsio est morbi symptoma, non virtutis.

Est igitur convulsio contractio musculorum ad propriam originem præter voluntatis imperium in morbo contingens, sive non velint musculi, contrahuntur, ut dictum est, in quo à naturali motione differt convulsio. Differt autem convulsio à motu convulsivo, & ejus differentia noscenda, ne, quæ uni ipsorum attribuuntur, alteri attributa quis existimet. Convulsio igitur est retractio jam facta, contracti enim servantur musculi, & ideo non est interrupta concussionibus, & accessionibus, at motus

Convulsio quid.

Differentia inter convulsionem, & motum convulsivum

convulsivus est cum concussionibus, & accessionibus, quare non manent membra contracta, sed contrahuntur tantùm. Diversa ergo sunt symptomata, nam convulsio est symptoma morbi, motus verò convulsivus naturæ irritatæ; hoc pacto enim concutitur pars, ut rem molestantem fugiat, seu expellat, unde est motus depravatus expultricis ab irritamento proveniens. Hujusmodi motus in epilepsia licet carnere.

Motus convulsivus est symptoma naturæ irritatæ.

Noto tamen in motibus convulsivis, quod non semper ea pars, quæ motus illos paritur, irritatur principaliter, nam in epilepsia cerebrum est id quod vellicatur, & irritatur, & ideo concutitur, ut expellat rem noxiam, ad cujus quassationem nervi omnes ab eo prodeuntes necessario concutiuntur, & contrahuntur versus proprium principium. Differunt igitur convulsio, & motus convulsivus penes causam, convulsionis enim causa est morbus, motus convulsivi natura irritata, hinc est, quod convulsione pars moveri nequit, quia facultas est ligata vitio instrumenti, ex motibus verò convulsivis nequit quiescere, quia nequit facultas membrum in quiete continere, quia necesse ipsi est, ut semper operetur, quamdiu irritatur. Appellat hos motus convulsivos Avic. spasmum non proportionatum ad materiam, hoc est ad subjectum, in quo fit, etenim veræ convulsionis subjectum est musculus, instrumentum motus voluntarii, at motus convulsivi ad facultatem expultricem perinent, cum ab irritamento fiant.

Sed ad convulsionem revertamur, atque partem primario affectam inquiramus, cum enim contrahantur musculi ad proprium principium, & in musculo adsit portio, & fibrosa, ac membranosa, & nervi, & in capite, & finibus musculi tendines ut plurimum, non ab re dubitabit quispiam, an inter has partes una quæpiam, quæ principaliter afficiatur, an æqualiter omnes, denique cujus præcipuæ partis sit affectio. Videtur Galenus omnes partes statuisse esse affectas, dicebat enim 3. de morb. vulg. com. primo text. 4. & lib. de trem. palp. &c. cap. 2. convulsionem esse affectum quodammodo germanum musculorum, & nervorum; & alibi etiam dicebat, convulsio est affectus qui nervis, & musculis accidit. Capivaccius existimavit nervos esse primario

Quæ sit pars primario affecta.

mario affectos, unde definiens convulsionem dicebat esse motum pravum retractionis mobilis dependentem à musculis contractis præter naturam à nervis. Sed quoniam convulsio est motus depravatus, necessariò dicere oportet, partem primario affectam esse eam, quæ est principium, & præcipuum motus instrumentum, quæ quidem cum sit tendo, idcirco convulsio primo in tendinem referenda est, secundario verò ipsi musculo, ut communi instrumento, & potissimum secundum fibras, ipsæ enim propriè convelli dici possunt, quapropter cum nervus non sit instrumentum motus voluntarii, nisi quatenus defert facultatem motivam ad partem, propriè convelli non dicitur, sed solùm per quandam similitudinem. Et quamvis nervi possint distendi in latum, ita ut sint in causa, ut musculus contrahatur, non tamen convulsio erit proprius nervorum affectus, sed ipsorum musculorum, nam affectio retractionis membri ad proprium principium est solius musculi, affectus verò ipsorum nervorum distensio dicitur. Unde cum membra contrahantur ratione nervorum, affectio dicenda est potius nervorum distensio, quam convulsio, & Hip. ut plurimum non convulsionem, sed distensionem appellat. Et fit quandoque mixta affectio ex convulsione, & distensione, ubi tendines, & fibræ musculorum, ac pariter nervi tenduntur. Si verò ratione ligamenti acciderit membri contractio, dicendus haud esset talis affectus convulsio, quia ligamentorum non est convelli, sed membri contractio. Ex quibus manifestum est, quid inter convulsionem, distensionem, & membrorum contractionem intersit.

Convulsio est propria passio musculorum non nervorum.

Statutum est convulsionem esse symptoma actionis motivæ, videlicet depravati motus, & à morbo tantum ortum ducens, nihil natura concurrente. At quoniam symptomata nunquam verè auferuntur, nisi ad morborum ablationem, quos, veluti umbra corpus, consequuntur, videre oportet, qui sint morbi, qui convulsionem efficiant. Cur ergo præter voluntatem contrahantur musculi ad proprium principium, si invenerimus, causas convulsionis effectrices invenisse pro comperto habendum est. Si ergo musculi ad propriam originem debent retrahi præter voluntatem, necesse est, ut breviores fiant, quam antea, fiet enim ex hac

Quem morbum sequatur convulsio.

hac brevitate necessario contractio musculorum una cum parte ad proprium principium. *Causa.* Duobus autem de causis fieri potest, ut breviores reddantur, una est, si præter modum repleantur, ita ut nervi, & fibræ in latum distendantur, unde cum in latum crescant, necesse est, ut secundùm longitudinem breviores fiant, atque ita sequitur contractio: altera est, si præter modum inaniantur, & siccentur, sic enim fibras concidentes breviores fieri quodammodo corrugatas, ac nervos necesse est, non aliter ac chordis evenire solet propter nimiam humiditatem, & siccitatem, utraque enim de causa, contrahuntur, & disrumpuntur, & ideo, qui fidibus canunt, ubi fidibus parcere, ac deponere instrumentum volunt, eas remittunt, non ignorantes propter nimiam humiditatem, ac siccitatem eas disrumpi. Itaque morbus, quem convulsio sequitur, nullus alius erit, quàm perversa figura musculorum, ut qui breviores fiunt, vel concisis fibris ob siccitatem, seu inanitionem, vel in latum aucti ob repletionem, seu intemperiem humida cum materia, quo tamen in casu materia est, quæ primario figuram pervertit replendo, intemperies verò quid accidentale. Quod enim intemperies non sit vera convulsionis causa, ut quidam asserunt, ex eo facilè deprehenditur, quod talis intemperies non facit convulsionem nisi replendo, atque distendendo, sed id quod distendit, est materia, accidit autem ipsi adnexam esse intemperiem: intemperies enim repleri non potest, sed materia, quæ replet, quare etiam materia erit convulsionis causa: unde quacumque qualitate prædita fuerit materia, dum modo repleat, convulsionem pariet. Has duas convulsionis causas proposuit Hip. 6. Aphor. 38. dicens: Convulsio fit vel ex repletione, vel inanitione. Et Galenus easdem recipit 2. de cav. sympt. 2. & in primum proreth. cap. text. 69. & 3. loc. aff. 6. & lib. de trem. palp. &c. & easdem posteriores ferè omnes receperunt.

Dubitatio de convulsione ex inanitione. Sunt tamen clarissimi viri, qui dubitant, & existimant re vera, & propriè non posse fieri convulsionem ex siccitate, eò quod ad tantam siccitatem non possint devenire partes, stante vita, ut ex ea convellantur, nam, dicunt, quæ major siccitas dari potest, quam ea, quæ in tertia specie hecticæ reperitur, & in

in marasmo, & tamen nulla sequitur convulsio; Et quamvis huic objectioni respondeatur, valdè differre siccitatem illam, quæ confestim fit, & inæqualiter ab ea, quæ æqualiter, & paulatim fit; per hanc enim non contrahuntur partes sicuti per illam, quod ostendunt animalium pelles, quæ dum paulatim extensæ, atque distentæ exsiccantur, non contrahuntur, sin confertim non distentæ, corrugantur, & contrahuntur, non acquiescunt; instat enim Argenterius dicens, aliter rem se habere in inanimatis, quæ soli, vel igni exponuntur, & aliter in animalibus, ibi enim nulla fit deperditi reparatio, at in animalibus ex alimento semper fit aliqua humidi reparatio, unde videtur impossibile, ad eam siccitatem pervenire partes hominis stante vita, ad quam pelles brutorum soli, aut igni expositæ. Præterea nulla, dicit Sclanus, videtur esse ratio, quod convulsio magis sequatur siccitatem inæqualiter, & confertim factam, quam æqualiter, & paulatim: cum enim hoc fiat, quia breviores reddantur nervi, ac musculi, adeò breviabit nervos siccitas hæc paulatim facta, atque illa, quæ confertim, quia hoc procedit à siccitate, ut siccitas est; quò major igitur est siccitas, major etiam deberet esse breviatio, sicuti si nodus funem breviat, quò plures fient nodi eò brevior reddetur funis. Amplius si eò quòd distentæ exsiccentur pelles, non contrahuntur, atque idem in animalibus contingit, sequeretur, quod, si partes hominis distentæ servarentur, dum convulsionem ex inanitione timemus, vel ea jam cæpit, non possent breviores reddi, atque ita contrahi, & convelli, quia sic fieret æqualis exsiccatio à causa siccante, quod est absurdum: ex quibus adducuntur viri doctissimi, ut existiment, à siccitate propriè non fieri convulsionem, sed quæ ab Hip. & Gal. appellatur convulsio ex siccitate, fieri ab evacuantibus, & inanientibus, non quia exsiccent, sed quia humores acres excitent, vel eliquent, qui postea musculosas, & nervosas partes mordicant, & ita convulsionem faciunt, & interpretantur dictum Hip. & Gal. ex siccitate, hoc est ex causa siccante. Ad argumentum verò, quod desumitur à curatione, quæ fit per humectantia, quo astrui videbatur, convulsionem esse verè ex siccitate, respondent, quod humectantia non curant convulsionem propriè humectando, sed mordicantium humorum acrimoniam obtundendo.

Rationes, istæ, etsi aliquibus maximè urgere videantur, quia tamen contra sensum pugnant, nam aperte conspicitur ex nimia inanitione confertim facta, quamvis nunquam adeò citò fiat, ut repletio, convulsionem excitari absque ullo rei mordentis signo, & quoniam ex tali causa potius fiunt motus convulsivi, quam vera convulsio, utpote materia mordaci expultricem irritante, propterea non omnino subscribendum videtur prædictæ sententiæ; & eo magis, cum haud difficili negotio dissolvi posse videantur quæ in contrarium sunt adducta, si causa videlicet inveniatur, cur in marasmo non sequatur convulsio, non enim existimatur id esse tantùm, quia exsiccatio fiat paulatim, & æqualiter, nam & hæc ut siccitas contrahit, & si soli musculi, & nervi in marasmo exsiccarentur, necessario sequeretur convulsio, quia necessario fierent breviores: cum exemplo sint ipsæ brutorum pelles, quæ quantumvis distentæ paulatim,& æqualiter exsiccentur, semper tamen siccatæ breviores longè deprehenderentur, quam ante exsiccationem, & si ligna, quibus exsiccandæ brutorum pelles extenduntur, cederent, profectò contractio sequeretur, nam manifestè videmus siccatas pelles non mediocrem vim ob tensionem lignis iis inferre: quare si per marasmum breviores reddantur soli musculi, & nervi, necessarium quoque esse, ut ii ad propriam originem contrahantur, nemo arbitror dubitabit. Verùm quoniam in hectica, dicunt, non tantum musculi, & nervi exsiccantur, sed omnes corporis partes, hinc fit, ut quamvis breviores reddantur musculi, non tamen revellantur; partes enim & aliæ non minus exsiccatæ in eadem proportione se habent ad nervos, & musculos, qua prius; at quando ex siccitate repentina, puta ob evacuationem, sequitur convulsio, non omnes siccantur partes, sed breviores fiunt musculi, & nervi, reliquæ vero partes suam longitudinem servant, & ita necesse est membrum contrahi ob musculorum brevitatem.

Cur in marasmo non fiit convulsio.

Objiciebatur, non posse stante vita, partes ad eam siccitatem pervenire, ad quam pelles, vel chordæ, ut ob eam breviores reddantur: verum objectio hæc nullius momenti censetur, illud enim solummodo tamquam exemplum affertur, quo intelligatur, ut siccitas breviores faciat nervos, ac musculos, majorem habet diffi-

difficultatem intelligere, quomodo ex superflua evacuatione, puta sanguinis, siccentur istæ partes: cur enim immoderatum sanguinis profluvium magis siccat nervos, & musculos, quam venarum, & arteriarum tunicas, ligamenta, cutem, tunicas e. g. intestinorum, quod si & has quoque exsiccet, cur non & ipsæ breviores reddantur: aut quomodo sanguinis evacuatio possit nervos exsiccare, cum in nervis non contineatur sanguis, & quomodo potius in hac, quam in illa parte? *Dubitatio alia.*

Sed neque illud difficultate caret, quod contractio non videtur esse siccitati proportionata, minus enim contrahuntur lora, & pelles penitus exsiccatæ, & omni humiditate exutæ, quam corporis partes, quæ ad tantam siccitatem stante vita pervenire nequeunt, magis ergo recondita videtur esse convulsionis hujusce natura. Et nisi viderem clarissimos viros communiter recipientes, concisis fibris ex inanitione convulsionem fieri, dicerem convulsionem hanc non esse solius morbi symptoma sed & naturæ, quæ nocumentum persentiens ex substantificæ humiditatis in partibus nervosis existentis evacuatione, partem contrahat, unde fiat, ut soli musculi contrahantur, quoniam solius ipsorum actio est contractio. Sed hæc missa faciamus, quoniam suscepti operis limites nimis excedunt; & parum ad curationem facit sive hac, sive illa ratione contingat. Cum ergo convulsio sit symptoma consequens nervorum, & musculorum breviationem ex repletione, vel inanitione, manifestum est, morbum, ad quem sequitur convulsio, esse in mala compositione, videlicet in imminuta magnitudine. *Quis morbus sit is, ad quem sequitur convulsio.*

Cum autem magnitudo triplicem dicat dimensionem, scilicet longitudinem, latitudinem, & profunditatem, constat morbum, ad quem convulsio sequitur, esse vitiatam, hoc est, imminutam magnitudinem secundum longitudinem: cujus porro causa est materia repellens, aut siccitas, imminuta tamen longitudo videtur consequi immediatius alium morbum in compositione, ubi enim breviatio fit ob repletionem, causa hujus breviationis videtur esse aucta magnitudo secundum latitudinem, quantum enim musculi secundum latitudinem augentur ob materiam replentem, tantum breviores redduntur, ut etiam in rebus

bus exterioribus, obſervamus, quæ dum ſecundum latum extenduntur, & creſcunt, ſecundum longitudinem breviores fiunt. Ubi verò breviatio fit ob ſiccitatem, videtur adeſſe alius morbus in mala compoſitione, ſcilicet imminuta latitudo, quia concidunt fibræ. Verùm quoniam nullum horum fieri poteſt citra figuræ decentis læſionem, idcirco Galenus, quandoque reponit convulſionem inter morbos figuræ. Aliquando etiam inter morbos in intemperie, reſpiciens ad breviationis cauſas, quamvis non in omni convulſione ex repletione intemperies propriè vim cauſæ ſortiatur, ſed potius ſit quid annexum. Poſſemus etiam morbum in ſitu adducere, cum muſculi, & nervi breviores facti proprio loco non circumſcribantur.

Cauſæ remotiores. Cum igitur duæ ſint præcipuæ convulſionis cauſæ, ſcilicet repletio, & inanitio, quæcunque vim habebunt replendi, & inaniendi, ea omnia ſtatuenda ſunt convulſionis cauſæ. Itaque materia omnis humoralis, cum replere poſſit fibras, convulſionis cauſa eſſe poteſt. Dico autem fibras, quia niſi ipſæ fibræ repleantur, non ſequitur convulſio, hinc in athleticis repletionibus, non ſequitur convulſio, quia plenitudo adeſt quoad vaſa. Quamvis autem omnes humores replere poſſint, duo tamen ſunt poſſimum, quæ convulſionem facere conſueverunt, videlicet pituita craſſa, & viſcida, unde Galenus 2. Aph. 36. Nervi replentur à frigidis, & glutinoſis humoribus, ex quibus etiam nutriuntur, atque ſanguis, dum in nervis inflammationem efficit. Unde Gal. 4. loc. af. 3. Ad tenſiones nervorum, ubi inflammatio acceſſerit, convulſio comitatur. Purulentam materiam non excludimus, quæ in vulneribus non raro convulſiones parit.

Niſi fibræ repleantur non fit convulſio.

Sed de materia pituitoſa eſt dubium, quomodo contractionem partium efficiat, cum experientia atteſtetur, à materia pituitoſa relaxari partes: ideò & uteri prolapſus fieri ſolet ob relaxationem ligamentorum, quibus uterus dorſo, & aliis partibus alligatur, à pituitoſa materia in illis imbibita. Pari ratione luxari artus videmus ob materiam pituitoſam ligamenta madefacientem, atque relaxantem: quomodo ergo convulſionem pariet, ſi potius relaxat? Verùm hujus diſcriminis ratio ſita eſſe videtur in hoc, quod dum humor pituitoſus alluit tantum, atque humectat partem,

Dubitatio.

Solutio.

rem, non in ejus fibras imbibitur, relaxationis est in causa, ubi vero in fibras imbibitur, convulsionem parit distendendo. Relaxat ergo inter fibram, & fibram existens, contrahit verò in fibras ipsas absorptus.

Sed altera oritur difficultas, quomodo videlicet ex materia crassa oriatur convulsio, cum ex eadem fiat resolutio; sed nullum est in conveniens eandem materiam utriusque affectus esse in causa ratione modi lædendi ipsius, etenim duplici substantia constat nervus, interiori videlicet, & medullari, & exteriori veluti membranea, ubi ergo substantia medullaris ab humore afficitur, quoniam per eam fit transitus qualitatis animalis ad partes, qui ab humore obstruente prohibetur, fit resolutio. At ubi fibræ externæ substantiæ replentur, nervi tunc tenduntur, & breviores fiunt, itaque membrum contrahitur manente qualitate animali in parte, quoniam substantia medullaris est illæsa. Quamvis autem materia omnis humoralis apta sit ex sui natura replere, quoniam tamen materia biliosa, acris, & mordax anteqnam repleat, à natura expellitur, hinc à tali materia non fit convulsio, sed motus tantum convulsivus, quæ tamen, si ad hoc perveniret, ut nervos repleret, non minus convulsionem veram faceret. Flatus quoque replere adeò possunt musculorum, & nervorum fibras, ut inde convulsio quædam sequatur, quemadmodum experimur in ea affectione, quæ vulgo appellatur, granfi, nihil enim aliud est, quam convulsio ex materia flatulenta, ideoque & facilè dissolvitur.

Dubitatio altera.

Solutio.

Quæ igitur ad generationem, retentionem, & collectionem materiæ replentis faciunt, ea omnia remotiores erunt convulsionis causæ, ut præcedens victus ratio, viscerum intemperies, inflammatio, solutio continui, suppressa consueta aliqua evacuatio, & hujusmodi.

Causæ remotæ convulsionis ex repletione.

Quod vero ad inanitionem attinet, quæcumque hanc efficiendi vim habent, ea omnia erunt convulsionis à siccitate causæ, unde immodicæ evacuationes, puta sanguinis profusiones, immodica alvi profluvia, & vomitus convulsionem interdum faciunt, hinc convulsio ex helleboro: præterea, quæ valide exsiccant, & ideo ardentes febres quandoque convulsionem inve-

Causæ remotæ convulsionis ex inanitione.

hunt, & medicamenta valde exſiccantia, qua ratione etiam helleborus eſt convulſionis cauſa, & labores, & vigiliæ, & ſolicitudines, & alia hujuſmodi. Unde Gal. 3. loc. af. 6. cum convulſio fit à labore, vigiliis, vel fame, vel ſolicitudine, vel arida, æſtuanteque febre, ut in phreniticis, cauſa eſt vacuitas, & ariditas: Si vero temulento cuipiam homini, & omnino pleno, qui videlicet in otio degit, eveniat, plenitudinem in cauſa eſſe eſt exiſtimandum.

Dubitatur num detur alia convulſionis cauſa præter repletionem, & inanitionem.

Sed præter repletionem, & ſiccitatem, ſeu inanitionem videtur Gal. tertiam addidiſſe convulſionis cauſam, videlicet cauſam contrahentem, dicebat enim: Itaque nervos, tendineſque in animalium corporibus, ſive ex humore ſuperfluo tenſos, ſive ex exſiccantibus cauſis arefactos ad tantam deduci extenſionem, quanta benevalentibus ſatis erat, ut ſuos voluntarios motus abſolverent, cogitato: inſuper evenire poſſe aliquam corporis partem aut ob inflammationem, aut alia aliqua de cauſa vehementer affectam nervos ſibi continuos ſecum revellere intelligito. Hæc enim cum cogitaveris, omnes diſpoſitiones, quibus convulſio advenit, invenies. Nervoſarum enim partium inflammationes, præcipueque cum in nervorum principio oriuntur, veluti citharœdi chordas, ita nervos ſibi continuos contrahendo tendunt. Verùm cui nervoſa corpora ab ingenti humorum copia obturata tenduntur, paſſio chordis haud abſimilis ob continentis humiditatem vehementer tenſis fieri ſolet. At in malignis ex ingenti ardore febribus, & validis phreniticis verſa vice paſſio evenit, ut enim lota ab igne propinquo exſiccata contrahuntur, & tenduntur, eodem modo convulſiones utique fiunt ob excellentem ſiccitatem morborum, quæ vehementer nervoſum membrorum genus exſiccat. Ecce quomodo Galenus tres haſce cauſas diſtinguit, repletionem, inanitionem, & cauſam contrahentem 12. quoque Method. capit. 8. addidit mordacem, & tenuem humorem, & vehemens frigus, dicebat enim: Nam convulſio vel ex repletione nervoſarum partium incidit (qua ratione eos, quos magna phlegmone premit, adoritur) vel ex mordente, & tenui humore, qui nervoſa corpora rodat, vel ex ingenti frigore, quod tale quidpiam, quale, gelu efficit. Atque hæ tres convulſiones ſubinde

inde percurantur. Sed quæ ex nervoſarum partium ſiccitate provenit, inſanabilis eſt. Hippocrates quoque convulſionis ex frigiditate meminit. unde 5. Aphor. 17. Frigidum convulſiones, diſtenſiones, livores &c.

Ad primam difficultatem dicimus, in omni convulſione adeſſe cauſam attrahentem, cum muſculi ad proprium principium attrahantur, ſed cauſa hæc attrahens vel eſt plenitudo, vel ſiccitas, Gal. autem voluit peculiariter diſtinguere duos convulſionis modos ex plenitudine, quandoque enim nervi omnes convulſi ſunt repleti, quandoque verò aliqua tantùm nervi portio repleta eſt, ac tenſa ob inflammationem, & hæc tendit propinquas partes attrahendo, veluti dum artifex citharæ chordas attrahit; & quando ſpinalis medulla inflammatur, hac ratione totum convellitur, namque principium nervorum inflammatum, tenſum, ac brevius redditum, neceſſariò attrahit ad ſeſe omnes nervos inferiores. Præterea in inflammatione principii nervorum convulſio in eodem principio eſt per eſſentiam, in reliquis verò partibus per conſequutionem quandam. *Solutio.*

Quod ad ſecundam difficultatem, convulſio, quæ fit à frigore ingenti, reducitur ad convulſionem ex repletione, vel inanitione, eò quia frigiditas vel roſcidam humiditatem nervi congelat, & ita convulſionem ex repletione adducit, roſcida enim humiditas rarefacta majorem locum occupat, & ita fibras diſtendit, vel excrementorum excretionem prohibet, quo in caſu etiam facit convulſionem ex repletione, ideò Gal. 6. Aph. 13. aſſerit ex rigore, vel frigiditate ſingultum fieri, quoniam omnia nervoſa corpora efficiunt ad difflandum habilia, & ita ſunt in cauſa, ut hæc repleantur, vel humiditatem exprimit, quo in caſu convulſio ex ſiccitate ſequitur. Quæ verò fit ex mordaci, & tenui humore, non eſt convulſio propriè dicta, ſed convulſivus motus, cujus cauſas tempus eſt, ut inquiramus.

Motus convulſivus fit, ut ſupra dictum eſt, propter cauſam mordacem agentem in nervos, & expultricem irritantem, & propterea diximus motum convulſivum eſſe ſymptoma non morbi, ſed naturæ irritatæ, videlicet expultricis. Quare cauſæ motus convulſivi erunt, quæ nervorum expultricem vim habent irritandi, *Cauſæ motus convulſivi.*

di, cujusmodi sunt humor tenuis, & mordax, quem proponit Gal. 12. Meth. 8. vapores acres, & mordaces, ut contingit in febribus vehementioribus, & in deliriis, quæ febribus accidunt aura venenata, ex qua Gal. 3, loc. af. 7. interdum oriri, comitialem morbum asserit. Potest autem elevari aura hæc venenata, vel à veneno intra corpus insumpto qua etiam ratione helleborus convulsivos motus efficit, vel à vermibus, vel à veneno intra corpus genito, ut non rarò contingit in mulieribus ex suppressione mensium, & seminis: qualitas non venenata, ut ingens frigiditas, unde Gal. 9. Meth. 5. convulsionem fieri dicebat ob frigidi potionem immodicam, & importunam, nam frigiditas per ventriculum communicatur nervosis partibus, atque iis irritatis oritur convulsio, quamvis etiam ob naturalis caloris defectum ex suffocatione quandoque convulsio contingat, unde Gal. 4. de ra. vic. 27. dicebat, convulsionem fieri ob copiosum sanguinem venas replentem, ut spiritus non possit penetrare, unde sanguis veluti in corpore mortui concrescit, & frigidus evadit, & hæc frigiditas nervis quoque communicatur, quæ cum ipsorum nativo calido sit inimica juxta illud Hip. 5. Aph. 18. Frigidum inimicum ossibus, dentibus, nervis, cerebro, spinali medullæ, &c. irritat ipsorum expultricem, & ita fit convulsivus motus, neque necessarium est, ut in omnibus partibus, quæ hosce convulsivos motus patiuntur, causa irritans reperiatur, sed sufficit, ut unam quampiam partem afficiat, cui aliæ consentiant, & ideo ob acres, & calidos vapores principium nervorum, & cerebrum petentes oriuntur convulsivi motus, quia cerebrum, aut nervorum principium concutitur, ut rem molestantem expellat, ac fugiat. Idem in epilepsia contingit. Convulsivus motus ex erosione oris ventriculi, de quo Galen. 3. loc. af. 7. reducitur ad eum, qui fit ex mordaci humore, quamvis enim humor immediatè non afficiat nervos, consentiunt tamen ipsi ventriculo, tanquam parti nervosæ, & molestiam persentiunt, unde irritantur, & ita fit convulsivus motus. Qualitas venefica non minus vim habet irritandi ipsum cerebrum, & nervorum principium, & ideo mirum non est, si epilepsiam, & convulsivos motus pariat.

Differentiæ convulsionis. Sed ad veram convulsionem redeamus, quæ vel est universalis, vel particularis: si universalis, vel in anteriorem partem

flectitur

flectitur corpus, & dicitur emprostotonos, vel in posteriorem, & dicitur opistotonos, vel in neutram, sed totum corpus rigidum, & tensum manet, eo quod oppositi musculi sint convulsi, & dicitur tetanos. Quas quidem convulsionis differentias proposuit Galen. libro de tremore, palp. convul. & rigore, cap. ultim. & libro de symp. diff. cap. 3. & 4. Aph. 57. & aliis in locis. Et de iisdem etiam sæpius meminit Hippocrates.

Convulsio particularis. Particularis convulsio denominatur ab affecta parte, quandoque enim convellitur brachium, quandoque oculus, quandoque cervix, & sic de reliquis. Quorundam tamen partium convulsio proprium habet nomen, nam si musculi oculum moventes convellantur, dicitur strabismus, si qui labia movent, dicitur spasmus cynicus, seu risus Sardonius, si mandibulares, dicitur trismos, hoc est, invita concussio, & stridor dentium. Quamvis ubi dentes concutiuntur, non sit vera convulsio, sed convulsivus motus. Reliquæ convulsionis differentiæ ex jam dictis patent.

Quæ convulsio in vulneribus generetur, & generationis ratio. Superest, ut videamus, quæ convulsio, & quomodo in vulneribus generetur. Et cum dictum sit, aliam esse convulsionem propriè dictam, & veram, aliam non veram, quam Arabes non proportionatam ad materiam vocant, nos convulsivum motum; utranque vulneratis contingere experientia testatur. Atque cum convulsio vera alia fit ex repletione, alia ex inanitione, utraque etiam fit in vulneribus: Ex repletione quidem, vel quia nervi repleantur materia purulenta, vel alia excrementitia, quæ aut in ipsa vulnerata parte genita est, aut aliunde ad eam transmissa, atque in nervis absorpta, ut contingit, quando ex dimidia parte sectus est nervus, vel ob inflammationem, ex affluente enim copioso sanguine replentur, atque distenduntur partes nervosæ, præcipuè autem si principio nervorum communicetur affectio, aut ipsum primariò afficiatur, & musculi breviores redduntur, itaque ad proprium principium contrahuntur. Sed & inflammationis ardor una quoque substantificam nervorum humiditatem non raro absumit, quo fit, ut duplici nomine convulsio succedat. Ob frigiditatem etiam ambientis, quando vulneratæ sunt partes nervosæ, facilè accidit convulsio, ob id potissimum,

quod excrementorum excretionem prohibet, vel nervi humiditatem roſcidam veluti congelat. Ex inanitione pariter fieri ſolet convulſio, & propter inflammationem, ut dictum eſt, & propter ſuperfluum ſanguinis fluxum, & propter frigiditatem ambientis roſcidam nervi humiditatem exprimentis. Plerumque tamen convulſio vulneribus ſupervenit ob inflammationem, ubi nervoſas etiam partes corripuerit tunc, niſi in cerebro, aut ejus involucris, aut nervorum principio fuerit inflammatio, primo convellitur pars inflammata, deinde quæ ipſi è directo reſpondent, & tandem affectio communicatur principio, & inde ad totum corpus extenditur, attrahente principio nervos à ſe ortos. Unde Gal. 5. Aph. 2. Ex vulneribus fiunt convulſiones ratione ſequentis ipſa inflammationis, ubi partes nervoſas attigerit: nam primò videntur convelli quæ è directo ſunt partium inflammatione laborantium, deinde ſic, poſtquam & principium ipſum attigerit, paſſio ad totum extenditur corpus. Accidit etiam convulſio in vulneribus propter exolutionem vulneratæ partis ex diſſectione muſculi congeneris, quæ oppoſitæ partis facit convulſionem atqui non eſt vera convulſio, ſed accidentalis.

Convulſio in vulneribus plerumque fit ob inflammationem.

Quomodo fiant motus convulſivi in vulneribus.

Motus ſimiliter convulſivi accidunt, quia pravi halitus à parte vulnerata ad cerebrum eleventur, atque nervorum principium, ex quibus cerebrum vellicatur, & irritatur, atque ſic concutitur, ut moleſtiam fugiat, ac rem moleſtantem expellat, & ex conſequenti ſuccedunt motus convulſivi in ſubjectis partibus, ſed tunc iſti motus fere ſunt univerſales, ſicuti & quando qualitas tantùm ſpiritalis defertur ad cerebrum per nervum affectum, punctum videlicet, aut diſſectum, & ex læſione continentem putredinem. Cito enim ob communionem patitur nervorum principium. Ex frigiditate quoque contingunt convulſivi motus, & univerſales etiam, cum enim frigidum inimicum ſit nervis, quamvis frigiditas ambientis agat tantum in nervos vulneratæ partis primò, noxa tamen citò communicatur reliquis, & ipſi principio, unde expultrix irritatur, atque ita motus hoſce, ut rem moleſtantem & fugiat, & expellat, concitare conſuevit. In parte quoque vulnerata tantùm, aut una etiam ſibi proximis contingunt interdum convulſivi motus, quando videlicet cauſa in parte affecta ſolum-

ſolummodo continetur, & ſibi proximis, ſivè ea ſit humor acris, vel ſui natura, vel ob putredinem, vel pravus, & mordax halitus, vel alia qualitas ſpiritalis. Semper enim ubi convulſio, vel convulſivus motus eſt univerſalis, nervorum principium eſt affectum, vel primarium, hoc eſt, cerebrum, vel ſpinalis medulla, ubi verò eſt particularis, cauſa tantum continetur in parte illa, unde Gal. 1. de ſimp. fac. cap. ult. Convulſio, quæ per totum corpus fit citra delirium, aut ſoporem, à ſpinalis medullæ, quæ in cervice continetur, morbo dependet. Si vero vel manus, vel crus, vel muſculus vi quapiam diſtenditur, aut convellitur, ad illum ſemper nervum, qui partem movet, referenda eſt noxa.

Signa convulſivi motus.

Convulſivi motus ad ſenſum patent, nam pars modò contrahitur, modò redit ad naturalem ſtatum, muſculi quidem, ſi in ipſis ſit affectio, & levior ſed quandoque etiam tota pars, quando affectio gravior eſt, & fortis fit attractio.

Signa veræ convulſionis & ejus cauſarum.

Non minus nota eſt ad ſenſum convulſio vera, contractæ ſiquidem manent partes, neque extendi poſſunt, dolent etiam non leviter: Convulſio enim, ut dicebat Gal. in 1. Proreth. c. 2. text. 20. eſt affectio doloris plena: magis tamen plena eſt doloris, ubi fit ex repletione. Subitò quoque fit affectio, ſi præſertim fiat ex repletione.

Quomodo cognoſcatur affectionem communicatam eſſe principio.

Quando autem affectio communicatur principio, ex eo cognoſcitur, quòd anguſtatur guttur, dentes conſtringuntur, neque aperiri os poteſt, labia contrahuntur, collum tenditur, ac dolet, & dorſum: oculi, totaque facies pervertitur. Demum difficulter ſpirat, & omnino intercepta reſpiratione perit.

Signa cauſarum.

Ex qua verò cauſa fiat, & quæ præceſſerunt, & vulneris ſtatus indicabunt: utpote ſi ambientis injuriis expoſitum fuerit vulnus, ſi profluvium ſanguinis præceſſerit, ſi vulnus ſit doloroſum, crudum, ſiccum, & ſquallens, vel putridum, obcæcatum, nigricans, fœtens, ſi inflammatio ſupervenerit, aut cum vulnus ſit ex pravis, nullus tamen tumor ſupervenerit, aut qui ſupervenit repente citra manifeſtam cauſam evanuerit. Item ſi telo venenato fuerit inflictum, vel dentibus venenatæ feræ, &c.

Signa partis primo affectæ.

Qua autem in parte fuerit affectio, partes affectæ oſtendent, namque ſi totum convellatur præter faciem, ſignum eſt, principium

 cipium

cipium nervorum, ſcilicet ſpinalem medullam ſecundum primas ſui partes affectam eſſe: ſi verò etiam facies, ſignum eſt affectionem quoque eſſe in cerebro: ſi verò peculiaris quædam pars convellatur, affectio attinet ad eum nervum, qui eam partem movet. Veluti colligitur ex Gal. 1. de cav. ſimp. c. ult. & 3. loc. af. 6.

Signa differentiarum Tetani ſigna.

Species, ſeu differentiæ convulſionis univerſalis, & ipſæ ſenſu cognoſcuntur, namque in tetano convelluntur tam partes anteriores, quam poſteriores, & ideò ad neutram partem inclinat corpus, hinc Hippocrates libro de intern. af. text. 59. Si ob vulnus tetanos, ſive diſtenſio fiat, æger hæc patitur, maxillæ conglutinantur, & rigent, & os aperire non poteſt, & oculi lachrimantur, ac contrahuntur, & dorſum conglutinatum riget, & crura flectere nequit, neque manus, neque ſpinam. Aliquando tamen affectio eſt levior, & dat inducias, atque intermittit, unde Hippocrates loco citato text. 61. dicebat: Totum corpus convellitur, & primum quidem obambulat, poſteà temporis progreſſu in lectum cadit, & rurſus remittit convulſio, & dolor, & ſi ſurrexerit, & fortaſſis ad paucos dies obambularit, poſteà rurſus in iiſdem affectionibus jacet, atque hæc patitur, & tranſmutat per multum tempus.

Opiſtotoni ſigna.

In opiſtotono verò convelluntur tantùm poſteriores partes, & ob id ad poſteriora flectitur corpus, neque poteſt ad anteriora curvari, unde Hippocrates emproſthotonon vocavit. Cum autem diſtenſio in poſteriores partes opiſthotenos appellata, tenuerit, reliqua quidem utrimque eadem ſunt, verùm in poſteriores partes convelluntur, & vociferantur aliquando, & dolores emergunt vehementes, & crura interdum contrahere non permittit, neque manus extendere: ſunt enim cubiti incurvati, & digiti in pugnum contracti, & pollicem plerumque aliis digitis continet, & clamat, & nugas garrit quandoque, & non poteſt ſe ipſum continere, ſed aliquando exilit, ubi dolor premit, cum verò dolor remittit, quietem habet. Aliquando etiam vox intercipitur ſimul ut morbo corripiuntur, aut inſani, & atra bile perciti fiunt. Et lib. de intern. af. text. 60. In diſtenſione retrorſum contingente (opiſtotonum vocant) alia quidem eadem

æger

æger patitur. Fit autem, cum tendines, qui ſunt retro in cervice, ægrotarint, & paulo poſt: Hic trahitur in partem poſteriorem, & præ dolore circa dorſum, & pectẽn, ejulat. Hic convellitur vehementer, ut vix detinere poſſint ipſum præſentes, ne è lecto excidat: Hic ſæpe die dolore affligitur, ſæpè etiam levius degit.

In emproſtotono verò corpus ad anteriora flectitur, unde partes contrario modo ſunt diſpoſitæ, ac in opiſtotono: Hoc tamen intelligendum de partibus, quæ utroque modo flecti poſſunt, non enim crus ad anteriorem partem flectet convulſio, neque femur ad poſteriorem.

Futuram convulſionem in vulnere ſignificant ea, quæ convulſionis cauſas adeſſe, vel imminere ſignificant, ut immodica ſanguinis profuſio, malus ſtatus vulneris in parte nervoſa exiſtentis, aut in ea, quæ facile affectionem ſuam nervoſo generi communicat, ut ſi vulnus ſiccum fuerit, & crudum, ac doloroſum; ſi ingens ſit vulnus, & tumor non appareat, vel ubi apparuerit mox, & repente citra manifeſtam cauſam deliteſcat, juxta illud Hippocratis 5. Aph. 64. Quibus tumores in vulneribus apparent, hi non maxime convelluntur, neque inſaniunt, verum his de repente evaneſcentibus, quibuſdam à tergo convulſiones, & diſtenſiones fiunt, &c. Sed neque contemnenda ſunt alia ſigna, quæ materiæ lapſum ad cerebrum, & nervorum principium ſignificare poſſunt, ut eſt alba urina. Convulſivi autem motus veram convulſionem præcedere ſolent, ideoque eam præſagire dicuntur: Dolor cervicis, ac dorſi jam principium convulſionis adeſſe ſignificat, niſi adſit alia aliqua manifeſta cauſa. Cacochymia, quando vulnus eſt in parte nervoſa, corpus exponit periculo non levis convulſionis. *Signa futuræ convulſionis.* *Præludia convulſiva.*

Quid verò futurum ſit de vulnerato, quando jam ſupervenit convulſio, brevibus tradit Hippocrates 5. Aph. 2. dicens: Convulſio ex vulnere lethalis: Et libro de Coacis prænot. Convulſio comati ſuperveniens funeſta; nec immerito, afficitur enim pars nobilis, videlicet nervoſum genus, & ſæpius ipſum cerebrum, ſi non à principio, ſaltem non multo poſt, unde adeſt inſignis vehementia ratione dignitatis. Sed & adnexa eſt vehementia ratione *Præſagia.*

tione facultatis, consequitur enim causam contumacem, & naturæ rebellem, inflammationem videlicet nervosarum partium, vel ipsius etiam cerebri, aut immodicam sanguinis profusionem, aut nervi putrefactionem, vel puris, & malignæ materiæ suppressionem, quo fit, ut non nisi longo temporis spatio corrigi possint hæ causæ, interim autem convelluntur musculi respirationis, tolliturque respiratio, moriturque suffocatus, qui etiam ob sublatam deglutionem non secus interiret, licet longiori temporis spatio. Videtur enim convulsio mortem inferre ob respirationis defectum, namque etsi primò convellantur partes, quæ è directo sunt partium vulneratarum, tandem tamen affectio communicatur principio, & exinde ad totum corpus extenditur, ubi verò musculos respirationis apprehenderit, tollitur respiratio.

Convulsio ex frigiditate ambientis curabilis.

Scire tamen licet si vulneri supervenerit convulsio ob aliquam externam causam, puta ob frigus ambientis, sæpè, neque difficili negotio evinci. Et ideo Gal. 3. de comp. med. per gen. cap. 2. curavit quendam convulsum ob frigus ambientis unica die; Memini, dicebat, cujusdam ex hujusmodi vulneratis, de vulneribus nervorum loquebatur, qui cum diem quartum citra omnem dolorem ageret, partemque affectam absque phlegmone videret, multo in frigore domo egressus ad opus quoddam necessarium, eique diu immoratus, domum rediit, membro universo ad cervicem usque tenso, idque cum ingenti ipsius dolore. Postquam vero, quodam me accersente, profectus ad eum, vidi, quibus in malis esset, oleum ex itinere refrigeratum à particula auferre jussi, calente verò totum membrum fovi, deinde cervicis partem è directo positam lanis oleo respersis, & imposito medicamento liquido ex euphorbio simul cum castorio, hominem statim mitigavi, & somno accedente usque ad vesperam, omnia cessarunt symptomata. Pariter servari possunt, quibus convulsio accidit ex retenta sanie, cui dari exitus potest, si paretur hic exitus, antequam incorrigibile damnum effecerit. At quando affectio communicata est principio, pauci evadunt: sicuti & quando à superfluo sanguinis fluxu contingit, fit enim ob inanitionem, quam rarò admodum datur corrigere. Qua ratione dicebat Gal. lib. de

trem.

trem. palp. convul. & rigore cap. ult. & 12. Meth. c. ult. Convulſiones ex ſiccitate inſanabiles, & 2. Aph. 26.

Convulſio ex inanitione maximum, ac ferè inſanabile malum eſt, quoniam longum tempus exigunt nervi ad ſiccitatem removendam, ſed morbi acuties tempus non expectat, quin citò vires diſſolvit, & ſubito exitium affert. Et ideò etiam 7. Aph. 9. dicebat: Quod ex immoderata evacuatione convulſio eſt caſus admodum lethalis & ſi addatur deſipientiæ, quod omninò deſperata eſt ſalus, nam prius dixerat Hippocrates: A profluvio ſanguinis deſipientia, & convulſio, malum. Et 5. Aph. etiam 3. Sanguine multo fluente, convulſio, aut ſingultus ſuperveniens, malum eſt. Ex quibus colligere poſſumus unà cum Gal. 5. Aph. 2. Hippocratem non dixiſſe, convulſionem ex vulnere lethalem eſſe, quia ex neceſſitate, & ſemper interitum afferat, ſed quia admodum crebro; unde & ipſe Hippocrates 5. Aph. 6. dicebat: Quicunque à diſtenſione capiuntur, in quatuor diebus pereunt, ſi hos vero effugerint, ſalvi fiunt, ſi videlicet remittatur affectio. Et libro de Coacis prænot. tex. 3. Convulſionem ſolvi ait, urinis multis de repente redeuntibus, & eidem ſudores paulatim oborientes prodeſſe, ſicuti acervati lædunt. Ad eam autem vehementiam perveniſſe, convulſionem, quæ à facultate perferri nequeat, ſignificant vocis interceptio diu durans, rejectatio eorum, quæ ingeruntur per nares; clamare, & nugari, ab initio vox intercepta, corpus diſſolvi, inflatio ventris, oculorum tortuoſitas, & ſtrabiſmus, & ſtridor dentium, aſſiduuſque palpebrarum motus, narium pinnæ convulſæ, & acervatim ſudare, hinc Hippocrates lib. de intern. af. tex. 59. Cum autem lethalis fuerit, de Tetano loquebatur, potum, & cibos, quos prius accepit, aliquando per nares reddit. Et lib. de Coacis prænot. num. 3. In convulſionibus vocis interceptio diu durans, mala eſt, & paulo poſt: In diſtenſionibus ante, & retro contingentibus, & in tergum ſolùm contingentibus, ſi maxillæ ſolvantur, lethale eſt. Lethale eſt etiam ſudare in diſtenſione in dorſum contingente, & corpus diſſolvi; & in eadem affectione removere per nares, aut clamare, aut nugari, ſi ab initio vox intercepta fuit. In poſteram enim diem mortem ſignificat. Et 3. de morb. tex. 14. Qui opiſto-

opistotono corripiuntur, tertia die moriuntur, voce, quæ prius erat intercepta, soluta, & revomunt per nares. Et 4. de ra. vic. in morbis acu. text. 60. Nares quoque inspiciendæ, nam si per utramque spiritus æqualiter trahatur, & si multus ex ipsis feratur, convulsio fieri consuevit: quæ si fiat, propinqua mors est, & Rhasis primo cont. Oculorum tortuositas, & stridor dentium, & assiduus palpebrarum motus, & strabositas in convulsione, pessimum, & alibi: Inflatio ventris in convulsione lethalis.

Curatio. Si convulsio ex inflammatione ortum habuerit, huic occurrendum, prout proprio capite explicatum est. Si vero ex putredine, & corruptione, quod putridum est, auferendum, humiditasque superflua absumenda. Si ex purulenta materia, & sanie retenta, hæc evacuanda tum sensibiliter, tum insensibiliter, seu per halitum insensibilem, atque ne in posterum colligatur, consulendum, paratis congruis subfluxionibus, & quæ eam ex alto attrahant, adhibitis. Si ex dolore, hic aut anodynis sedandus, aut per ea, quæ causam ejus abscindunt, auferendus. Si ex frigiditate, calefaciendum; si à siccitate, humectandum; si à veneno, Bezoarticis erit occurrendum. Si igitur ob inflammationem contigerit convulsio, auxilia petenda sunt à proprio capite.

Sanguinis missio in convulsione. Quod tamen ad missionem sanguinis attinet, quoniam ob dolorem prosternuntur vires, neque tantum sanguinis mittendum est, quantum aliàs mitteretur, neque quod mittitur, unica vice extrahendum est, sed partitis vicibus: quæ quidem doctrina est Hip. lib. de Coacis prænot. tex. 3. ubi dicebat: Sudores paulatim fientes prosunt, acervati verò itemque sanguinis detractiones acervatæ lædunt. Et Gal. 1. ad Glauc. 14. quo loco dicebat: Si quis simul distensione nervorum laboraverit, & sanguinis eguerit missione, neque huic tantùm semel mittere oportet, quantum exigit morbus, sed aliquid etiam accidenti est relinquendum.

Dum autem inflammationi occurritur, convulsorum quoque nervorum habenda est ratio, & maximè principii nervorum, videlicet spinalis medullæ, ut quantum fieri potest molliantur, & laxentur (dictum est enim ab inflammationis ardore exsiccari quoque nervorum humiditatem) eorumque calor roboretur: idcircò

circò largè inungendæ sunt oleo de castoreo ex oleo amygd. dul. confecto, aut oleo vulpino; vel laurino, aut de costo, vel de terebinthina stillatitio, aut dialthea, cui præsertim aliquod ex dictis oleis fuerit permixtum. Cavendum autem à nimis calefacientibus, pauca enim eorum possunt humectare, & mollire. Et ideo ubi aliquo ex eis, quæ nimis calefaciunt, uti proponimus, addendum erit aliquod refrigerans, cujusmodi est oleum rosaceum, & violaceum. Emunctoria quoque largè oleo aliquo relaxante sunt perfundenda, superiora quidem, si in superioribus fuerit vulnus, inferiora verò, si in inferioribus. hujusmodi erunt oleum amygd. dul. camæmelinum, seminum lini, liliaceum, & similia. Optimè quoque fuerit consultum, si partem convulsam in oleo aliquo emolliente diutius contineat, cujusmodi est oleum commune, in quo emollientia fuerint incocta, ut altheæ radix, malvarum folia, & flores, melilotum, sem. lini, & alia hujusmodi; & oleum amygd. dul. & sem. lini. Maximè autem à principio revulsioni erit studendum, ut quantum fieri potest prohibeatur, ne affectio principio communicetur. Quod si fortè repositus fuerit articulus, & convulsio, inflammatione oborta, supervenerit, statim ejicere articulum oportet, quemadmodum monet Hip. lib. de artic. *Inunctiones*

Si à dolore orta fuerit convulsio, illi consulendum erit, quemadmodum capite de dolore expositum est. *Curatio convulsionis ex corruptione, ac putredine*

Si à corruptione partis, & nervi, corruptio emendanda, de qua etiam superius actum est. Potissimum autem cauterium actuale hic locum habebit, ubi enim periculum est in mora, vanum est à debilioribus exordiri, sed extremis morbis extrema remedia sunt adhibenda. Atque etiam ut superflua humiditas nervis imbibita absumatur, & nervosum genus roboretur, convulsæ partes oleo, seu litu quopiam digerente largè erunt perfundendæ, & ipsum nervorum principium. Itaque optima fuerint oleum laurinum, de costo, de castoreo, liliaceum, rutaceum, de croco, de terebinthina, laterum, unguentum arogon, marciaton, balsamum arte confectum. Sed cum variis modis confici soleat, mihi maximè arridet, quod secundùm hanc formulam præparatur, accipiuntur *Topica ad partes convulsas.*

Olei laurini
Ligni juniperini
Baccarum juniperi
Pinguedinis humanæ.
Lumbricorum terreſtrium ana unc. jv.
Olei florum roſmarini
Florum lavendulæ
Florum ſalviæ ana unc. ij.
Petrolei
De terebinthina ana lib. v.
Laterum (quod philoſophorum à chimiſtis appellatur)
Glandis unguentariæ (quod de been dici ſolet) ana unc. iij. s.
Myrrhæ
Thuris
Ladani
Benzoi
Gummi juniperini ana unc. iij.
Cinnamomi
Cariophillorum
Macis
Nucum myriſticarum ana unc. j. s.
Bdellii unc. ij.
Ammoniaci
Opopanacis
Galbani ana unc. j.
Tacahamachæ Indæ.
Carannæ ana unc. iij.
Caſtorei
Croci ana drach. vj.
Radic. Imperatoriæ.
Angelicæ
Valerianæ.
Acori
Coſti ana unc. s.
Styracis calamitæ pinguis unc. ij. s.
Pinguedinis leonis

Tauri

Tauri ana unc. ij.
Aquæ ardentis optimæ lib. ij.
Misce, & d. s. a.

Si à conclusa purulenta materia, vel alia excrementitia accidat convulsio, & quidem in ipsa vulnerata parte evocanda, & digerenda: unde si vulnus fuerit obcæcatum, amplum reddere oportebit congrua sectione, indeque in vulnus instillare liquorem aliquem tenuium partium, qui vim habeat absumendi materiam, & foras educendi, vel etiam linamentum eodem liquore imbutum, aut unguento, cui vis similis insit, illitum intra vulnus immittendum. Extrinsecus quoque applicandum erit aliquid, cui vis insit ex alto attrahendi. Instillari igitur in vulnus poterit oleum terebinthinæ. Balsamum arte factum, Balsamum naturale aqua ardenti liquatum, terebinthina cum hypericino oleo, & aqua ardente. Parari verò unguentum poterit linamentis excipiendum ex aliquo dictorum oleorum, terebinthina, tacahamacha, resina pinea, & cera, atque portiuncula sulphuris, vel præcipitati, quod expertus sum fælici cum successu, aut euphorbii, si tamen nervus haud fuerit denudatus, tunc enim ab acribus erit cavendum. Verùm de his, cum de vulneribus nervorum erit sermo, copiosiùs pertractabimus, sicuti & de iis, quæ extrinsecus sunt applicanda, fuerint autem hæc, quæ euphorbium recipiunt. Item tacahamacha, & caranna aliquo ex jam dictis oleis dissoluta cum sulphuris portione, aut stercoris columbini aridi, & hujusmodi alia, quæ ibi proponentur. Habenda quoque erit nervorum, & spinæ ratio, quæ supra posita est. *Curatio si à conclusa purulenta materia fiat.*

Si verò materia non fuerit in vulnerata parte, sed aliò fuerit expressa, aut aliter ceciderit ob gravitatem, vel etiam fuerit transmissa, ut contingit in capitis vulneribus, in quibus transferri solet materia à vulnere ad nervorum principium, duplici ratione erit occurrendum, namque procurandus est materiæ exitus per vulnus amplum ipsum reddendo, & ea applicando, quæ vim habeant pus evocandi: quod verò translatum est ad nervos, & in eis absorptum, digerendum, unde lotus digerentes convenient ex rebus supra commemoratis, & fotus calefacientes, puta ex decoctione ivæ, stœchadis, salviæ, lavendulæ, rorismarini, camæ- *Fotus.*

 meli,

meli, anethi, rad. angelicæ, & hujuſmodi. Neque inutile erit occiput profundiùs inurere, ſi ad nervorum principium translata fuerit materia. Utile non minus futurum eſt ſi ſudores provocentur, & vi ignis, & congruis potionibus, ſicuti & quando à corruptione provenit convulſio, namque vi ſudorificæ potionis attenuata materia, quæ in nervis abſorpta eſt, ad circumferentiam expellitur, partimque in halitum verſa digeritur, partim ſudoris ſpecie effertur, unde Hip. lib. de intern. aff. n. 59.

Curatio ex Hip.

Hunc cum ſic habuerit, loquebatur de apprehenſo à tetano, fovere oportet, & pinguiter unctum, ad ignem non ita prompte calefacere, & tepefactoria illito corpori adhibere. Et abſinthium, aut lauri folia, & hyoſciami ſemen, & thus terito, deinde vino albo diluta in ollam novam infundito, & oleum pari cum vino menſura affundito, & cum his calefactis large calidis corpus, ac caput illinito. Poſtea ſuper pelliceum indumentum reclinatum, ita ut pars, ad quam fuit animalis caro, ſurſum vergat, mollibus, ac puris ſtragulis, ac veſtimentis contegito, quo vehementer exſudare poſſit, &c. & lib. de loc. in hom. n. 48. Convulſioni ſic mederi oportet: Ignis ab utraque lecti parte ſuccendatur, & mandragoræ radix in potu præbeatur, minore pondere quam quod inſaniam faciat, & ad tendines poſteriores ſacculi apponantur.

Non eſt ſilentio prætereundum à Gal. propoſitum auxilium 3. de comp. med. per gen. 2. & 3. Meth. 9. pro curatione convulſionis ratione obortæ inflammationis, aut concluſæ materiæ, videlicet totalis nervi præciſio, aut tendinis vulnerati, vel muſculi, quamvis enim mancus ex ea parte ſuperfuturus ſit vulneratus,

Nervi, aut muſculi totalis præciſio curat convulſionem.

hoc tamen magis eligendum, quàm certa mors. Methodus ſiquidem ſuadet non ſolùm quandoque affectum aliquem deſpicere, verùm etiam novum inducere, & eum inſanabilem, ut ægrotantis vitam tueamur. Unde loco citato dicebat: Urgentis vero indicatio inter iſta non habetur, in aliis verò habetur, nam affectus, unde primum maximeque homini imminet periculum, hic primus curari debebit, interim verò non primus modò, verùm etiam ſolus: veluti ſi puncto muſculi capite, convulſio, quæ nulla convenientium medicamentorum vi remittat, ſuperveniat, quippe præciſo per tranſverſum toto muſculo, convulſionem quidem

dem ſanaveris, aliquem tamen ex particulæ motibus vitiaveris, & inferius: Iam nervum punctum ſæpe cogimur tranſverſum præcidere quoties, vel convulſiones, vel deliria, vel ambo magna, ægreque ſanabilia ſupervenire vulnerationi cernimus. Animadvertere tamen oportet, fieri debere hanc totalem præciſionem, antequam affectio communicetur principio, namque ubi hoc affectionem contraxerit, inutiliter arbitror ſecari nervum, cum ex principii affectione totum nervoſum genus afficiatur. Priuſquam tamen affectio confirmetur in ipſo principio, ſi quis totaliter nervum præcideret, non abhorrerem, ſatius eſt enim anceps experiri remedium, quàm nullum, & remedia incerta adminiſtrare, quàm certum interitum expectare. Illud etiam eſt animadvertendum, ne fiat hæc præciſio, niſi quando reliqua auxilia nihil contulere, & ideo dicebat Gal. Convulſio, quæ nulla convenientium medicamentorum vi remittat; & inferius: Quoties vel convulſiones, vel deliria magna, ægreque ſanabilia, &c.

Curatio convulſionis ex frigiditate.

Si ex frigiditate evenerit ſolvere ſtatim vulnus expediet, collocato ægro in loco calido, ipſumque & proximas partes fovere moderatè calefaciente quopiam oleo actu calido, cujuſmodi eſt oleum rutaceum, anethinum, camæmelinum, liliorum alborum, quæ etiam magis erunt nervoſis partibus amica, ſi fuerint lumbricata. In horum penuria, commune accipere licebit, quo calente lana excepto pars fovebitur. In vulnus verò ipſum inſtillanda eſt terebinthina cum aqua ardente, vel oleum de terebinthina, vel abietina lachryma, aut balſamum arte factum. Extrinſecus verum medicamentum de euphorbio, de quo in capite de nervorum vulneribus agetur, apponendum, aut gummi tacahamacha, vel caranna, quæ maximè erunt ex uſu, & iis, ſi punctus fuerit nervus, & vulnus anguſtum, addi poterit paululum euphorbii, aut aliquid ſtercoris columbini, vel ſulphuris. Super hæc quoque imponenda eſt lana aliquo ex oleis dictis calentibus imbuta, curando ut ſemper calida permaneant. Convulſæ autem partes, cervix, & tota ſpina aliquo calefaciente litu erit inungenda. Optimum erit oleum coſtinum, de caſtoreo, de terebinthina, de euphorbio, & laterum, ac laurinum ſuperpoſitis lanis oleo calente reſperſis. Quin & optimum erit ipſum

oleum commune, ſed vetus, balſamumque arte confectum ad convulſionem, de quo ſuperius. Quòd ſi his peractis, qua curandi ratione Gal. brevi curavit quendam à convulſione ſuborta, eo quod puncturam in nervo habens iter feciſſet in ambiente frigido, ut videre eſt 3. de compoſ. med. per gen. 2. non cedat affectus, in laconico continendus eſt, æger, propinandaque theriaca, aut Mithridatium, vel elixir vitæ; hic enim eſt caſus, in quo licet febrem excitare, nam ut dicebat Hip. lib. de loc. in hom. n. 48. & lib. de Coacis prænot. n. 3. A convulſione ſi febris invaſerit ſedatur eadem die, aut ſequenti, aut omnino tertia. Sed & in his febrem præexiſtentem augere conducet, unde Hip. lib. de Coacis prænot. n. 3. Convulſionem ſolvit febris acuta, quæ prius non fuit, ſi verò fuit prius, jam exacerbata. In aliis caſibus ſolet febris præcedere ipſam convulſionem. Quæ niſi præcederet non minus eam excitare liceret, modò tamen convulſio inflammationem non conſequeretur, ſiquidem febrilis calor materiam in nervis abſorptam, quæ convulſionis eſt cauſa, abſumit, & magis, quam quodlibet medicamentum appoſitum, non enim adeò in penitiores partes ſeſe inſinuat vis medicamenti, ut febrilis caloris. Sed quoniam, ut dixi, ſolet ipſa febris præcedere, licebit eam augere, niſi ab inflammatione orta fuerit convulſio. Si laconici facultas non fuerit, ignis ab utraque lecti parte ſuccendatur, calefacientia partibus convulſis adhibeantur, & benè cooperiatur æger, & ſimiliter quæ dicta ſunt, per os exhibeantur, unde Hip. lib. de loc. in hom. n. 28. Convulſioni ſic mederi oportet, ignis ab utraque lecti parte ſuccendatur (hoc vice laconici uſurpatur) & mandragoræ radix in potu præbeatur minori pondere, quam quod inſaniam faciat, & ad tendines poſteriores ſacculi imponantur, ut videlicet calefiant convulſæ partes.

Ex veneno. Si veneni adjuncti ratione oborta fuerit convulſio, evocandum eſt venenum, & bezoartica exhibenda, de quibus capite de vulnere venenato.

Animadvertenda in topicis. Si ab inanitione ortum habuerit, quamvis omninò lethalis ſit, attamen ad ægri ſolatium humectantibus convulſæ partes erunt tractandæ, ut largis perfuſionibus ex oleo communi, amygd. dul. balnea

balnea quoque ex ipsis parari poterunt, incoctis etiam aliis emollientibus, vel addito decocto emollientium ipsismet oleis. Ferè autem semper observavi convulsionem hanc accidere in vulneratis, quando propè est mors, & dejectis omnibus viribus, quo in casu à balneis erit abstinendum.

Quod ad perfusiones, & inunctiones pro convulsionis curatione attinet, animadvertere oportet, nos in perfundendo assiduos esse debere negligentia enim, & raritas perfusionis multoties interitum attulit. Hinc Galen. lib. de artic. sect. 1. text. 62. cum sibi avulsum fuisset somnum humerum à jugulo, & propter nimiam extensionem ab illis factam, qui existimabant elapsum fuisse ad alam humerum, seu brachii caput, & propter arctam deligationem, quam diebus quadraginta pertulit, quo ad brachii caput jugulum adducetur, musculi malè affecti fuissent, ut principium quoddam convulsionis appareret, oleo calente continuo locus affectus perfundebatur, quod si, dicebat, aliquando, vel paululum intermitteretur, statim percipiebam, cervicis musculos intendi, ut jam manifestè convulsio esset expectanda, si ministri in perfundendo negligentiores essent. In hoc maximè peccatur nostris temporibus, existimant enim plerique satis esse, si semel in die, vel bis cervicem, & spinam oleo quopiam inungant.

Quod verò ad motus convulsivos attinet, si in sola affecta parte extiterint, enitendum, ut prava materia partim per ulcus, vel proximas partes educatur, partimque absumatur, partesque nervosæ oleo quodam amico fovendæ. Si verò in aliis quoque partibus, eò quòd pravi vapores ad cerebrum ferantur, idem peragendum, sed propterea, & revellere hos oportebit, & cucurbitulis, & frictionibus, & ligaturis, & clysteribus, & balneis, & aliis revulsoriis præsidiis, quæ tamen virtus possit perferre. Nec enim ab re fuerit revulsioni studere, etiam si nondum ad cerebrum ferantur vapores, ut quantum fieri potest, omnis affectio ab ipso cerebro arceatur. *Curatio motus convulsivi.*

Ubi etiam convulsionem invadere cognoveris, quamprimum immittendus est inter ægri dentes bacillus, tum ut prohibeatur, ne dentes penitus constringantur, mutuoque adhæreant, quod alimen-

alimentorum aſſumptionem impediret, tum ut præcaveamus mutuam illam dentium colliſionem ex genarum concuſſione, ex qua contingit interdum linguam amputari, dum inter ipſos fortè interponitur.

Victus tenuiſſimus conveniret, affectio enim eſt acutiſſima, ſed quoniam plerumque accidit poſtquam inedia, & evacuationibus conſumpti ſunt vulnerati, ſæpè cogimur pleniorem victum injungere, & exhibere ova ſorbilia, juſcula, contuſum pulli aut caponis, ſuccum expreſſum carnium, & hujuſmodi.

CAPUT LXXVIII.

De turpi, aut minus decora cicatrice.

Quamvis ea pulchritudo, quæ ſtatum naturalem conſequitur, quodammodo ſub conſiderationem Medici cadat, & proptereà turpis cicatrix, ut huic pulchritudini officiens, quando præſertim eſt in facie, & partibus, quæ non teguntur, corrigi à Medico deſideret, eò tamen libentius de illa pertracto, quòd artis, vel artificis potius defectum patefacere videtur. Turpis enim eſt cicatrix, quando aut nimis cava eſt, aut nimis craſſa, & eminens, aut nimis lata, aut inæqualis, ſeu inæqualiter labia committens, vel aliquo extraneo colore infecta: at nimis eſt profunda, quia nimis propere fuit inducta, nimis verò eminens, quia nimis tarde, nimis lata, quia vulneris labia ad amuſſim non fuere adducta: inæqualis verò, quia inæqualiter labia fuerint commiſſa, aut à principio per ſuturam, aut in progreſſu, quando ad ſanitatem vulnus properat: extraneo denique colore fœdata, quoniam vitioſi ſucci non fuerint evacuati, aut adhibita fuerint medicamenta, quæ colorem illum inducere potuerunt. Quæ omnia culpa ipſius Medici evenire probabile eſt; licet aliquando res aliter ſe habeat, non ſolùm enim profunda eſt cicatrix, quia nimis propere fuerit inducta, verùm etiam, quoniam deficiat pars aliqua ſpermatica, vel ejus portio, quæ regenerari non poteſt, unde Hippocr. 6. Aph. 45. Ulcera quæcunque annua ſunt, aut etiam diuturniora, os abſcedere eſt neceſſarium, & cicatrices

cavas

cavas fieri. Similiter non solùm latior fit cicatrix, quia labia exacte non fuerint adducta, verum etiam quia deerat magna aliqua cutis portio à telo dissecta, aut lacerata, aut auxilio aliquo, cujus necessarius fuit usus, destituta, aut simili alia de causa. Neque semper inæqualis est cicatrix, quia Medicus ex incuria inæqualiter labia commiserit, quandoque enim natura vulneris, & supervenientium accidentium aliter fieri non patiuntur. Pariter non semper cicatrix inæqualiter labia committit culpa ipsius Medici, vel ob id quandoque unum ex labiis alteri supereemineat, cum dictis ex causis nonnunquam aliter fieri non possit. Denique pravo colore non semper inficitur, quia Medicus ex incuria, & inscitia vitiosos succos non evacuaverit, verùm etiam quia sibi non relinquitur tantùm temporis, quantùm requiritur, ut fiant convenientes evacuationes, eò quòd nimis propere vulnus sanetur, cum tamen copia vitiosorum succorum longius tempus requirat, ut educatur. Quandoque etiam causa vulnerans aliquo indelebili colore est infecta, & eum vulneris labiis communicat, unde generatur turpis admodum cicatrix. Quandoque etiam quod colore inficit non est telum, sed quid causæ adjunctum.

Causa cicatricis deformis.

Quæ cicatrix emendari possit.

Sed quomodocunque res se habeat, scire licet, non omnem pravam cicatricem corrigibilem esse, nam quæ ex defectu substantiæ spermaticæ oritur, prorsus correctionem refugit, quoniam neque substantia spermatica deperdita regeneratur. Quæ pariter nimis lata est, angustior reddi non potest, neque licet talis genita fuisset, quia labiorum adductio fuisset prætermissa, aut negligenter facta, laborantes, ut cicatrix magis decora redderetur, iterum vellent aleam hanc subire, ut sejungerentur labia, & quod carnis, & cicatricis superfluum est, devastaretur. Aliquando

Curatio.

quando etiam colores extrinſecus advenientes adeò hærent, ut amoveri non poſſint, niſi & ſubjecta cutis, vel caro ſimul amoveatur.

Craſſa igitur cicatrix tenuior reddetur cerato de mucilaginibus, diaquilone, cerato de lythargiro, medulla cervina, oleo glandis unguentariæ oleo vitellorum ovorum, aſini pinguedine, humana pinguedine, ſi præſertim arte chymica oleoſa ipſius ſubſtantia eliciatur. Si vero inveterata ſit cicatrix conferet oleum balſaminæ, oleum ex myrtha, radix cucumeris agreſtis trita, & appoſita, chryſocolla cum camphora trita & medulla bubula illita, balſamum arte confectum, & ipſum naturale balſamum, unguentum ex vitro. At ſi nimis craſſa ſit cicatrix, ut turpiter admodum ſupereminet, novacula detrahendum, & rurſus inducenda cicatrix: detrahi etiam poterit ex edente aliquo medicamento: maxime autem probatur oleum de ſulphure, & de calcantho. Et forſan ſatis non erit, quod ſupereminet auferre, facilè enim ſupercreſcit caro, antequam inducta ſit cicatrix, ſed aliquid amplius abſumere utile erit, caro enim, quæ generatur, dum cicatricis inductio procuratur, cavitatem æquabit. Neque alia eſt curandi via, quando unum labiorum alteri ſupereminet, nam tantùm de ſupereminente labio detrahendum eſt, quantùm ſatis eſt, ut æqua cicatrix inducatur: detrahetur autem vel novacula, vel exedente medicamento. Pariter quando nimis concava eſt cicatrix, ſcalpello excidenda, vel exedente medicamento auferenda, dein procurandum, ut cavitas carne repleatur. Paucos tamen reperias, qui decoris gratia velint dolores perferre, qui ex vulneris innovatione contingunt, & ideo Celſus lib. 5. cap. 25. At ſi vel excrevit cicatrix, vel concava eſt, ſtultum eſt

eſt decoris cauſa rurſus & dolorem, & medicinam ſuſtinere. Alioquin res utrique ſuccurri patitur. Siquidem utraque cicatrix exulcerari ſcalpello poteſt. Si medicamentum aliquis mavult, idem efficiunt compoſitiones hæ, quæ corpus exedunt. Cute exulcerata ſuper eminentem carnem exedentia medicamenta conjicienda ſunt, ſuper concavam implentiam, donec utrumque ulcus ſanæ carni, æquetur, & ſuper ipſam cicatrix inducatur. Si pravus quiſpiam color cicatricem turpem reddiderit, & hoc propter abundantiam vitioſorum ſuccorum, totum corpus erit evacuandum, & iis medicamentis, quæ à longinquis partibus attrahunt, ut Medicorum loquendi more utar, dein curandum, ut qui in parte remanſit vitioſus ſuccus diffletur, unde lotiones ex aqua dulci calida erunt ex uſu, aut ex decocto malvarum, & violariæ. Atque ſi nigra fuerit cicatrix, conferet inunctio ex oleo, in quo radix brioniæ, & albæ, & nigræ fuerit incocta. Item calamintha ex vino cocta, & lythargirum roſaceo nutritum, nec non & radices chelidoniæ majoris cum ſulphuris portiunculæ tuſæ, & emplaſtri modo applicatæ. Si verò alba fuerit cicatrix, plumbum album, ſi ex eo lamina conficiatur, & deſuper ligetur, colorem naturalem conciliat. Idem facit radix cucumeris agreſtis, pituitam, quæ albam reddebat cicatricem, evocando. Ad fuſcas etiam, & lividas, ac verſicolores cicatrices valet oleum de Been albo, linimentum paratum ex plumbo eloto, & ærugine oleo roſaceo decoctis ad formam linimenti. Si color pravus extrinſecus advenerit, & nihil deterſoria profecerint, ad exedentia confugiendum: præclaram autem operam præſtat oleum ſulphuris, & calcanthi, nec non & aqua fortis dicta argentariorum, his enim leviter illitis detrahetur ſubſtantia illa colorata, quæ interdum ſola auferri non poteſt, ſed neceſſarium eſt, ut

una

una auferatur aliquid de ſubſtantia ipſius cutis, aut carnis, quo in caſu denuò inducenda cicatrix cerato de ceruſſa, aut palmeo, aut lamina plumbea ſuperligata: oportet autem, ut plumbum ſit album.

FINIS PRIMI LIBRI.



INDEX CAPITVM PRIMI LIBRI.

De Rara Medicatione Vulnerum, in quo de vulneribus generatim pertractatur.

dato

INDEX QUÆSTIONUM

QUÆ IN HOC PRIMO LIBRO De Rara Medicatione Vulnerum deciduntur.

Duæ præcipuæ Quæſtiones.

Quæ-



INDEX

INDEX
RERUM ET SENTENTIARUM
OMNIUM MEMORABILIUM,

Quæ in hoc primo Libro de rara medicatione vulnerum continentur locupletissimus.

A.

Aggluti-

INDEX

B.

C.

Cerebrum

affe-

D.

ca

G.

H.

I.

L.

N.

O.

Ossa

R.

S.

T.

S.

V.

Vnio-

 par-

Vulneri


FINIS.

